VALENTINI HENRICI VOGLERI DE REBUS NATURALIBUS AC MEDICIS QUARUM IN SCRIPTURIS SACRIS...

Valentin Heinrich 1622-1677 Vogler

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
39 M C
12

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VALENTINI HENRICI VOGLERI

DE

REBVS NATVRALIBVS AC MEDICIS QVARVM IN SCRIPTVRIS SACRIS FIT MENTIO COMMENTARIUS.

Accesſit Ejusdem

Phyſiologia Hiſtoriæ Paſſionis JESU CHRISTI.



HELMÆSTADI

Typis & Sumptibus GEORG-WOLFGANGI HAMMI
Acad. Typogr. Anno 1682.

Digitized by Google

A 2-10

4

Digitized by Google

INCLYTI DUCATUS
WOLFERBYTANI
ORDINIBVS
VIRIS
MAXIME REVERENDIS, GENEROSIS, STRENUIS, NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS ET AMPLISSIMIS
DOMINIS AC PATRONIS MAGNIS
POSTHUMUM HOC MARITI AC PARENTIS OPVS
PVBLICVM DEBITÆ AC PERPETVÆ OBSERVANTIÆ TESTIMONIUM
DEMISSE OFFERUNT
HÆREDES VOGLERIANI.

Digitized by Google

VIRI
Maxime Reverendi, Generoſi, Strenui, Nobiliſſimi, Conſultiſſimi & Ampliſſimi,

Domini & Patroni Magni.

CUm annò abhinc trigeſimò B. maritus ac parens noſter Oppenheimiò in illuſtrem hanc Juliam ad cathedram Academicam evocatus eſſet, hoc, dum fata Deusque ſinerent, imprimis ille egit, ut, quoquo modo poſſet, diſcentium ſtudiis pro virili inſerviret. Nam ita omninò perſvaſus ille erat, præclarè eos rem gerere, qui de ſolidà eruditione ac ſtudioſa juventute optimè mereri conarentur: etſi utilitas in ipſos nulla aut exigua fortè hinc redundaret. Quanquam tamen utilitatem ſummam hanc demum exiſtimaret, quam ex con-

conſcientia muneris rectè ſuſcepti ac bonâ deinceps fide geſti viri publico bono nati percipere ſolent. Huc itaque dum ille aſpiraret, non ſolum artem Medicam, quam publicè docere juſſus erat, omni opera excolere ac propagare annitebatur: ſed etiam animum cum ad alia ſtudia ſubinde dimittere, tum quoq; ſacris imprimis ac divino cultui dicatis diebus eundem ſacrarum Scripturarum piâ ac erudita meditatione oblectare ſolebat. In his autem cum ſubinde occurrerent, quæ ex rerum tum naturalium tum medicarum ſcientia lucem accipere poterant, in hæc ipſa, doctiſſimorum virorũ exemplo, curioſitate certe non illaudabili, accuratius inquirere cœpit. Quod cum Deo benedicente haud infeliciter illi ſuccederet, hunc de rebus medicis ac naturalibus, quarũ in Scripturis ſacris fit mentio, commentarium adornare conatus eſt. Etſi vero B. autor mortalitatis leges prius expleverit, quam operi inchoato ultimam manum addere poſſet, noluimus tamen deſideriis ac ſpei eorum deeſſe, qui id ipſum, qualecunque etiam foret, ſeriò à nobis expetebant, & cumprimis juventuti ſtudioſæ aliquam utilitatem inde polliceri videbantur. VOBIS verò, PATRONI MAXIMI, poſthumum hunc mariti atque parentis p. m. noſtri commentarium offerimus, atque ut illum ipſum ſereno vultu excipiatis, ea, qua par eſt, reverentia, petimus à

 VOBIS

Digitized by Google

VOBIS atque contendimus. Quamvis enim levidenſe ſit, quod VOBIS jam exhibemus, munuſculum, liceat nobis tamen vel hac ſaltem ratione publicè gratum animum teſtari pro eximio favore, quo beatum autorem ad extremum usque vitæ halitum conſtanter complexi fuiſtis. Quod uti nos impetraturos eſſe facilè confidimus; ita ſimul fortunas noſtras, præmaturo mariti atque parentis noſtri obitu graviſſime afflictas, Benevolentiæ VESTRÆ etiam atq; etiam commendamus. Ita Deus Opt. Max. VOS diutiſſime univerſæ hujus patriæ noſtræ bono ſalvos ac incolumes ſervet, atque omnigenâ felicitate beet! HelmæſtadI in Acad. Jul. ipſis Kal. Mart. A. CIϽ IϽC LXXXII.

LECTO.

LECTORI BENEVOLO

S.

ANnus nunc agitur poſt vigeſimum primus, quod optimus doctiſſimusque Vir, *Valentinus Henricus Voglerus*, *Philoſophiæ ac Medicinæ Doctor, hujusq́ in Illuſtri Academiâ Juliâ Profeſſor publicus ordinarius*, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις non exiguam partem annotationum iſtarum, quas Typographus tibi jam exhibet, in domeſtico eôque ſatis frequenti auditorio propoſuit. Quæ cum magno auditorum applauſu exceptæ tum fuiſſent, easdem non modò pluribꝰ ſubinde vicibus ille prælegendo repetiit atq; abſolvit: ſed quoq; de illis inſigni acceſſione locupletandis, ac in publicum aliquando emittendis ſeriò cogitare cœpit. Præterquã enim quod ſolidâ rerum medicarum ac naturalium eorúmve omnium cognitione excelleret, quæ ad hoc inſtitutum requiruntur: tantum erat ejus ac tam indefeſſum commune bonum adjuvandi ſtudium, ut modò huic prodeſſe ipſi liceret, vix unquam animum à præclaris ſtudiis relaxaret. Hoc itaque fine dum veterum ac recentiorum tum Medicorum tum Philoſophorum monumenta nocturnâ verſat manu atque diurnâ, nec levi oculo priſcorum quorundam Eccleſiæ Doctorum ſcripta perluſtrat, natus ipſi fuit hic, quem publici juris Typographus jam facit, *de rebus Naturalibus ac Medicis, quarum in Scripturis ſacris mentio fit, commentarius*. Utinam verò ipſi Autori eandem operam toti huic libro impendere licuiſſet, quam integri operis fortunam periclitaturus ante novem hoſce annos circa *Phyſiologiam Hiſtoriæ Paſſionis Jeſu Chriſti* erudito orbi probavit. Neque enim dubium eſt, quin omnia hæc multò auctiora, accuratiora ac emenda-

6
39 M C
12

Digitized by Google

Digitized by Google

VALENTINI HENRICI VOGLERI

DE

REBUS NATURALIBUS AC MEDICIS QUARUM IN SCRIPTURIS SACRIS FIT MENTIO COMMENTARIUS.

Accesſit Ejusdem

Phyſiologia Hiſtoriæ Paſſionis JESU CHRISTI.



HELMÆSTADII

Typis & Sumptibus GEORG-WOLFGANGI HAMMI Acad. Typogr. Anno 1682.

Digitized by Google

A2-10

Digitized by Google

INCLYTI DUCATUS
WOLFERBYTANI
ORDINIBUS
VIRIS
MAXIME REVERENDIS, GENEROSIS, STRENUIS, NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS ET AMPLISSIMIS
DOMINIS AC PATRONIS MAGNIS
POSTHUMUM HOC MARITI AC PARENTIS OPUS
PUBLICUM DEBITÆ AC PERPETUÆ OBSERVANTIÆ TESTIMONIUM
DEMISSE OFFERUNT
HÆREDES VOGLERIANI.

Digitized by Google

VIRI

Maxime Reverendi, Generoſi, Strenui, Nobiliſſimi, Conſultiſſimi & Ampliſſimi,

Domini & Patroni Magni.

CUm annò abhinc trigeſimò B. maritus ac parens noſter Oppenheimiò in illuſtrem hanc Juliam ad cathedram Academicam evocatus eſſet, hoc, dum fata Deusque ſinerent, imprimis ille egit, ut, quoquo modo poſſet, diſcentium ſtudiis pro virili inſerviret. Nam ita omninò perſvaſus ille erat, præclarè eos rem gerere, qui de ſolidâ eruditione ac ſtudioſa juventute optimè mereri conarentur: etſi utilitas in ipſos nulla aut exigua fortè hinc redundaret. Quanquam tamen utilitatem ſummam hanc demum exiſtimaret, quam ex con-

Digitized by Google

onſcientia muneris rectè ſuſcepti ac bonâ deinceps
ide geſti viri publico bono nati percipere ſolent.
Huc itaque dum ille aſpiraret, non ſolum artem Me-
licam, quam publicè docere juſſus erat, omni opera
xcolere ac propagare annitebatur: ſed etiam ani-
num cum ad alia ſtudia ſubinde dimittere, tum quoq;
acris imprimis ac divino cultui dicatis diebus eun-
em ſacrarum Scripturarum piâ ac erudita meditatio-
e oblectare ſolebat. In his autem cum ſubinde occur-
erent, quæ ex rerum tum naturalium tum medicarum
cientia lucem accipere poterant, in hæc ipſa, doctiſſi-
norum virorū exemplo, curioſitate certe non illaudabi-
i, accuratius inquirere cœpit. Quód cum Deo benedi-
ente haud infeliciter illi ſuccederet, hunc de rebus me-
licis ac naturalibus, quarū in Scripturis ſacris fit mentio,
ommentarium adornare conatus eſt. Etſi vero B. autor
nortalitatis leges prius expleverit, quam operi inchoato
ıltimam manum addere poſſet, noluimus tamen de-
ideriis ac ſpei eorum deeſſe, qui id ipſum, qualecun-
que etiam foret, ſeriò à nobis expetebant, & cumpri-
nis juventuti ſtudioſæ aliquam utilitatem inde polli-
ceri videbantur. VOBIS verò, PATRONI MAXIMI,
poſthumum hunc mariti atque parentis p. m. noſtri
commentarium offerimus, atque ut illum ipſum ſereno
vultu excipiatis, ea, qua par eſt, reverentia, petimus à

 VOBIS

Digitized by Google

VOBIS atque contendimus. Quamvis enim levidenſe ſit, quod VOBIS jam exhibemus, munuſculum, liceat nobis tamen vel hac ſaltem ratione publicè gratum animum teſtari pro eximio favore, quo beatum autorem ad extremum usque vitæ halitum conſtanter complexi fuiſtis. Quod uti nos impetraturos eſſe facilè confidimus; ita ſimul fortunas noſtras, præmaturo mariti atque parentis noſtri obitu graviſſime afflictas, Benevolentiæ VESTRÆ etiam atq; etiam commendamus. Ita Deus Opt. Max. VOS diutiſſime univerſæ hujus patriæ noſtræ bono ſalvos ac incolumes ſervet, atque omnigenâ felicitate beet! HelmæſtadI in Acad. Jul. ipſis Kal. Mart. A. CIↃ IↃC LXXXII.

LECTO-

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO S.

Annus nunc agitur poſt vigeſimum primus, quod optimus doctiſſimusque Vir, *Valentinus Henricus Voglerus*, *Philoſophiæ ac Medicinæ Doctor, hujusq; in Illuſtri Academiâ Juliâ Profeſſor publicus ordinarius*, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις non exiguam partem annotationum iſtarum, quas Typographus tibi jam exhibet, in domeſtico eôque ſatis frequenti auditorio propoſuit. Quæ cum magno auditorum applauſu exceptæ tum fuiſſent, easdem non modò pluribꝰ ſubinde vicibus ille prælegendo repetiit atq; abſolvit: ſed quoq; de illis inſigni acceſſione locupletandis, ac in publicum aliquando emittendis ſeriò cogitare cœpit. Præterquã enim quod ſolidâ rerum medicarum ac naturalium eorúmve omnium cognitione excelleret, quæ ad hoc inſtitutum requiruntur: tantum erat ejus ac tam indefeſſum commune bonum adjuvandi ſtudium, ut modò huic prodeſſe ipſi liceret, vix unquam animum à præclaris ſtudiis relaxaret. Hoc itaque fine dum veterum ac recentiorum tum Medicorum tum Philoſophorum monumenta nocturnâ verſat manu atque diurnâ, nec levi oculo priſcorum quorundam Eccleſiæ Doctorum ſcripta perluſtrat, natus ipſi fuit hic, quem publici juris Typographus jam facit, *de rebus Naturalibus ac Medicis, quarum in Scripturis ſacris mentio fit, commentarius*. Utinam verò ipſi Autori eandem operam toti huic libro impendere licuiſſet, quam integri operis fortunam periclitaturus ante novem hoſce annos circa *Phyſiologiam Hiſtoriæ Paſſionis Jeſu Chriſti* erudito orbi probavit. Neque enim dubium eſt, quin omnia hæc multò auctiora, accuratiora ac e-

menda-

mendatiora, quæ erat viri φιλακρίβεια, proditura nunc fuiſſent. Verùm aliter ſupremo rerum arbitro viſum fuit, qui illum quintô abhinc annô in medio ſtudiorum curſu terris ereptum in beatorum ſedes transtulit, Academiæ huic triſti eruditi ac induſtrii Doctoris deſiderio relicto. Cùm tamen hunc, quem tibi jam damus, commentarium plurimorum votis expeti, à maturitate quoque ſua propius abeſſe, quàm alia, quæ affecta ille reliquit, hæredes intellexiſſent, publico bono eundem, qualiscunque etiam foret, invidere neutiquam voluerunt. Ut autem paucis, quid circa librum ipſum præſtitum ſit, cognoſcas, in B. autoris verbis nil quicquam mutatum; aut iisdem additum vel detractum fuiſſe publicè hîc profitemur: quas autem minutiori charactere in plurimarum paginarum extremitate adjectas vides obſervationes, has autor margini Manuſcripti eô conſilio adjecerat, ut operi huic locupletando olim inſervirent; in quibus cum nonnulla cognitu fortè non indigna occurrerent, easdem ſimul tibi exhibere placuit. Ut tandem quærenti in promtu ſtatim eſſent Scripturæ loca, quæ ex intimis artis Medicæ atque Philoſophiæ Naturalis receſſibus hic explicantur & illuſtrantur, indicem eorundem in fine operis adjecimus. Cum verò Autor ipſe operi huic more ſuo præfari non poſſit, en tibi Programma prælectionibus hiſce ab ipſomet olim præmiſſum: quod de inſtituto ejusdem, iisve quæ ad illud pertinent, plenius te edocere poterit. Tu, Lector Benevole, opere hoc poſthumô utere, fruere; ac beati Viri exuviis

tenuem & ſine pondere terram
Spirantesque crocos, & in urnâ perpetuum ver

nobiscum apprecare. Salve!

SACRÆ

SACRÆ PHYSICÆ ET MEDICINÆ STUDIOSIS

S. P. D.

VALENTINVS HENRICVS VOGLERVS.

INter illas diſciplinas, quæ absque divina revelatione noſtramet induſtria acquiſitæ ad ſacræ ſcripturæ pleniorem intellectum faciunt ſymbolamque ſuam conferunt, naturalium rerum cognitioni minime poſtremum locum deberi, non temere quenquam, cui quidem cum recta ratione probe conveniat, qui id tam manifeſta luce in dubium vocare auſit, repertum iri exiſtimo. Tanto videlicet inſignior ejus eſt uſus, quanto frequentior præ aliis omnibus iſtiuſmodi rerum in divinis litterarum monumentis habetur mentio. Quæ quum & ipſa non ſit unius generis, & uſum quoque iſtum multiplicem eſſe oportet.

Digitized by Google

Nimirum triplici ferè ratione Scriptura earum meminit. *Primo* ſimpliciter & modo plane vulgari, puta cæli, ſtellarum, temporum, terræ ignis, aquæ, aëris, meteororum, lapidum, metallorum, ſtirpium, animantium; quando videlicet ſermo præcipue non de ipſis ſed aliis vel alia atque naturali cauſſa inſtituitur. *Deinde* non raro natura ipſorummet quæ adducuntur attingitur. Id quod tribus iterum fit modis. Vel enim res cujus mentio incidit ſimul deſcribitur, qualis deſcriptio eſt mannæ Exodi XVI, 31, & Numerorum XI, 7: vel alias qualitates & proprietates eorundem commemorantur, quod nuſquam frequentius reperitur quàm in hiſtoria Iobi, capitibus præcipue XXXIX, XL & XLI: vel ſimilitudines inde deſumuntur, cujus generis exempla infinitis locis occurrunt. *Tertio* demum nonnullis ea quandoque narrantur accidiſſe, quæ ipſis alias non competunt adeoque naturæ vires excedunt. Quorum non unum rurſus eſt diſcrimen. *Aliis* enim facultas ſua naturalis legitur fuiſſe cohibita: quod contigit igni in fornace Babylonica, aquis item maris rubri ut & Jordanis diffugientibus tranſitumque Iſraëlitis Eliæ & Eliſæo permittentibus, ſolis item motui Joſuæ & Ezechiæ temporibus, ejusdemque luci Chriſto patiente, nec non pluviis in quartum usque annum plane deficientibus. *Aliis* ex adverſo eadem ſupra ſuam ſortem

fuit

Digitized by Google

fuit aucta; quod factum fuit igne ad preces Eliæ cælitus delabente & cum holocauſto ac lignis lapides quoq; pulveremq; conſumente & aquam altari circumfuſam delingente, ferro itidem aquis innatante, & Chriſto in lacu Tiberiados ambulante. Quibus & accenſeri poſſet aquarum propter amaritiem potui ineptarum & aliarum inſalubrium per ligni ac ſalis, colocynthidum item per farinæ injectionem correctio; niſi forte ſymboli loco potius illa fuerint adbibita. *Alia* denique minaculoſe ſunt exorta. Cujus generis fuit manna, Iſraëlitarum in deſerto cibus, ignis cælo miſſus Sedomam viciniamq; ſubvertens, ſacrificia ab Elia in Carmele monte oblata & πεντηκοντάρχους cum ſuis militibus ab Ahaſia rege ad eundem prophetam adducendum miſſos abſumens, ſigna & prodigia in Ægypto per Moſen edita, aqua ex rupe & dente aſinino proſiliens, ſcrobes Eliſæo Dei nomine jubente factas opplens, ejusdem in vinum converſio. Eodem ſpectat θεήλατος ille cataractis cæli apertis terras obruens imber; coturnicum item immenſa multitudine in caſtra Iſraëlitica adventus, ſive illæ tum primum fuerint conditæ, ſive (quod veriſimilius eſt) aliunde ventorum vi abreptæ. Ad quam eandem quoque claſſem pertinet omne miraculum longiſſimo intervallo ſuperans univerſi hujus ex nihilo nullaque materia productio. Secundo vero

vel tertio huic vel utrique potius ordini annumerari debet olei absque alterius affuſione multiplicatio, ejusdem & farinæ exigua copia Sareptanæ viduæ ad longum tempus, pauci item panes ac piſces centum immo aliquot mille hominum refectioni ſuſtentationique ſufficientes.

Quod autem de naturalibus rebus earumque notitia dictum fuit, idem de medicis quoque ſimul eſt ſtatuendum. Namque illarum etiam memoria in ſacro bibliorum codice non eſt infrequens. Eo vero non duntaxat referimus quæ ad morbos eorumque curationem medicamentaque pertinent, ſed illa quoque quæ ad generationem nutritionemque. Cujus enim eſt de adverſa corporis valetudine agere, eidem quoque ſanitatis conſideratio incumbit. Quamvis enim accurate loquendo plerorumque horum omnium, ſolis illis quæ ad *θεραπείαν* proprie ſpectant exceptis, naturam cauſſasque inveſtigare in officio ſit naturalis philoſophi, perinde ut ejusdem eſt lapides, metalla ac ſtirpes contemplari, quæ itidem per injuriam à philoſophantibus vulgo derelicta ſolent omitti: nunc tamen utrilibet diſciplinæ ea accenſeantur parum intereſt, præſertim quum iſthæc *παιδεύματα* medicis doctrinis arctiori nexu ſint juncta medicoque quam maxime conducant. *Primum* igitur huc pertinebunt, quæ de conceptu, uteri geſta-

geſtatione & partu cum alibi leguntur tum præcipue in hiſtoria Abrahami, Iſaaci & Jacobi, Johannis item Baptiſtæ & Chriſti: de puerperis fluxuque muliebri tum alias tum in Levitico. *Deinde* quædam ſparſim reperiuntur dicta de fame, ſiti, corporis altione & educatione. Plurima *tertio* narrantur de varii generis ægrotantibus, leproſis, gonorrhœis, cæcis, ſurdis, mutis, paralyticis, claudis, aliis. Sequuntur *quarto* curationes & à morbis liberationes: ut & medicamenta ipſa: nam & horum ſpeciatim meminit hiſtoria Hiskiæ ſeu Ezechiæ regis, Tobiæ, & paſſionis Domini. Quibus accenſeri quoque poſſunt condituræ cadaverum. *Quintum* denique locum aſſignabimus illis quæ vitam, ſanitatem, mortemque concernunt. Quæ omnia porro vel nude tantum adducuntur, vel addita quadam naturalis medicive negotii *περιςάσει*. E quibus hæc viciſſim vel nihil à conſueto more abiens aut à naturalibus viribus alienum, vel inſolens quid & à ſuperiori facultate profectum produnt. Cujus poſterioris (prioris enim quæ ſint nemini non patet) fuit prægnatio Sacræ & Eliſabetæ ex parte, ſimpliciter autem & omni exemplo carentis exempli Mariæ virginis: *τεσσαρακονθήμερον* jejunium Moſis, Eliæ & Jeſu Chriſti: lepra Mirjamæ, Gehaſæi, Uſiæ ſeu Aſariæ regis; occæcatio Elymæ magi: depulſiones morborum omnem humanam

medicam vim eludentium eæque momento factæ innumeræ: clades exercitus Sennacheribi, Ananiæ & Sapphiræ interitus: mortuorum denique reſuſcitatio.

Quibus omnibus ita ſe habentibus non difficile jam fuerit uſus in ſacrum ſtudium ex eorum philoſophica medicaque (nam vulgarem ſeu grammaticam non moror) cognitione redundantes oſtendere. Producamus enim primo in exemplum totius hujus aſpectabilis ſummeque πολυδαιδάλυ machinæ creationem. Quam omnes quidem pii factam credimus: at quid & qualis ea proprie ſit, nemo temere melius aſſequetur niſi cui naturales rerum ex materia ortus fuerint perſpecti. Nequaquam enim illis poſſumus aſſentiri, qui ſolam materiam creatam eſſe cenſent: niſi vel voce illa manifeſto & præter rem abuti, vel univerſum hoc aut ſaltem quaſdam ejus partes naturali vi productas eſſe aſſerere velimus. Quorum illud non vacat injuria in conditorē optimum maximum, iſtud erroneas maxime hodieq; vulgares de natura materiæ ſapit opiniones. Vt nunc non urgeam iſtiusmodi dogmata fraudi quadamtenus eſſe Moſaicæ narrationi. Certe longe ſatius eſt alias ingenii acumen oſtendere affectareve. Porro nec reliqua corporum adeoque omnium viventium naturâm ac proprietates in creatione ſingulis inditas pertinentia

vel

vel inde depromtas ſimilitudines recte quis intelliget, niſi indolem omnium ac qualitas prius aliunde probe habuerit cognitas. Ut vel hinc appareat ad naturalem ſcientiam comparandam neutiquam ſufficere, doctrinam de natura, cauſſis, motu quæque cum his connexa ſunt alia didiciſſe; quibus tamen anguſtis finibus ea vulgo pæne ſolet includi. Quid jam fiet de illis quæ naturæ conditionem ſuperant? Quomodo ea vere talia fuiſſe exiſtimaveris, niſi quousque vires iſtius porrigantur noveris? Sane quanto plus in naturalium nec non medicarum quoque rerum *Φαινομένοις* notandis cauſſisque perveſtigandis quispiam fuerit verſatus, tanto ſimul aptior etiam fuerit ad omnia iſthæc pro merito æſtimanda. Etenim tum demum patebit, quam excellentis poteſtatis ſit (ut unum & alterum tantum verbi cauſſa nunc delibemus) pauxillo cibo, quo vix duodecim homines famem ſedarent, magnam eorum multitudinem ſaturare, affectus omnem medentium induſtriam reſpuentes verbo curare, mortuos calidoque nativo jam privatos (in hujus enim conſervatione vitam conſiſtere non niſi per imperitiam negari poteſt) excitare & in lucem revocare. Quorum aliorumque omnium magnitudinem ac vim nemo unquam digne expenderit, multo minus ad auditores ſuos deprædicaverit, quænam naturæ moribus

con-

Digitized by Google

conſentanea ſint nec ne ignorans. Et tamen miraculis divinitus revelatæ doctrinæ autoritas multo maximam partem immo unice innititur fuitque comprobata. Quorum proinde neglectus in utriusque ſacri fœderis codice aliquoties exprobratur cervicoſis & refractariis Judæis.

Non hactenus vero duntaxat & iſtis omnibus recte percipiendis exponendisque diſciplinæ, quas commendatum imus inſerviunt, ſed ad alia quoque nequaquam minoris momenti inde tamen provenientia uſus earum ſeſe extendit. Ita ex univerſi creatione quam maxime elucet omnipotentia divina. Similiter & ex miraculis. Quæ ipſa porro tum juſtitiæ divinæ peccata mortalium ſerio tandem vindicantis, tum miſericordiæ neceſſitatibus noſtris alio omni auxilio deſtitutis ſubvenientis certiſſimo ſunt argumento. Sterilitatem agris quandoque divinitus immitti cum alia monſtrant tum illud quod impio Achabo regnante Iſraëlitis accedit. Eadem ratio eſt inſectorum ſata arborũ ac frondes depaſcentium. Quod etiam dicendum de meteororum inſolentia. Morbos inſuper ab ipſis malis geniis Deo permittente piis etiam hominibus nonnunquam infligi, vel ſolus Jobus omni exceptione major eſt teſtis. Peſtilentis denique luis ex cauſſis minime naturalibus obortæ exempla præbent tum triduana illa Davidis ætate, tum altera in caſtris

Aſſyriis

Digitized by Google

Aſſyriis una nocte complura hominum millia poſternens. Mitto nunc alias naturalis ſcientiæ utilitates, etiam in ipſiſmet circa ſacroſancta fidei noſtræ myſteria enatis controverſiis examinandis, ut & quantum ad ſanas de humana Chriſti natura formandas ſententias ea conferat, quamque firmum adverſus illius hoſtes inde petere liceat argumentum. Id quod jam pridem luculenter oſtenſum eſt tum diſſertatione Epitomæ Theologiæ præmiſſa, tum Apparatu venerabilis memoriæ Calixti noſtri.

Quæ quum minime laterent omnium ætatum Eccleſiæ doctores, propterea nulli quoque non ſubinde quid ex naturali illo penu hauſtum ſcriptis ſuis pro re nata ſoliti ſunt adſpergere: parcius quidem largiusve, prout vel ipſi major minorive iſtiusmodi rerum peritia valerent, vel res quas tractabant idipſum exigerent. E quibus omnibus in exemplum ſufficiat nunc unicum laudaſſe Theodoretum, qui Hippocratis etiam Ariſtotelis ac Galeni nominatim meminit, placitis eorum in teſtimonium adductis. Quod cum alias paſſim ab eo factum eſt, tum præcipue ſermone III & IV *de providentia*, utpote quos tantum non integros inde tranſſumſerit. Nonnulli quoque peculiarem operam huic rei impenderunt. Quos inter primum locum non immerito tribuimus illis, qui in ἑξαήμερον commentaria conſcripſerunt. Id quod ex

priſcis principes fecerunt Baſilius magnus & Ambroſius, patrum vero memoria omnium operoſiſſime Benedictus Pererius Jeſuita doctiſſimus. Eodem quoque pertinet Andreæ Libavii profeſſione alias medici *de univerſitate & originibus rerum conditarum* itidem doctum opus. Cujus generis etiam magnam partem ſunt pleræque adeoque illæ modo laudatæ Theodoreti περὶ προνοίας orationes. Quum phyſices ejusque in S. litteris explicandis officii mentionem feciſſet Sixtus Senenſis libro III bibliothecæ ſanctæ, ubi de ſecunda artis expoſitoriæ parte agit, ſtatim ſubjungit; *Laborarunt in hac parte apud Latinos Beda in libro de natura rerum, Anſelmus in libro de imagine mundi, & Honorius Aug. in libro ejusdem tituli, & Vincentius epiſcopus Beluacenſis in ſpeculo naturali.* Verum Bedæ quidem liber ut perexiguus eſt, ita parum quempiam juverit, non niſi ſumma quædam eaque oppido pauca rudimenta tradens. Quod ad Anſelmum vero (Cantuarienſem videlicet) & Honorium attinet, obſervari debet primo, ejuſmodi librum nec in catalogo operum Anſelmi ab Edinero ejus familiari confecto nec apud Tritheimium reperiri. Deinde idem ille liber in antiquis codicibus cum Anſelmi quidem ſcriptis ſolet conjungi, non ipſi tamen ſed Honorio Incluſo tribui; ceu bene quoque notavit Bellarminus. Quibus & hoc

addendum, opuſculum illud non eſſe unicum librum, quod innuit Sixtus & ex Colonienſi editione Bellarminus adpoſuit; ſed ab ipſomet autore ſuo in duos libros manifeſto diſtinctum. Ut nullum ſit dubium, unum eſſe ſcriptum uniusque autoris, quod geminum duorumque diverſorum parentum facit Sixtus, non utique facturus ſi recte inſpexiſſet. Et vero videtur ille hac parte minus juſto fuiſſe attentus, cujus aliud inſigne ſpecimen in eodem Anſelmo prodidit Bellarminus. An autem ad Honorium illum Incluſum, quisquis is tandem fuerit, an ad Auguſtodunenſem referendum ſit iſtud opuſculum, de eo res non parum eſt ambigua. Huic ſane de imagine mundi libros duos expreſſe attribuit Trittheimius, vir diligentiſſimus & in hoc eruditionis genere verſatiſſimus. Accedit quod idem verborum ſit initium ſcripti illius apud Trittheimium, quod eſt ejusdem itidem bipartiti ſub Honorii Incluſi nomine inter Anſelmi ſcripta comparentis. Præterea Honorius Incluſus plane obſcurus eſt & ignotus. Ut itaque vel dicendum fuerit, libros illos nullum alium autorem atque Auguſtodunenſem illum agnoſcere, undecunque tandem Incluſi cognomen ipſi adhæſerit: vel eodem nomine deceptum Trittheimium aberraſſe. Quicquid ſit, parum certe refert, præſertim quum libelli illi non tan-

tum in geographicis, aſtronomicis & chronologicis rudimentis pæne toti ſint occupati, ſed etiam multa fabuloſa & inepta contineant, ipſo quoque Bellarmino judice. At vero Vincentii Bellovacenſis vaſtum ac laborioſum opus, & ad exemplum fere hiſtoriæ Plinianæ confectum, niſi quod ductum τοῦ ἑξαημέρου ſequatur autor, multa continet egregia, utpote quum is per varios ſtudiorum campos pro iſtis præſertim temporibus ingenium ſuum late diffuderit. Seorſim porro *de XII gemmis quæ erant in veſte Aaronis* elegantem librum compoſuit Epiphanius, quem cum Jolæ Hierotarantini verſione (non enim ipſemet eum ex Græco Latinum fecit, ceu ſcribit Conſalus Poncius) primus edidit Conradus Geſnerus, vir ille publici litterarii boni promovendi usque adeo ſtudioſus, inde vero reliquis ejusdem patris operibus addi curavit Dionyſius Petavius. Eſſe vero genuinum ejus cui adſcribitur fœtum non uno Hieronymi teſtimonio comprobatur, ut qui ejus non illis tantum quæ Geſnerus jam adduxit locis, commentariorum videlicet in Ezechielem libro IX cap. XXVIII & epiſtola ad Fabiolam, ſed etiam libro XV cap. LIV commentar. in Eſaiam diſerte faciat mentionem. Ad quem modum *de gemmis iis præſertim quarum Joannes in Apocalypſi meminit* duos libros ſuperiori ſæculo ſcripſit Franciſcus Rueus: niſi quod in viribus

bus

Digitized by Google

bus earum exponendis vanitates aſtrologicas vel alias ſuperſtitioſas nimis magnifacere videatur, eo nomine jam tum cenſoriam virgulam expertus, cui proinde oppoſita apologia ſeſe purgavit, cujus excerpta quædam Geſnerianæ editioni ſubnexa ſunt, in Lugdunenſi rurſus omiſſa. *Similitudinum ac parobolarum quæ in bibliis ex herbis, arboribus ac fructibus deſumuntur* explicatio à Levino Lemnio concinnata in vulgus nota eſt. Ab animalium naturis ductæ quædam ſimilitudines explicantur libello, qui *Phyſiologi* titulo in eundem Epiphanium autorem refertur, quem publico dare in animo habuit Geſnerus, cum ſua vero verſione Sixto V Papæ inſcriptum evulgavit Conſolas Ponce de Leon. Eſſe autem cujus nomen præ ſe fert fœtum non abſimile quidem vero reddidit editor in medium prolatis aliquot argumentis, ipſiusmet etiam Geſneri verbis adductis; (quamquam nomen ejus præ odio, quod is eadem ſecum ſacra non ſectaretur, ſuppreſſit, *bibliothecæ ultimum ſcriptorem* appellans:) ita tamen ut id minus adhuc ſit certum. In quo eodem genere fuſius poſtmodum verſati ſunt cum Wolgangus Frantzius ſcripta *hiſtoria animalium ſacra*, tum alii ſacrarum ſimilitudinum collectores, quos heic recenſere nihil attinet. Plerique videlicet omnes hujuſmodi ſcriptores vix

Digitized by Google

quicquam habent præter illa quæ tum apud alios, tum præcipue Plinium & Ælianum leguntur: in quibus promiſcue admittendis qua prudentia ſit opus, ἴσασιν οἱ πεπαιδευμένοι. Aliter tamen dubio procul hac in re ſe geſſit Joannes Buſtamantinus editis *de reptilibus vere animantibus ſacræ ſcripturæ* duobus voluminibus, ſed quæ hactenus videre non contigit. Quamquam quantum apparet longius ille fuit evagatus, quod & ab aliis eſt factitatum. Plane vero intra fines ſeſe continuit Franciſcus Valleſius *de ſacra philoſophia* præclaro libro. Qui ut multiplici reconditiori doctrina refertus magnoque judicio confectus eſt, ita omnium pæne induſtriam in ſacri hujus argumenti tractatione ſuperavit. Nec in eo temere eſt quod deſideres, niſi forte quod opiniones ſuas non ubivis ſatis idoneis rationibus communiverit, & quædam miraculoſe facta nimis ad naturales cauſſas videatur reducere. Ex novo etiam fœdere vix aliquid attigit, morborum certe paſſim in ejus libris occurrentium nihil, illis duntaxat exceptis quorum in veteri mentio habetur. Quod itaque hac parte Valleſiano operi deeſt, ſupplere annifus fuit Guillelmus Ader *enarrationibus de ægrotis & morbis in Evangelio* Toloſæ anno abhinc triceſimo nono divulgatis. Quæ deinceps ob argumenti raritatem cooptari meruerunt in varias illas divinæ ſcripturæ explanationes; quæ *Criticorum*

ſacro-

ſacrorum nomine junctim editæ ex Anglia propediem exſpectantur. Et vero à conatu quidem omnino laudandus eſt ille liber, affectuum etiam illorum naturam quamvis ad unius Galeni potiſſimum mentem adeoq; ſecundum vulgarem ſcholarum opinionẽ ſatis bene licet conciſe exponit. At dum quænam illorum morborum in ægrotantibus à Chriſto curatis cauſſæ, qualis item ſingulorum ægrotorum ætas & temperies fuerint, inquirit, omnino fruſtra ſuam collocat operam, quum ex ſacra hiſtoria vix aliud quid, niſi morbos iſtos humana ope non potuiſſe curari colligatur. Plane vero ſupervanea eſt quam ultima parte libri adjunxit morbos iſtos methodica curandi ratio, eaque fini præmiſſa univerſæ artis medicæ epitome, quaſi medicis medicumq; ob finem hiſtoriæ illæ ſint annotatæ. Omnia poſtremo phyſice pariter ac medice in libris veteris & novi teſtamenti ſcripta illuſtrare voluit Johannes de Mey editis Medioburgi ante hos decem annos *commentariis phyſicis* quadripartitis: ſed in quibus non tam ſuam ſcientiam declaravit quam alienas ſententias exſcripſit, idque nullo fere delectu, novitate præcipue opinionum pellectus. Exemplo ſunto vel ſola illa quæ de febribus ex Thomæ Campanellæ placitis retulit parte 1, cap. v, loco v: in validiſſimarum rationum & experientiæ judicium ipſomet in operis præfatione monitore propterea merito trahendus, niſi ſimulatque illud commendaverat ab eo ſtatim quaſi ſui oblitus feciſſet diſceſſionem.

Inſignem igitur iſtum naturalium medicarumque diſciplinarum uſum quum ſecum perpenderent nonnulli ex iis qui ſacris ſtudiis ſeſe dedere, pridem me adierunt, ut hoc in genere ducem me illis præberem, rogantes.

Quorum

Digitized by Google

Quorum quidem honeſtiſſimis deſideriis tanto promtius aſſenſi, quanto majus operæ pretium id fore ipſimet arbitrabantur, quantoque flagrantiori προθυμίᾳ in eadem illa divina μαθήματα ab in eunte ætate ego feror. Nec taman integram vel phyſicam vel medicinam proponere mihi animus eſt, nec ut id fieret illi petierunt. Nimis enim prolixum id foret, præterque neceſſitatem. Ne omnia quidem eo in Scripturis pertinentia nunc multum conſiderabimus. Sed in illis potiſſimum labor noſter occupabitur, quæ majoris momenti eſſe & ipſismet & mihi fuerit viſum. Ut tamen leviorum quoque ſimul habeatur ratio, omni diligentia à me proſpicietur. Ex hiſtoria ſane Evangelica cumprimis expendendi venient inſanabiles illi morbi, quorum curationes aliorumque mirabilium factorum frequentia Chriſtum reddiderunt omnium hominum θαυματυργόντατον. Qui iidem affectus quam maxime quoque docent, ſæpius iis ineſſe θεῖόν τι, quod jam olim Hippocrati memoratum varias deinde reperit interpretationes, nemo autem melius expoſuit Hieronymo Jordano, ipſiusmet illius vi poſtea ſurrepto, magno ſui deſiderio relicto, mihi præcipue, qui viro utebar amiciſſimo. Ceterum qui de omnibus hiſce rebus me differentem audire cupiunt, ad proximum Sabbati diem hora nona domi meæ convenient omnes, ut de hora aliisque ad negotium pertinentibus conſtituatur. Valete. Dominica XXIV à feſto τῆς ἐν μονάδι τριαγίας καὶ ὑπεραρρήτου τριάδος, CIↃ IↃC LXI.

PRO-

PROLEGOMENA.

ANteaquam naturalium medicarumq; rerum, quarum in ſacris & divinis libris mentio habetur, conſiderationem aggrediamur, haud abs re fore exiſtimamus, ſi nonnulla ad contemplationis iſtius meliorem rationem pertinentia præmittamus.

Et vulgo quidem quibuſvis diſciplinis talis doctrina præmitti ſolet, quam ad veterum mentem loquendo παιδείας ſeu προπαιδείας ſuo nomine appellamus; talem videlicet, quæ naturam & conſtitutionem propoſitæ diſciplinæ exponit, puta, qualis eſſentia ſit ſubjecti, quove modo ſub tractationem veniat, quænam porro harum cauſſæ, quomodo denique horum omnium juſta cognitio acquirenda ſit, quomodoque affectiones & accidentia de illo ſubjecto debeant demonſtrari. Quibus à nonnullis poſtremo loco rectiſſimè adjicitur tum recenſio tum etiam ἐπίκρισις omnium illorum vel ſaltem præcipuorum Scriptorum, qui in illo ſtudio hactenus verſati ſunt: ſimul etiam adnotatis, quæ ad varias controverſias & ſtatum alicujus doctrinæ faciunt, videlicet illis, ex quibus non duntaxat origo, ſed etiam progreſſus, variaque, ut ita dicam, fortuna, & demum hodierna facies eluceſcit.

Et verò cuilibet ad accuratiorem Philoſophandi rationem adſpiranti cumprimis conducet magis adhuc omnia illa perſpexiſſe, quæ ad παιδείαν, ſive univerſalem, ſive ſingulis diſci-

diſciplinis propriam, pertinent, quæque adeò ſint in illius officio. Quod ipſum præ omnibus aliis maximè præſtiterunt ſolidioris doctrinæ laude clariſſimi, tum Cæſar Cremoninus, Patavinæ Scholæ Profeſſor, tum Philippus Scherbius primus ille genuinæ philoſophandi rationis in Germania inſtaurator, hujusque diſcipulus & ſucceſſor Michaël Piccartus, uterque Academiæ Altorfinæ Doctor. Verum Cremonini quidem liber rariſſimus eſt inventu; Scherbii autem theſes, ceu ipſemet appellavit, comparent in volumine theſium ipſius philoſophicarum; ſicuti Piccarti in præclaro opere Philoſophiæ Altorfinæ. Quamvis tamen non diſſimulandum ſit, iſtiuſmodi doctrinam προπαιδευτικὴν rectius à diſcipulo afferri, quam ut tum primum, quando aliqua diſciplina ipſi proponenda eſt, ipſi explicetur. Debet videlicet genuinus cujusvis doctrinæ auditor jam tum noviſſe, quænam ad hanc vel illam diſciplinam, quam quiſpiam docendam ſuſcipit, pertineant vel non: adeoque jam idoneus eſſe ad judicandum, num Magiſter ſuus officio ſuo ſatisfecerit, vel non; num item intra fines ſuos ſeſe continuerit, an verò fuerit extra oleas, quod dicitur, divagatus. Verùm licet accuratè in diſciplinis progrediendo illud omninò fieri par eſſet: prout tamen vulgo ab omni ævo doctrinarum ſtudia tractari ſolent, ſufficit, ſi illud non negligatur.

Ceterum tali quidem præliminari doctrina nunc nequaquam nobis arbitramur eſſe opus, tum quod propoſiti noſtri ratio non illud ita omni ex parte videatur poſtulare, tum etiam quod præcipua huc facientia jam tum adducta ſint in Programmate. Quapropter nec de Scriptoribus etiam, qui hoc in genere aliquid præſtiterunt, nunc vel verbo aliquid addemus, jam tum opera illa defuncti. Tantum de principiis ſive inſtrumentis quorum ope omne hoc

negotium

Digitized by Google

negotium expediendum veniet, ut quædam afferantur, non videtur eſſe de nihilo; præſertim quoniam hæc vulgo minus juſtè videntur obſervari, & non deſunt, qui & experientiam ſive ſenſuum judicium, & ratiocinationem ab omni S. Scripturæ interpretatione videntur excludere.

Sunt igitur duo cujuslibet in univerſum doctrinæ comparandæ inſtrumenta: Ratio videlicet & Experientia, ceu illa non ſemel appellat Galenus; quæ usq; adeo indiſſolubili nexu cohærent, ut alterutro deficiente omnis doctrina manca ſit & imperfecta. Et quidem Senſus circa quæ verſentur, circa quæ itidem Ratio ſit occupata, neminem temere fugit. Quapropter etiam de illius utriusq; officio nunc nihil quicquam afferemus; nec etiam de experientia, quomodo illa videlicet acquirenda ſit; nec etiam de recta ratiocinatione ſive demonſtratione nunc aliquid producemus: præſertim quoniam utrumque tum aliunde addiſci poteſt, tum præcipue quoque ex libro de Civili prudentia Cl. noſtri Conringii, præterea verò & à nobis quoque jam alias aliquanto fuſius hoc eſt actum, quum integram naturalem philoſophiam tractaremus. De eo tamen ut aliquid afferatur res poſtulat, num videlicet etiam ſenſibus tutò quis debeat fidem habere, præſertim quoniam hodie quoque non deſunt, qui non exiguas hac in re turbas excitarunt.

Et inter priſcos quidem Philoſophos primus omnium ignorantiam videtur profeſſus eſſe Heraclitus Epheſius, cui deinde nonulli etiam alii adſenſum præbuerunt, donec Arceſilas ſeu Arceſilaus, mediæ Academiæ conditor, majori applauſu idem non dubitavit diſſeminare. Unde porrò factum eſt, ut hæc ipſa ſtolida dogmata tandem peculiarem etiam ſectam pepererint, Scepticorum videlicet, quam poſtmodum multis modis inſtauravit Pyrrho. Quin imò eo usque ſtultitiæ eſt progreſſum, ut profeſſio illa

 igno-

Digitized by Google

ignorantiæ in certas etiam quaſdam regulas & diſciplinam fuerit redacta. Quos τόπους ſummatim recenſet Diogenes Laërtius libro IX. in Pyrrhone, fuſiſſimè autem expoſuit Sextus Empiricus libris ὑποτυπώσεων Πυῤῥωνείων conſcriptis. Quamvis autem usque adeo late diſſeminata fuerit illa ſchola, poſtea tamen ſenſim ſponte ſua corruit & exſtincta eſt. Neque verò temere quempiam inſecutis temporibus per quamplurima ſecula reperire eſt, qui idem docuerit, usque dum non ita pridem plane geminum quid, quamvis ad ſpeciem longe ſubtilius, in publicum ſparſit Renatus Carteſius. Hic videlicet non ſimpliciter quidem ſenſibus fidem abnegavit, nihilominus tamen ipſorummet judicio non protinus eſſe ſtandum, ſed *dubitandum*, (hac enim voce præcipuè utitur,) aſſeruit.

Quamvis autem hi omnes quique illis affinia vel olim prodiderunt, vel hodie venditant, non præcisè quidem ſenſuum fidem in dubium vocent, ſed alii expreſſius, alii minus clarè, Heraclitus etiam res duntaxat ſciri poſſe negarit, Xenophanes autem & alii τὰ πάντα ἀκατάληπτα eſſe dixerint, nihilo tamen minus rem rectè intuentibus, omnia tandem eo collimare apparet, quod ſenſuum judicium ſit fallax & incertum. Quod ſi enim nihil poteſt ſciri, adeoque de omnibus ambigendum eſt, non poteſt non prima iſtius rei culpa in ſenſus recurrere, utpotè à quibus omnis noſtra cognitio, cujuſcunque ſit generis, incipit.

Hac ſane de cauſa nunquam non reperti ſunt, qui iſtiuſmodi deliris auſis ſeſe opponerent. Et adverſus Xenophanem quidem Scepticosque veteres jam tum olim præclare diſputavit Ariſtocles, cujus hac de re diſſertationem ſervavit nobis libro XIV. nunquam ſatis laudati, (ſi illa, quæ de ſecundo & tertio in divinis principio ex ſubtili Arii

Arii impietate procul dubio hauſta inſperſit, excipias) προ-παρασκευῆς εὐαγγελικῆς operis Euſebius. Arceſilaum porrò paucis licet, egregiè tamen, jam olim exagitavit Lactantius lib. 3. divinarum inſtitutionum cap. 6. Omnium vero quorumvis Scepticorum illisque faventium placita nuper fuſiſſime juxta ac præclarè ſub examen vocavit libris de Scepticiſmo Martinus Schookius, vir variæ doctrinæ laude clariſſimus, quique unus ferme ex gente ſua hactenus fuit ingenio vere philoſophico.

Nimirum ſenſibus rectè ſeſe habentibus citra ſummam injuriam in ipſorummet conditorem redundantem fides denegari nequit. Quin hoc effato admiſſo, fruſtra utique eos conditos eſſe neceſſario veniet affirmandum. Præterea nihil omnino eſſet certum in univerſa hac rerum natura, atq; adeo cuncta denſiſſimis ignorantiæ tenebris eſſent involuta. Quæ pauca licet, ſatis valida tamen ſunt atque ſufficiunt monſtroſis illis dogmatibus confutandis, ita ut in re nimis manifeſta pluribus non ſit opus. Qui uberius tamen quæ huc faciunt ſcire deſiderat, cum alios tum imprimis librum tertium de Scepticiſmo operis Schookiani adeat. Nec tamen in eum ſenſum hæc rapienda ſunt, quaſi à nobis nihil non poſſet ſciri, adeoque ſenſus etiam noſtri nunquam decipi poſſint. Sed nobis de illis ſermo eſt, quæ videlicet ſufficienter ſatis debitoque modo nobis ſeſe cognoſcenda præbent.

Quod ſeorſim vero ad Carteſianam *dubitationem* pertinet, utique nec ipſi negamus, objecta etiam ſenſibilia nonnunquam non rectè à ſenſibus noſtris percipi. Cujus generis multa ſunt non duntaxat ex illis quæ nimis à ſenſibus noſtris remota ſunt, ſed ex iis quoque quæ propius inſpici poſſunt. Qualia cumprimis ſunt plurima ad figuras rerum & externam corporum minutiſſimorum præ-

cipue ſuperficiem pertinentia, utpote quæ ſæpenumero non niſi peculiaris inſtrumenti, ſ. microſcopii, ab uſu ſuo peculiariter ita dicti, beneficio rectè & exacte ab oculis noſtris deprehendi poſſint. Similiter etiam multa ſunt hujus generis, quæ ad opticam conſiderationem ſpectant. Quapropter etiam hactenus quidem Carteſiana illa dubitatio omninò locum quendam poteſt invenire. Sed nec ab aliis rebus illam ſimpliciter volumus excludere. At verò de nullo non ſenſuum objecto ambigere nihil utique aliud eſt, atque κριτήρια illa, quæ ipſemet Deus Opt. Max. nobis inſevit, manifeſto contemnere. Quinimo ipſemet Carteſius ſubinde à ſenſibus probationes ſuas ſolet arceſſere. Quod utique quid aliud eſt, atque vel oblitum eſſe ſuæ doctrinæ vel aliis fucum venditare. Utinam vero non majus aliquod plurimoſque latenter fallens damnum ex illa dubitatione prodiret! Quod ſi enim illa ſemel admiſſa fuerit, nihil utique facilius eſt, quàm non illa duntaxat, quæ ante oculos pedesque (quod dicitur) verſantur, in dubium vocare, ſed illa quoque, quæ longe ſublimioris generis ſunt, quorumque notitia à potentia longè ſuperiori nobis patefacta eſt. Puta omnia illa, quæ de animarum immortalitate, reſurrectione corporis, futuro omnium hominum Judicio, æternaque tam beatitudine quam damnatione, Chriſtiana noſtra religio credenda jubet. Et verò talia cum alibi tum in multorum magnorum principum aulis in utramq; partem diſputari, notius proh dolor! eſt, quam ut multis hoc loco ſit exponendum. Quamvis autem omnem iſtius rei culpam in unicum Carteſium conferre non poſſimus; nihilominus tamen bene multos etiam ex illis, quos excelſo loco Deus conſtituit, Carteſianis iſtis dogmatibus ſeductos eſſe ſeducique tanto minus dubitandum eſt, quanto magis ille tam vivus

Digitized by Google

quam mortuus principibus aliisque in magna dignitate conſtitutis & fuit & eſt carus.

Quin itaque ſenſuum rectè ſeſe habentium judicio omnino ſit ſtandum, extra omnem eſt controverſiam. Quandoquidem verò ſenſus non niſi ſingularia obſervant, & illa quæ manifeſta ſunt, & ab ipſis percipi poſſunt, propterea ratio inſuper requiritur, quæ & ex multis ſingularibus experimentis univerſalia cudat, & unum ex altero deducat, & ex ſenſu compertis rerum cauſas indaget. Atque ita utraque hæc conjuncta perficere demum apta ſunt cognitionem noſtram, quantum videlicet illa poteſt haberi. Id quod adeo verum eſt, ut hæc duo unica ſint κριτήρια quarumvis diſciplinarum. Quod prolixè oſtendere non eſt hujus loci, & merentur interim hac de re legi theſes de criteriis ſcientiarum Piccarti, quæ inter multas alias comparent in opere Philoſophiæ Altorfinæ.

Neque vero exiſtimandum eſt, κριτήρια illa ſeu cognitionis inſtrumenta in Scripturæ interpretatione locum non invenire. Nam 1. longè plurima ſunt in illa obvenientia, quæ ad aliud atque ſenſus judicium non pertinent. Multa porrò non niſi rationis beneficio poſſunt intelligi. Cujus generis utique etiam ſunt quæ non quidem apertè & αὐτολεξεὶ in divinis litteris habentur, per legitimam tamen ratiocinationem & poſſunt & debent inde deduci. Non pauca quidem in eodem ſacro codice divinitus revelata, adeoque noſtros ſenſus & rationem infinitis intervallis ſuperantia continentur. Qualia maximè ſunt, quæ ad dogmata fidem noſtram Chriſtianam concernentia pertinent, utpote quæ vel ſimpliciter humanum captum excedunt, vel ſaltem nunquam niſi per divinam patefactionem cognoſci & inveſtigari poſſunt. Ne ſic qui-

Digitized by Google

quidem tamen duo illa cognitionis noſtræ principia excluduntur. Ut enim tantum unicum illud nunc adducamus, conſtat ad aſſenſum his omnibus eaque annunciantibus præbendum plerumque in teſtimonium adhibita eſſe miracula. Jam verò hæc omnia & in ſenſus incurrunt & circa res ſenſibiles ſunt facta. Quando igitur talia inſolentia & naturæ ſibi relictæ vires longe excedentia contingere quis videt, non poteſt non niſi plane ſtupidus vel obduratus colligere, hæc proficiſci à facultate aliqua longe ſuperiori: atque ita non poteſt non adſenſum illis præbere, quem alias absque illis teſtimoniis denegaret. Scilicet ſummatim rem comprehendentibus hæc omnia ad ejuſmodi ſyllogiſmum commodiſſime licet reducere: Quicquid Deus dixit, hoc eſt indubitatò verum. Quam quidem majorem ſyllogiſmi enunciationem nemo unquam negare poterit. Ad minorem igitur, quod videlicet hoc vel illud Deus dixerit juſſeritve, probandam, potiſſimum imo unice faciunt quorum jam mentionem fecimus miracula. Ut proinde nec ſenſus nec ratio hinc plane excludi debeant. Id quod paucis tantum monere fuit viſum, latius enim hæc agitare inſtitutum non permittit.

AD

AD PRIMVM CAPVT GENESEOS.

CReationis hiſtoriam juſto modo conſideraturi tanto magis operam dare debemus, ne vel nimis divagemur vel etiam quædam eò pertinentia negligamus, quanto magis varias expoſitiones hæc ipſa res hactenus admiſit. Præterea verò ſi omnium illorum, qui ἑξαήμερον illuſtrare aggreſſi ſunt, tractationes inſpicimus, ingens in omnem partem occurrit diſcrimen, adeo ut quam maxime in id ſit incumbendum, ut quidnam de variantibus opinionibus ſit ſentiendum, ex ipſis genuinis fundamentis, quantum fieri poteſt, & ipſemet litteralis ſenſus poſtulat, arceſſatur.

Scilicet Deum eſſe Creatorem cœli & terræ optimum maximum, non tantùm ſubinde in ipſomet ſacro codice legitur, ſed etiam ſymbolo fidei noſtræ profitemur. At verò num ſimpliciter omnia, quæ ad univerſi hujus perfectionem pertinent, ſex primis diebus condita ſunt, proprie & ſtricte loquendo creata, hoc eſt plane ex nihilo nullaque que materia facta ſint, de eo diverſæ admodum ſunt doctorum virorum ſententiæ. Etenim quidam non niſi ſolam & unicam materiam hoc modo productam eſſe cenſent, ex qua deinceps tum ſimplicia tum compoſita corpora ſint

nata. Alii ex adverſo quicquid ſex illorum dierum ſpatio factum fuit, creatum eſſe exiſtimant. Nonnulli demum mediam ſententiam amplexi, quædam duntaxat ex nihilo condita eſſe, ita tamen ut rerum illarum omnium ortus ſupernaturalis fuerit, ſunt perſuaſi.

Præterea verò quòd alias, idem quàm maximè quoque in hujus longe maximi momenti quæſtionis enodatione cumprimis obſervandum videtur, ut videlicet ſecundum quatuor cauſſarum genera omnis hæc contemplatio inſtituatur. Verum de finali quidem cauſſa, propter quam totum hoc univerſum condere placuerit ſummo opifici, non neceſſum eſt eſſe ſollicitum, cum neminem fugiat, idipſum factum eſſe ex mero beneplacito ipſiuſmet δημιουργοῦ, utque ille omnipotentiam ſuam quàm maximè iſto modo declararet. Similiter de formali hujus univerſi cauſa non opus eſt vel verbum addere, cum illa non poſſit in ullo alio eſſè collocata, atque (ut ſummatim omnia comprehendam) quarumlibet hoc univerſo contentarum rerum tum admirabili varietate, tum convenienti quadam inter ſe harmonia. Quapropter de materiali & effectrice cauſa potiſſimum conſideratio fuerit inſtituenda. Et de hac quidem parum opus etiam fuerat multis agere, cum non ſit alia, quam ipſemet Deus Optimus Maximus. Sive enim cuncta ex nihilo eſſè facta, ſive quædam, ſive ſolam materiam cenſeas, vis tamen & potentia omnis in primam illam & ſummam, unicamve rerum cauſam redundat. Sola itaque reſtabit materialis cauſa, utpote cum hæc ſola quoque anſam dederit omnibus illis variantibus ſententiis. Cum autem hoc ipſum non poſſit expediri, multò minus diverſa illa circa hanc rem placita vel rectè intelligi, vel etiam decidi, multò minus adhuc univerſum negotium clarè exponi, niſi quid hac vel illa voce vel aliis veniat, vel etiam quid propriè illâ denote-

denotetur, prius fuerit conſtitutum, ante omnia etiam id à nobis fieri oportet. Quo itaque & res ipſa clarius exponi poſſit, & diverſarum adeo opinionum examen eo melius inſtitui, ſimul id unice danda opera, ne Moſaicæ narrationi adeoque rei ipſius veritati ulla fiat injuria, primò & ante omnia quid per materiam vel vulgò intelligatur, vel accuratius loquendo intelligi deceat, exponendum venit.

Et vulgarem quidem vocis ejus acceptionem ſi intuemur, plerique per materiam intelligunt ſubſtantiale quid, imò veram & per ſeſe (ut ita dicam) ſubſiſtentem ſubſtantiam. Quapropter etiam in Categoriarum recenſione ſubſtantiæ ſive ὀσίας prædicamento ſolet annumerari. Quin rem penitius inſpicientibus non duntaxat pro ſubſtantia quadam vulgo habetur, ſed etiam cum corpore ferè confunditur. Cum enim omnes res naturales ex materia & forma conſtent, formæ porro rerum dicantur eſſe occultæ, quod utique ſupereſt materiam, atque adeò ipſum τὸ σωματῶδες rerum, ſecundum illam quidem ſententiam, materiam conſtituere oportet.

Verum quo minus huic doctrinæ aſſenſum præbere poſſimus multa ſanè obſtant. 1. enim meliores quiq; ex antiquiſſimo pariter & recentiori ævo in longè alio ſenſu vocem iſtam uſurpaverunt. Quod quidem eò clarius explicari debet, quantò plus plerique omnes Latinè Philoſophantium cum veteribus loqui amant. Nec 2. tantum ſufficit noviſſe veterem recentioremque vocum ſeu terminorum acceptiones, ſed etiam ſimul, quid natura ipſa fieri permittat, accuratè eſt obſervandum. Multo autem magis adhuc veterum mentem rectè quis cognoſcere debet, ſi quidem cum illis ſentire atque doctrinam illorum amplexari velit. Sed nec illud 3. negandum, non pro lubitu cuivis licere vocum receptas ſignificationes immutare.

Digitized by Google

mutare. Præterquam enim quod non poſſit illud fieri absque magna diſciplinarum & doctrinarum perturbatione, utique ſtolidum vel certè arrogantis animi eſt, citra cauſſam aliquid innovare. Non ſecus videlicet atque nummorum pretium & valor non poteſt citra magnum aliquod reipubl. damnum adulterari, cum vocabula revera valeant ut nummi. Qua de re elegans exſtat diſſertatio Sexti Empirici l. 1. operis adverſus Mathematicos. Et quoque 4. res ipſa vulgaribus illis circa materiam & formam ſententiis non parum refragatur. Ut enim de formis res in eſſe ſuo conſtituentibus nihil dicamus, illis quæ poſt exponenda ſunt hanc operam reſervantes, materia ſanè in ſeſe quidem ſpectata ſubſtantiæ nullo modo poteſt accenſeri. Quæ enim per ſe ſubſiſtunt, (loquimur de rebus tantùm naturalibus) ſemper & nunquam non forma ſunt inſtructa. Nec etiam fieri poteſt, ut materia absque forma in univerſa rerum natura unquam poſſit dari. Num verò talis nuda & ſolitaria materia per omnipotentiam divinam dari poſſit, longè alterius generis eſt quæſtio: quamvis non tantum otioſa ſit, & nullam afferat utilitatem, ſed etiam nimium curioſa. Quicquid verò de hac re ſit, quodcunque in hac tota univerſitate datur, quinimò etiam in futuro dabitur, illud omne actualem formam obtinet. Jam verò ipſimet etiam illi ita de materiæ natura ſolent philoſophari, quod illa omnium formarum actu ſit expers, potentiam duntaxat obtinens ſucceſſione inſtituta illas recipiendi. Quo poſito, neceſſariò affirmandum venit, vel materiam per injuriam ad ſubſtantiarum claſſem referri, vel eandem nunquam non forma quadam ſubſtantiali actu ipſo eſſe donatam, quod tamen manifeſtò cum ipſorummet ita ſentientium dogmatibus pugnat. Eadem 5. ratio eſt, quare materia cum corpore nec poſſit nec debeat confundi.

fundi. Quum enim omne corpus ex materiæ & formæ conjunctione conſtituatur, nec ullum corpus dari poſſit quin ita ſe habeat, neceſſum eſt vulgares illas ſententias ſectantem iiſdem illis difficultatibus involvi. Quibus omnibus 6. demum & hoc addi poteſt, quod materia ſi quidem ad ſubſtantias referenda ſit, vel corpus debeat eſſe, vel res plane incorporea, quam propriè ſpiritualem vocamus. Jam autem poſterioris quidem generis illam eſſe, nemo ſanæ mentis, vel etiam rectis ſententiis imbutus, unquam poterit affirmare. Supererit igitur, ut cum ad res incorporeas non poſſit citra magnam abſurditatem referri, ut corporea aliqua ſit ſubſtantia, cum inter ſpirituales & corporeas ſubſtantias non detur medium aliquod genus: etiamſi non deſint ex antiquis Eccleſiæ Doctoribus, qui de Angelis talia ſenſerint. Et verò non niſi corporibus materiam competere, usque adeò clarum eſt, ut res ſpirituales vel incorporeæ vel immateriatæ ſoleant vocari. Nihilominus tamen materiam nequaquam eſſe corpus, in præcedentibus jam oſtendimus. Cum itaque materia nec Spiritus ſit, nec corpus, ſequitur ad ſubſtantiarum Categoriam propriè loquendo illam nullo modo referri poſſe.

Quum verò materia tale quid non ſit, definiendum jam fuerit, quid igitur ſit, & in quonam ejus eſſentia ſeu natura aut (ut Scholaſtici loquuntur) quidditas conſiſtat. Quod proinde ut commodè & perſpicuè fiat, conſideranda primum veniet materia generaliter & in ſemetipſa ſpectata. Quod quidem facientibus non poteſt utique per materiam aliud quid intelligi atque illud ex quo aliquid fit. Neque verò hoc ipſum ulla expoſitione indiget, cum communis uſus ſatis ſuperque hoc ipſum comprobet. Omne videlicet illud, ex quo aliquid quocunque modo producitur vel oritur, materiam ſolemus appellare. Quod ipſum

Digitized by Google

non duntaxat fit à Philoſophis, ſed etiam ab artificibus & omnibus illis, qui aliquid facere quovis demum modo illud fiat, dant operam. Talis autem (2) materia, quam Metaphyſicam rectè vocare poſſumus, planè ſeſe habet ad inſtar ſubſtantiæ primæ. Sicut enim hæc de nullo prædicatur, nec etiam ulli alteri tanquam ſubjecto ineſt, præterea quævis alia omnia vel de ea dicuntur ſeu prædicantur, vel etiam ipſi inſunt, atque ita ſubſtantia iſthæc prima aliis omnibus rebus ſubjicitur, (id quod dilucidè & copiosè perſequitur Ariſtoteles c. 5. Categor.) Sic etiam illa materia Metaphyſica ſeu prima de nullo alio tanquam ſubjecto prædicatur, nec alteri tanquam ſubjecto ineſt, omnia porrò quadantenus de ea dici poſſunt, & demum ipſa commune eſt omnium, non naturalium duntaxat, ſed quarumvis ex quibus ullo modo aliquid fieri poteſt, rerum ſubjectum. (3) porrò cum materia generatim ita dicta talis ſit, ſimul eo ipſo ſubintelligitur, ſiquidem materia illud eſt, ex quo aliquid fit, utique debere in ea etiam eſſe potentiam, ut hoc vel illud ex ea fieri poſſit. Alias enim nunquam ex ea aliquid fieret. Et verò hoc ipſum quoque usque adeò eſt notum, ut etiam omnes illi, qui tamen de natura ejus longè aliter ſentiunt & loquuntur, illud ipſum manifeſtò agnoſcant. Hinc ſanè eſt, quod nulli non de materia prima ita ſoleant diſſerere, quod potentiam habeat ad omnis generis formas ſucceſſivè recipiendas, atque ita ex ſeſe ad nullam certam quandam formam ſit determinata. Quocirca in potentialitate (ut ita loquamur) naturam ejus ſive eſſentiam conſiſtere, nullum eſt dubium. Quandoquidem vero (4) hæc eſt materia prima, hæcque ejus natura, facilè jam apparet, quid de materia ſecunda, quam vocant, ſit exiſtimandum. Cum enim omnis talis materia ſit actu aliquid & per ſe ſubſiſtens, adeoque

que certa quadam forma actu ipſo inſtructa, utique apparet, non niſi quadantenus & κατά τι duntaxat eam nomen illud poſſe ſuſtinere. Ita v. g. ſemen eſt actualis quædam ſubſtantia, adeoque ſua propriaque forma gaudens; nihilominus tamen, quatenus ex illo vel planta vel animal aliquod fieri poteſt, eatenus quoque materia eſt, & in ſola δυνάμει ſeu potentia conſtitutum. Quod ſi enim potentia illa jam in actum deducta fuerit, non manet utique potentia illa, ſed formâ actu ipſo introductâ neceſſariò ceſſat. Ideoque omnis materia ſecunda non niſi ὁμωνύμως talis eſt: utut vulgò ex hujus pſius natura primæ & in ſeſe conſideratæ materiæ eſſentia ſoleat definiri. Magno tamen errore. Quin aliunde non ſunt omnes illæ variæ de materiæ natura ſententiæ prognatæ, niſi ex confuſione illa ſecundæ cum prima. Quaſi videlicet quod in ſecunda illa deprehenditur, primæ etiam omni modo conveniat: cum tamen ſecunda illa certo tantum habito reſpectu nomen illud commereatur. Accedit autem (5) & hoc cumprimis obſervandum, utpote noſtro negotio apprime conducens, quod illa potentia, quam materiæ competere ejusdemque naturam abſolvere diximus, non ſit unius generis. Alia enim eſt naturalis, quæ facit ut ex materia ſponte & vi inſita aliquid producatur. Alia ex adverſo eſt, quam obedientialem vocant, per quam fit, ut ex ea quidem aliquid fiat & oriatur, verum ita tamen, ut materiæ ſibi relictæ viribus id neutiquam fieri poſſit, ſed ad illud producendum virtutis ſeu facultatis ſuperioris virtus requiratur. Diſcrimen ſanè illud ipſum usque adeo eſt notum, tantique momenti, ut in ipſiſmet S. litteris clariſſima ejus mentio fiat.

Quale

Nam ſicut matres gravidæ ſunt fœtibus, ſic ipſe mundus gravidus eſt cauſis naſcentium. Auguſtin. *l.3. de Trinit. c.9.*

Quale eſt v. g. illud, quod Chriſtus Judæis genus ſuum ab Abrahamo deductum gloriantibus reſpondet, poſſe Deum etiam ex lapidibus ſemen Abrahæ ſuſcitare. Quod propterea notari debet, ne quis ſtolidè à naturali potentia ad divinam faciat argumentationem. Quin imo hac differentia obſervata, diſtingui & dijudicari poteſt inter opera naturaliter & miraculoſè facta, quod tamen cum aliàs in humana vita plurimisque rebus obvenientibus, tum etiam in S. Scripturæ lectione ſubinde fieri par eſt. Hiſce autem omnibus ad eum modum ſeſe habentibus non obſcurum eſt, materiam eſſe illud, quod Ariſtoteles vocare ſolet τὸ μὴ τόδε τι ὂν δυνάμει ἐς, quod nempe materia ſit illud, de quo nondum quidem dici poteſt, quod hoc aliquid ſit, (δεικτικῶς ſc. loquendo,) quod tamen potentia ſit hoc aliquid, h. e. quod certum quid ex ea fieri poſſit. Simul etiam patet, non ſubſtantiis duntaxat ſed accidentibus quoque ſuam eſſe materiam. Quæ omnia uberius pertractare nunc quidem non opus eſt. Plura autem ad hoc negotium ſufficientia cum apud alios reperiuntur, tum inprimis apud Alexandrum Aphrodiſ. l. 1. de anima, utpote qui ex omnibus antiquis Ariſtotelicis interpretibus & clariſſimè & copioſiſſimè materiæ naturam expoſuerit. Quibus omninò adjungenda ſunt quæ Ampliſſim. noſter Conringius diſputavit lib. Inſtit. naturalium. Nos etiam quæ conciſius nunc tradidimus, fuſius perſequemur lexico, quod in omnia Ariſtotelis opera paramus. Ut itaque nunc quidem nihil aliud ſuperfuerit, quàm ut hæc ipſa ad creationis conſiderationem accommodemus.

QUIBUS ita conſtitutis, age jam conſideremus Moſaicam de univerſi hujus fabrica narrationem. Et (1) quidem non ſolùm vel nudam aliquam materiam eſſe creatam, ex ipſis S. Scriptoris verbis manifeſtò colligitur. Expreſſè enim

enim dicitur Deus opt. max. creaſſe cœlum & terram. Quæ verba quo minus in literali & genuino ſuo ſenſu accipiamus, nulla ſuppetit ratio. Tantò magis autem illud liquet, quantò plus ex ſuperius allatis apparet, materiam non eſſe aliquid per ſe ſubſiſtens, nec absque forma unquam in rerum natura eam poſſe reperiri & exiſtere.

(2) Verùm non cœlum duntaxat & terram, ſed omnia ſimplicia corpora, h. e. cœlum & quatuor elementa eſſe creata ſimpliciter, manifeſtò colligitur ex opere primi, ſecundi & tertii diei, utpote cum expanſum diſtinctum deinde fuerit, porrò etiam aqua in unum locum collecta, atque ita ab arida, cui antea ſuperfuſa erat, ſejuncta. Per expanſum autem ſimul aërem, atque ita quicquid inter terræ & maris ſuperficiem ad cœlum usque propriè dictum intereſt, intelligi, non minus clarè licet verba penitius conſideranti cognoſcere.

(3) Ipſa illa ſimplicia corpora & elementa primò fuiſſe quodammodo confuſa, atque deinceps ita primum disjuncta, ut unicuique ſuus locus aſſignatus fuerit, ſimiliter luculenter apparet, cumprimis ex ℣. 2. 6. 7. 9. & 10. cap. 1. Geneſ. Atque hæc fuit illa ἄμορφος ὕλη, ex qua mundum conditum eſſe Sapient. 11. v. 18. ſcribitur. Quamvis loquendi iſthæc ratio neſcio quid Platonicum ſapere videatur. Quod vel ex illis apparet, quæ Valleſius ad iſtum locum diſputavit. Nec dubitandum eſt, hinc ortum ſumſiſſe Chaos, priſcis Philoſophis pariter ac Poëtis decantatum. Id quod fuſius oſtendimus diſſertationibus de orig. fabular. Gentil.

(4) Porrò ſtirpes, animalia, adeoque ipſum hominem, quinimò ſtellas quoque non eſſe creata, h. e. ex nihilo

C nullaque

O aqua, quæ antea à Deo creata es, ſuper quam ante ipſius natalem mundi ſanctus ſpiritus ferebatur. Optatus *l. VI. p. 176. ed. Comm.*

nullaque materia producta. manifeſtum itidem eſt textum inſpicienti; utpote cum juſſerit Deus terram proferre herbas & arbores, ſimiliter aquas, volucres, & animantia reptilia, porro pecudes & perfectiora animalia, hominem demum ipſemet Deus fabricaverit ex limo ſeu gleba terræ. Stellas verò ex cœlo productas eſſe non quidem expreßè & diſertis verbis affirmatur; facile tamen colligitur ex eo, quod cœlo jam perfecto primum ſint in eo collocatæ. Quamvis autem ex aliquo, hoc eſt, ex materia iſta quidem ſint producta, nequaquam tamen id factum eſt ex materia aliqua naturali, h. e. quod tum tellus, tum aqua, tum etiam cœlum potentiam inſitam habuerint, quæ faceret, ut omnia illa inde poſſent oriri. Sed eatenus illa materiam ex qua habuerunt, ut tantum potentia mere obedientialis in materia illa fuerit. Non aliter videlicet productio ſeſe habuit, quam quomodo alias per artificis manum ex aliqua re aliquid ſolet confici. Nec enim v. g. ligno potentia ineſt naturalis, ut ex illo vel ſtatua fiat aut etiam ædificium, vel navis. Similiter nec metallis ineſt vis inſita, ut ex iis vel nummi vel vaſa omnis generis conficiantur. Pari modo ſicuti ex lino non niſi per accedens artificium pannus aliquis poteſt parari, vel ex panno porro veſtis conſuitur & paratur. Sicut itaque hiſce & ſimilibus aliis omnibus mera potentia, quam obedientialem vocare liceat, ineſt; ſic etiam terra & aqua in ſtirpium & animalium productione ſeſe habuerunt: quod expendens Optatus Milevitanus Epiſcopus lib. v. contra Donatiſt. p. 237. edit. Commel. ita ſcripſit: *Tu, frater Parmeniane, in laude aquæ Geneſiorum lectione dixiſti, aquas primum vivas animas edidiſſe: numquid ſua ſponte eas generare potuerunt? nunquid non & illic fuerat Deus Pater, qui jubere dignatus eſt, qui dixit, Educant aquæ natantia, volatilia, &c. Quod ſi ſine operante fieret quod*

factum eſt, diceret Deus, Educite aquæ. Ibi erat ergo Filius Dei, qui operabatur. Ibi erat Spiritus ſanctus, ſicuti lectum eſt. Et Spiritus Dei ſuperferebatur ſuper aquas. &c. Aut, ſi ſine vobis nihil debet licere Trinitati, revocate piſces in originem. Jam volantes aves fructibus mergite, ſi vobis abſentibus nihil debet Trinitas operari.

Num vero (5) quævis ſimpliciter viventia tum & illo modo fuerint prognata, difficilius eſt definitu. Nec enim de quibusvis ſive animalibus ſive plantis iſta intelligenda eſſe, ex verbis Moſaicis promtè colligitur. Ita ut etiam de perfectionibus tantum illa accipienda eſſe omnino videatur. Quod ipſum maxime ex eo *primo* probatur, quod Deus illis conditis benedixerit, h. e. vim indiderit, beneficio ſeminis ſpeciem ſuam propagandi. Confirmatur autem hoc ipſum *deinde* eo quoque, quod omnia illa, quæ in viventium genere perfectiora ſunt, non niſi per generationem propagentur, nec propterea ubivis producantur omnia. At vero quæ imperfectiora ſunt quæ videlicet æquivoce (ceu loquimur) generantur, hoc eſt, absque ſemine, ex mera putrefactione, ſponte ſua, accedente duntaxat naturali efficiente cauſſa, naſcuntur. Quod ipſum manifeſtiſſime apparet tempore verno & æſtivo, quum videlicet & viliores plantæ & fere infiniti generis vermiculi & inſecta ſolis vi, ex aquæ, aëris & terræ commixtione producuntur. Quapropter de illis quidem fortaſſis non intelligendum eſt, quod de plantarum & de animalium prima origine Moſes commemorat. Quidquid tamen ſit, ſive tum absque exceptione omnia generis illius fuerint condita, ſive perfectiora duntaxat, quæque non niſi per ſemen progenerantur: hoc tamen certum eſt, naturalem & ſpontaneum viliorum animalculorum ortum & ipſum ad omnipotentiam divinam referendum eſſe; qui primis ſim-

Digitized by Google

plicibus corporibus eorumque miſtioni vim illam tunc abſque dubio etiam conceſſit atque indidit: de quo cum paulò poſt plura nobis dicenda veniant, hoc loco afferemus Auguſtini verba, pluſcula illa quidem, ſed quæ præſens negotium egregiè illuſtrare poterunt: *Nonnulla etiam de minutiſſimis animalibus quæſtio eſt, utrum in primis rerum mortalium conditionibus creata ſint, an ex conſequentibus rerum mortalium corruptionibus? Nam pleraq; eorum aut de vivorum corporum vitiis, vel purgamentis, vel exhalationibus, aut cadaverum tabe gignuntur: quædam etiam de corruptionibus fructuum, quorum omnium non poſſumus recte dicere Deum non eſſe creatorem. Ineſt enim omnibus quoddam naturæ ſui generis decus, ſic ut in his major ſit admiratio benè conſiderantis, & laus uberior omnipotentis artificis: qui omnia in ſapientia fecit, qui à fine usq; ad finem pertendens, & ſuaviter cuncta diſponens, nec ea ipſa rerum noviſſima, quæ pro ſui generis ordine diſſolvuntur, & quorum diſſolutionem ex pœna noſtræ mortalitatis horremus, relinquit informia: ſed creat minima corpore, acuta ſenſu animantia: ut majore attentione ſtupeamus agilitatem muſcæ volantis, quam magnitudinem jumenti gradientis, ampliusq; miremur opera formicarum, quam onera camelorum. Sed utrum in primis, ut dixi, rerum conditionibus, quæ iſto ſex dierum ordine creatæ narrantur, hæc quoque minima inſtituta credamus, an poſtea conſequentibus corruptibilium corporum ſolutionibus, hoc quæritur. Et poteſt quidem dici ea minutiſſima, quæ vel ex aquis, vel terris oriuntur tunc creata: in quibus etiam illa non abſurde intelliguntur, quæ naſcuntur ex iis quæ terra germinante orta ſunt. Et quia præceſſerant conditionem non ſolum animalium, ſed etiam lunarium. Et quia terræ continuantur per radicum connexionem, unde illo die quô apparuit arida, exorta ſunt, ut potius ad ſupplementum habitationis,*

quam

quam ad numerum habitatorum pertinere intelligerentur. Cætera vero quæ de animalium gignuntur corporibus, & maxime eſt abſurdiſſimum dicere tunc creata, cum animalia ipſa creata ſunt: niſi quia inerat jam in omnibus animalis corporibus vis quædam naturalis & quaſi præſeminata materia, & quodammodo initiata primordia futurorum animalium, quæ de corruptionibus talium corporum pro ſuo quæq; genere ac differentiis erant exortura, per adminiſtrationem ineffabilem omnia movente incommutabili creatore. Lib. III. de Gen. ad lit. cap. 13.

Nec illud (6) conſtat, num lapides & metalla tum etiam fuerint condita, an verò poſt demum, potentiâ illâ jam elementis inſitâ, genita ſint. Quinimò planè hoc ignoratur, cum in neutram partem tantillum in S. Codice huc faciens reperiatur. Cum itaque Deus illud nos voluerit ignorare, longè etiam ſatius eſt à curioſa hujus rei inveſtigatione planè abſtinere: præſertim cum primi quarumvis rerum naturalium ortus planè ſupernaturali vi ceperint: ſive tum ſtatim ſimul omnia ſint Dei nutu producta, ſive poſt genita.

Quibus (7) denique etiam illud addi poteſt: videri omninò in prima ſtatim primorum ſimplicium corporum creatione vel ſaltem priusquam ſingula in ſuum ſibi aſſignatum locum ſecederent, miſtionem tamen quandam terræ vel aquæ cum reliquis elementis eſſe factam: videlicet tum cœpiſſe ſubterraneos ignes, & præterea ignem quendam tum aquæ tum etiam terræ eſſe inditum; licet magis illius vis ſit inhibita quam in illis ignibus ſubterraneis, quorum calor vel flammeus eſt, vel alias nimis manifeſtò ſenſus ferit. Poſtea enim, factâ jam ſingulorum elementorum ſeparatione, non ita videtur veroſimile eſſe, id contigiſſe. Quicquid tamen ſit, nihil horum certò licet definire.

Ut itaque ſummatim omnia comprehendamus: quædam ſimpliciter creata, & ex nihilo producta; quædam autem

Digitized by Google

tem ex aliquo quidem ſive materia, vi tamen planè ſupernaturali adeoque præter potentiam naturalem iſtius materiæ, condita ſunt; quædam denique poſt quidem videntur cœpiſſe, ita tamen ut vis illa elementis in primo ſuo ortu quaſi ſit impreſſa & indita: ſolam autem quandam materiam eſſe creatam, vel ex ea naturaliter reliqua deinceps orta eſſe, nullo modo licet affirmare.

APPENDIX.

Omnia ſimul creata eſſe disertè ſcribitur Syrac. XVIII, 1. quæ verba cum hiſtoriâ Geneſcos, quæ mundum ſex dierum intervallo conditum teſtatur pugnare videntur. Sed Gregorius Magnus, ita difficultatem tollit Expoſit. in Job. lib. XXXII. cap. 10. *Rurſum quærendum eſt, quomodo Deus cuncta ſimul condidit: dum Moſes ſex dierum mutatione variante diſtinctè creata deſcribat? Quod tamen citius agnoſcimus, ſi ipſas cauſas originum ſubtiliter indagamus. Rerum quippe ſubſtantia ſimul creata eſt: ſed ſimul ſpecies formata non eſt: & quod ſimul extitit per ſubſtantiam materiæ, non ſimul apparuit per ſpeciem formæ.* Eandem quæſtionem movet Auguſtinus lib. IV. de Geneſ. ad lit. cap. 34. *Imo vero & prius atq. poſterius per ſex dies, quæ commemorata ſunt, facta ſunt, & ſimul omnia facta ſunt: quia & hoc ſcriptura, quæ per memoratos dies narrat opera Dei, & illa quæ ſimul cum dicit feciſſe omnia verax eſt: utraq. una eſt, quia uno ſpiritu veritatis inſpirante ſcripta eſt.* Sed dubium omne ſolvere conatur ejuſdem operis lib. V. cap. 23. *Sicut autem in ipſo grano inviſibiliter erant omnia ſimul, quo per tempora in arborem ſurgerent: ita & ipſe mundus cogitandus eſt, cum Deus ſimul omnia creavit, habuiſſe ſimul omnia quæ in illo cum illo facta ſunt, quando factus eſt dies: non ſolum cœlum cum ſole & luna & ſyderibus, quorum ſpecies manet motu rotabili, & abyſſus, quæ velut inconſtantes motus patiuntur,*

atq;

Digitized by Google

atq; inferius adjuncta partem alteram mundo conferunt: ſed etiam illa quæ aqua & terra produxit potentialiter atq; cauſaliter, priusquam per temporum moras ita exorirentur, quomodo nobis jam nota ſunt in eis operibus, quæ Deus usq; nunc operatur. Confer eundem lib. VI. capp. IV. V. VI.

Ad Geneſ. I. ℣. 1. 2.

Hiſtoriam de prima rerum origine poſtquam generatim conſideravimus, ſeorſim quædam veniunt diſpicienda: quæ inter primo ſtatim loco ſeſe offert illa quæſtio, num cœlum & quatuor Elementa primò omnium ſint facta, an verò *Lux* fuerit omnium prima? Quæ res tamen adeò caret magnâ difficultate, ut attentè tantum verba Moſis conſideranti non poſſit eſſe obſcura. Poſtquam videlicet Moſes ſimplicium illorum corporum ortum paucis, perſpicuè tamen, expoſuit, tum demum ſubjungit; Deum juſſiſſe, ut lux præſtò eſſet. Ut proinde quinque ſimplicia iſthæc corpora primò omnium, atque adeo ante ipſam lucem fuerint condita. Ex quibus porrò deinceps cum reliqua facta ſint, eatenus quoque illa materiam reliquis præbuiſſe dici poſſunt: ita tamen, ut hæc non fuerit naturalis. Porrò per *Cœlum* non duntaxat intelligendum eſſe illud, quod communiter ita vocamus, quatuor videlicet elementis oppoſitum, ſed aërem quoq; ex ſeqq. verſiculis manifeſtum eſt. Nullum etiam eſt dubium, ignem quoq; elementarem eò referri debere: licet ejus non fiat diſerta mentio, & non deſint inter doctiores, qui eum negaverint, hodieque negent. Quo minus autem id mirum eſſe debeat, facit illud, quod nec aëris nominatim Moſes faciat mentionem, cum tamen illum eſſe nemo unquam mentis compos poſſit negare. Scil. per *expanſum* uno nomine comprehenditur omne illud, quicquid eſt ſupra ſuperficiem terræ & aquæ, & quæcunque levia ſunt, & undiqua-

Digitized by Google

diquaque circa terrenum globum diſperſa. Quod cum ab aliis doctiſſimis viris ſit luculenter jam expoſitum, eò minus etiam opus eſt nos rei tam manifeſtæ quicquam addere. Sicut autem *cœli* nomine illa continentur, ita ſub *terra* aquam quoq; intelligendam eſſe, itidem in propatulo eſt. Uno verbo: per *cœlum* intelliguntur omnia corpora, quæ levia ſunt, & non ita coactæ ſubſtantiæ: per *terram* autem, quod grave eſt & infimum univerſi locum obtinet. Atque hoc ſensû Deus alias dicitur feciſſe cœlum ac terram Eſ. xxxvii, 16. Alias autem easque varias tum harum vocum tum univerſæ hujus hiſtoriæ expoſitiones, quas in utroque tam imperfecto quam integro *de Geneſi ad literam* opere interrogando duntaxat, nihilque definiendo proponit Auguſtinus, nunc non moror.

Ad Geneſ. I. ℣. 3. 4. & 5.

Secundo itaque loco conſiderandam ſeſe offert *Lux*, de quâ illud potiſſimum & ante omnia quæri poteſt, num Lux ſola ſit facta, videlicet abſtractè loquendo: an verò hoc intelligendum ſit concretive, ut loquuntur; quod videlicet lucidum corpus, h. e. cui lux eſſentialiter competat, ſit factum

---

Scriptura ex cœlo & terrâ mundum conſtare paſſim ſignificat. Gen. I, I. xiv, 19. xxiv, 3 Exod xxxi, 17. Deut. xxx, 19. xxxi, 28. xxxii, 1. II. Reg. xix, 15. II. Chronic. vi, 14. Pſ. cxxxiv, 4. Eſ. xxxvii, 16. lxvi, 1. Ier. xxxii, 17. Adj. ad lib. Eſth. xiii, 10. it ad Daniel. xiv, 4. I. Maccab. ii, 37. II. Maccab. vii, 28. Iudith. vi, 15. xiii, 24. Matth. v, 18. xxiv, 35. Marc. xiii, 27. 31. Luc. x, 21. xvi, 17. xxi, 33. Act. vii, 49. Eph. i, 10. iii, 15. Philipp. ii, 10. Coloſſ. i, 16. 20. II. Pet. iii. 5. 7. 10 13. Matth xxiii, 15. θάλασσα καὶ ξηρὰ contradiſtinguuntur. Apud Apollonium iv. Argonaut. v. 1320. 1359 ὑγρὴ opponitur χθονί. Plutarch. l. περὶ εὐθυμίας. ὑγρᾶς καὶ τραφερᾶς βασιλεὺς Ἆγις μ' ἀνέθηκεν. Et jam olim Homerus Iliad. v. 308 ἐπὶ τραφερήν τε καὶ ὑγρήν Nec non Apollon. lib. 4. Argonaut. v. 281. ὑγρῆς τε τραφερῆς τε πείρατ' ἐπισσόμενοι.

ctum; præſertim cum qualitatem ſolitariam abs naturali ſuo ſubjecto eſſe conditam, non videatur poſſe dici. Nec enim nunc quicquam tractabimus illam controverſiam, an qualitas aliqua ſine ſubſtantia ſeu ſubjecto poſſit dari; cujus affirmativam multis tenentibus, nos plane oppoſitam ſententiam alibi tuemur. Quo tamen hujus loci genuino intellectui ſatisfieri poſſit, ſaltem illud videtur conſtituendum, an lumen ſive lux ſit corpus, an verò mera & nuda aliqua qualitas. De qua re omninò lectu digna eſt diſputatio *de quæſtione, an lumen ſit corpus*, à doctiſſimo Viro Melch. Zeidlero ante aliquot annos Jenæ habita. Cui omnino digna eſſet quæ adjungatur diſputatio *de luce & lumine* Julii Cæſaris Lagalla, quæ adjuncta eſt ejuſdem diſputationi *de phænomenis in orbe lunæ*, Venetiis anno hujus ſæculi XII. excuſa. Nos quibus prolixioribus eſſe nunc quidem non licet, ita habendum arbitramur. I. notandum eſt, lucem poſſe duplici modo vocari, ut vel ſola qualitas attendatur, vel etiam ſimul ipſum corpus, cui lux inhæret & competit. Quare etiam nihil vulgatius eſt, non duntaxat in communi loquendi more, ſed etiam apud Philoſophos, & omnes illos, qui rerum naturas ſpeculantur & tractant. Deinde verò cum neminem lateat, lucem nunquam non alteri tanquam ſubjecto ineſſe; ita quoque hoc loco idem intelligendum, extra dubitationem videtur debere poni. Accedit autem porrò, in oppoſitione lucis & tenebrarum lucem quidem diei, tenebras verò nocti aſſignari. Ut tum quoque viciſſitudo quædam inter utriusque motum alternum ante luminaria cœli condita videatur interceſſiſſe. Quod ipſum non videtur fuiſſe factum, niſi forte ſimul ipſis corporibus lucidis & opacis motis. Vallesius quidem lu-

 cem

Solis, lunæ, ſtellarum motum, multas in interioribus imitari, ſed IMITARI. ſcribit Fernel. *l. 2. de abd. rer. cauſſ. c. 18. p. 259. & ſeq.*

Sirac. XLIII, 4. Luth. die Sonne giebt ſo hellen Glantz von ſich, daß ſie die Augen blendet. Franc. Junius: *refulgens radiis infuſcat oculos. In Græcis eſt: ἐκλάμπων ἀκτῖνας ἀμαυροῖ ὀφθαλμούς.* Nempe *ſolis lux major ineſt, quem munere largo Excultum genitor plene dignatus honore*; ceu loquitur Hilarius Arelatenſis *metro in Geneſin.* Ambroſius *l. 1. offic. c. 14. Sol qui miniſter luminis eſt. Jubar ſolis parvos igniculos ſtellarum obruit & obſcurat.* Hieron. *ad Euſtoch. epitaph. Paulæ matr. p. 170. d.*

cem illam igni cum reliquis elementis quaſi confuſo & permixto non obſcurè aſſignat. Verum præterquam quod lux non ſit eſſentialis igni, quod notum eſt, & nos aliàs quoque fuſius oſtendimus; utique non videtur illud exactè illis convenire, quæ textus accuratè inſpectus ſuppeditat. Fortaſſis itaque dicendum fuerit, lucem illam diſperſam tum fuiſſe per expanſum iſtud, quæ poſtmodum in unum collecta ſtellis, & cumprimis Soli, videtur eſſe dicata.

Ad Geneſ. I. ℣. 7. & 8.

Quamvis per *cœlum* h. l. non duntaxat ſit illud intelligendum, quod κατ' ἐξοχὴν ita vocamus, ſed etiam ſimul illud, quicquid ſub eo eſt ad ſuperficiem usque globi terreni pertingens; ceu etiam paulò ante fuit monitum: non abs re tamen de cœlo propriè dicto h. l. & poteſt & debet agi, & ante omnia quidem, cujusnam illud ſit ſubſtantiæ. Et verò hic quàm maximè locum habet illa querela Ariſtoteliis, cœlum nimis à ſenſibus remotum eſſe conqueſti. Quamvis

---

Cœli nomine comprehenditur quicquid eſt ſupra globum hunc terraqueum. Unde univerſum mundum ex cœlò terrâ & mari conſtare dicitur Ex. XX. 11. Pſ. CXXXVI. 6. CXLVI. 6. Nehem. IX. 6. Syr. XVI. 17. Tob. VIII 7. Orat Manaſſ. 2. 3. Act. IV. 24. Apoc. X 6. XIV. 7. XXI: Inde cœli vocantur numero multitudinis, cum terra & mare ſingulari dici ſoleant. Quoniam vero terra eſt baſis, hinc ejus voce globus terraqueus denotatur Act. XVII. 24. 1. Corinth. VIII. 5. De expanſo cœli extant loca Eſ. XL. 22. XLIV. 24. XLV. 12. LI. 13. Jer. X. 12. Zach. XII. 1.

vis enim plurima ad motum & figuram ſiderum pertinentia debeantur felicibus inventis Aſtronomorum ſuperioris & noſtri ævi, ita ut omnem retrò antiquitatem iſthoc nomine jure poſſint provocare: nihilominus tamen hæc ipſa cum reliquis, quæ noſtram cognitionem fugiunt collata, valdè exigua ſunt. Quapropter etiam conjecturis potius hic indulgendum, vel de iis non niſi ex illis, quæ nobis propiora ſunt, cognitis, licet aliquid affirmare. Non recenſebimus jam veterum varia hac de re placita, quorum alii hujus, alii illius elementi naturam cœlum referre aſſeruerunt: cum tamen illa partim abſurda ſint, partim etiam vulgaribus tantum opinionibus innixa. Hoc quidem videtur extra omnem controverſiam ponendum, ſubſtantiam illius longè ſubtiliſſimam & tenuiſſimam eſſe: Quod ipſum etiam cùm alii aſſeruerunt, tum Conradus Aslachus Bergenſis Norvegianus *lib.2.de natura cœli triplicis cap.12.& ſeqq.* oſtendit: Cujus quidem argumenta partim à radiorum refractione & Opticis, partim ex Cometarum & ſtellarum motu, qui corporum penetrantiam excludit, deſumta ſunt. Procul autem dubio accuratè non minus quàm eleganter hanc rem tractaſſet libris, quos pollicitus erat, de cœlo Libertus Fromondus, in priori editione operis longe elegantiſſimi Meteorologici, niſi poſt ſtudiis aliis animo applicato, mentem mutaſſet.

Ad verſ. 11. & 12.

Sicuti & plantas & animalia perfectiora, creatis jam primis ſimplicibus corporibus, ex illis tanquam materia,

Non duntaxat hæc verba capienda ſunt de plantis in ſicco provenientibus, ſed etiam de aquaticis. Nam & harum radix ſolo ſive terræ inhæret, licet aquis folia ſupernatent, etiam ipſa lenticula. Præterea intelligenda hæc ſunt ſimul etiam de illis ſtirpibus, quæ nec fructum nec ſemen ferunt. Harum autem peculiariter fit mentio, quod majoris ſint uſus, & homini brutisque alimenta præbeant, & ſint plurimæ,

Digitized by Google

minimè tamen naturali, producta eſſe ſuprà oſtendimus: ſic quoque vis illa ſpeciem ſuam per ſemen propagandi tum illis ſimiliter virtute divina & ſupernaturali fuit indita, ita ut facultatem illam ſingula ſecundum ſpeciem acceperint, quæ poſtea eis facta eſt naturalis. Quemadmodum enim nec terra nec aqua potentiam in ſeſe habebat plantas & animalia progignendi vel emittendi: ita quoque nullis illorum ex tellure & aqua conditis competebat vel ſemen ad ſpeciei ſuæ conſervationem neceſſarium gignere vel ferre. Atque ita *congrua ſuis originibus genera rerum etiam de ſeminibus facit, qui ipſa ſemina ſine ſeminibus fecit*: ceu Auguſtinus loquitur *epiſt. CLVII. to. 2. col. 713. D.*

Præterea verò cum quædam ſint, quæ absque ſemine manifeſto quidem gignantur, etiam tum primis illis corporibus vis talis videtur conceſſa, ut ex illorum concurrente operatione aliquid produceretur, citra tale aliquod ſemen. Quomodo videmus v. g. glebam terræ, quæ, quamdiu vis ſeminis in ea abſcondita, erat ſterilis, nihilque proferebat, poſtquam ſoli expoſita fuerit & auris, herbas varii generis paſſim proferre; cum tamen tale ſemen à nemine fuerit jactum. Ut neceſſum fuerit, calore ſolis & aëris superveniente, latitantia quædam quaſi ſemina ex potentia in actum deduci.

Ad Gen. I. verſ. 14. & ſeqq.

Ad hujus loci illuſtrationem notandum eſt: (1) Licet omnino vero ſit ſimillimum, cœlum propriè dictum ſubtiliſſimæ tenuiſſimæque ſubſtantiæ eſſe; ceu paulò ante fuit indicatum: nihilominus tamen differentiam aliquam hac quoque in re in cœlo deprehendi, ita ut nonnullæ ejus partes omninò ſint compactiores. Cujus generis luminaria præcipuè eſſe, nequaquam eſt dubitandum. Quod ſi enim ejusdem cum reliquo eſſent tenuitatis, nec lumen in

eis

eis commodè poſſet ſervari, nec fieri poſſet, quin lumen tranſmitterent eſſentque diaphana. Præterea quoque quam maximè id obſervare licet in luna, omni illo tempore, quo plena luce non gaudet, vel etiam cum inter ſolem & terrenum globum interpoſita, lumen illius nobis intercipit. Nec aliò referenda videntur tum galaxia, tùm nubeculæ illæ, quæ circa polum antarcticum nunquam non conſpiciuntur. Nequid præterea dicamus de maculis, quæ non tantum in luna, ſed etiam in ſole, beneficio tubi Optici â Galilæo de Galilæis inventi, obſervantur.

Deinde lucem illam, quæ prius erat diffuſa per univerſum expanſum, poſtea coactam quaſi & ſtellis inditam eſſe, paulò ante itidem jam aſſeruimus. Id quod prolixè oſtendere non eſt neceſſum. Placuit autem idem illud quibusdam ex antiquis Eccleſiæ doctoribus.

Omnium ſtellarum communis appellatio eſt, quod dicantur *luminaria* Gen. I. v. 14. Immenſa earundem multitudo frequenter vocatur *exercitus cœli*, II. Reg. XXI. 3. 5. II. Chron. XXXIII. 3. 5. Eſ. XIII. 10. XLV. 12. Jerem. VIII. 2. XIX. 3. XXXI. 35. Dan. VIII. 10. Joël. II. 10. III. 15. Sophon. I. 5. Denotat tamen *exercitus cœli* aliquando etiam angelos, ut obſervat Hieronymus ad Algaſiam qu. 10. ubi adductis verbis Stephani Act. VII. 42. *Converſus autem Deus tradidit eos, ut colerent militiam cœli;* ſubjungit: *Militia autem cœli non tantum ſol appellatur, & luna, & aſtra rutilantia, ſed & omnis angelica multitudo eorumque exercitus, qui Hebraicè appellatur ſabaoth, i. e. virtutum, ſive exercituum.*

Sol & Luna frequentiſſimè à ſtellis diſtingui ſolent Gen. I. 16. Pſ. CXXXVI. 8. 9. CXLVIII. 3. Addit ad Daniel. III. 62. 63. I. Corinth. XV. 41. Apoc. VI. 12. 13. VIII. 12.

Quis neget verna temperie tepefieri interiora terrarum, quas glacies hyberna conſtrinxerat? Norunt ergò arborum occulta vim caloris vel frigoris, adeò ut radices arborum aut urantur frigore, aut fotu ſolis vireſcant. Denique ubi clementia cœli arriſerit, varios terra ſe fundit in fructus. Ambroſius *lib. 1. offic. cap. 14.* Qui quod hic affirmavit ne-

gare videri poſſit: Hexaëm lib. 3. cap. 6. *Germinet terra herbam fœni. Hoc eſt: ipſa per ſe germinet terra, nullum alterius quærat auxilium, non cujusquam indigeat miniſterio. Solent enim plerique dicere: Niſi clementior ſolis calor tepefecerit terras & quodammodo radiis ſuis foverit, non poteſt germinare terra. Et propterea gentes divinum honorem deputant ſoli, quod virtute caloris ſui terrarum penetret ſinus, ſparſaque foveat ſemina, vel rigentes gelu venas arborum relaxet. Audi ergo Deum velut hanc vocem emittentem: Conticeſcat ineptus ſermo hominum qui futurus eſt, faceſſat vana opinio. Antequam ſolis fiat luminare, herba naſcatur: antiquior ejus ſit prærogativa, quam ſolis. Ne error hominum convaleſcat, germinet prius terra, quam fotus ſolis accipiat. Sciant omnes ſolem auctorem non eſſe naſcentium. Dei clementia terram relaxat: Dei indulgentia prorumpere facit fructus.* Similia leguntur lib. IV. capp. I. & II. Sed explicandus omnino eſt ex eo, quod ejusdem operis lib. IV. cap. V. ſcripſit. *Cum vero ex meridianis decidens partibus ſuper terram redit, noctis ac diei exæquat tempora, & quo magis moras ſuis adjungit curſibus, eo paulatim temperiem aëris hujus reducit, & revocat aurarum clementiam: quæ fovens omnia repetendos cogit in partus, ut terra germinet, ac reſoluta ſulcis ſemina reviviſcant, vireſcant arbores, ad perpetuitatem quoque conſervandi generis eorum quæ vel in terris ſunt, vel aquis gaudent, annuis fœtibus ſucceſſio propagetur. Aſt ubi ad æſtivas converſiones in ſeptentrionem ſe ſubrigit, ſpacia diurna producit, noctis vero arctat & adſtringit. Itaque quo magis uſu aſſiduo aëre huic copulatur atque miſcetur, eo amplius & ipſum aërem vaporat, & terrarum exſiccat humorem: adoleſcere facit ſemina, & tanquam in ſuccos viriles matureſcere poma ſilvarum.* Eodem modo Lunæ illam vim ſimul adſcribere & denegare videri poſſit lib. eod. cap. 7.

3. Demum, cum ſolem lunamque, tum in univerſum omnes ſtellas & ſidera certum aliquem ob finem, cum ipſo cælo, eſſe condita, nemo eſt qui ignoret. Nec tantum ob gloriam Dei ejusque omnipotentiam declarandam illud factum eſſe exiſtimandum eſt, ſed etiam propter varias rerum mixtiones generationesque in inferiori hoc mundo, planum eſt. Quapropter proximum potius fuerit indagare, in

re, in quonam vis illa ſit ſita. Et quidem variis variè de hac re ſentientibus nos non poſſumus aliud aſſerere, atque & motu & lumine omne illud, quicquid in hunc ſibi ſubjectum mundum facere valent, peragi. De qua re omnino operæ pretium eſt expendere, quæ accuratè in hanc rem diſputavit Johannes Picus Mirandulæ Comes *lib. 3.* divini *adverſus Aſtrologos* operis *cap. 4. & ſeqq.* ut nos rei illi diutius nunc immorari non ſit opus. Præterea ad temporum diſtinctionem ſunt condita. Quod diſerte heic affirmat conditor, & repetitur Pſ. CIV, 19; Jerem. XXXI, 35. 36. XXXIII, 20. & 25.

Ad Geneſ. II. verſ. 6.

Rectè DelRio h. l. *Vaporem vi ſua ſol è terra ſurſum attrahebat & levabat, & vapor poſtea noctis frigore ſpiſſatus in nubem rorulentam cogebatur; deniq; præ gravi humore reſolutus in terram guttatim decidebat, & ſuperficiem penetrabat, donec Deus terræ pluvias cœpit elargiri.* Eundem roris uſum eleganter deprædicavit Ambroſius *Hexaëm lib. IV. cap. 7.* cujus verba hic ſubjiciemus: *Habet etiam* (Luna) *pleraq; à fratre* (Sole) *diſtincta, ut quem toto die calor humorem terræ exſiccat: eundem exiguo noctis tempore ros reponat. Nam & ipſa luna larga roris aſſeritur. Denique cum ſerenior nox eſt & luna pernox, tunc largior ros fertur arva perfundere: Et plerig; ſub aëre quieſcentes quo magis ſub lumine fuiſſent lunæ, eò plus humoris ſe capite collegiſſe ſenſerunt. Unde & in Canticis canticorum Chriſtus dicit ad Eccleſiam: Quoniam caput meum repletum eſt rore, & crines mei guttis noctis.* Imprimis verò gratiſſimi ac valde opportuni ſunt nocturni vapores locis calidis, quæ diurno æſtu peruſta refrigerant, ac ſimul plantis quibusdam producendis apta reddunt. Sanè de Ægypto teſtis fide dignus eſt P. Bellonius Obſervat. lib. II. cap. 54. *Nebulæ iſtic,* loqui-

tur

tur de Ægypto, *Septembri menſe non minus humectant, quàm in Europa rores Maji*. De Arabia item refert Chriſtophorus à **Neuſchiz** Itiner. part. III. lib. 4. cap. 6. De Africa jam olim idem annotavit Theophraſtus lib. IV. hiſtor. Plant. cap. 4. ubi cum ex aliorum relatione commemoraſſet, *parte Africæ, quâ non pluit, pleraq; alia, & palmas magnas atq; optimas provenire*: paulo poſt ſubjungit: *eandem arborem, & ſi quid aliud in aridis proveniat, partim eo quod de terra aſcendit, partim rore nutriri*. America quoque ſub Zona torridâ ubi noctes toto anno duodecim circiter horarum ſpacia complent, nocturnum aërem à gelido rore frigidiſſimum eſſe conſtat teſtimonio Joſephi Acoſtæ lib. 3. cap. 21. In Meſopotamia, menſe Octobri ineunte, nocturnum frigus cum copioſiori rore ſatis moleſtum ſibi fuiſſe refertLeonhart **Rauwolff** Medicus Auguſtanus Itiner. part. II. cap. V. Atq; huc ſine dubio Jacobus Patriarcha, cum in eadem Meſopotamia Labano ſerviret, reſpexit, quando interdiu æſtu, noctu verò gelu ſeſe aduſtum eſſe conqueritur Gen. XXXI. 4.

Ad Geneſ. III. verſ. 16.

Manifeſto ex hocloco colligitur, ſi Eva non peccaſſet, abſque ulla difficultate ſexum illum liberos fuiſſe pariturum. Poſtquam autem mandatum divinum eſſet transgreſſa, pœna illa & ipſi & univerſo ſexui eſt impoſita. Hucque omninò reſpexit Apoſtolus 1. Tit. II. v. ultimo: *Mulierem ſalvatum iri, ſi maneat in fide & caſtitate. pariendo liberos.* Scilicet ſicut Adamo inter alia impoſitum eſt, ut agrum colat, duroque labore ſibi victum paret: ſic fœminino ſexui peculiariter hoc eſt impoſitum, ut partus doloribus conflictaretur. Et ſicut per multas tribulationes ingrediendum eſt in regnum cœlorum Act. XIV, 22. ſic ſeorſim mulieribus per ὠδῖνας. Unde dolores illi κατ' ἐξοχὴν dicuntur ὠδῖνες, & Germanice **die Wehe**.

Conſiſtit

Conſiſtit autem id ipſum in ſicciori temperie & conſtitutione partium illarum, quæ in partu maximè laborant. Qua etiam de cauſſa provectiores ætate mulieres difficiliores partus experiri ſolent quam juvenculæ; unde quoq; primus partus ſemper ſolet eſſet difficillimus. Haud immeritò ergo ad eum facilitandum commodiſſimè illa uſurpantur, quæ illam ſiccitatem poſſunt corrigere. Certè non absq; cauſſa tum primiparæ, tum alias parturientis mulieris dolores Deus ipſemet in exemplum ſolet adducere, graviſſimas pœnas humano generi irrogaturus. Vid. Eſ. LXVI. 7. 8. 9.

Conſiſtit videlicet partus facilitas in commoda fœtus excluſione. Ad quam tum multa alia requiruntur, tum præcipue etiam locorum muliebrium talis conſtitutio, quæ tranſitum fœtus & facilè & citò permittat. Ut id ipſum autem fieri poſſit, partim requiritur uteri diſtenſio partim circumjectorum oſſium mollities quædam, & disjunctio. Quamvis enim hoc poſterius nonnulli etiam ex præſtantisſimis Anatomicis ſeu Medicis negare voluerint: ipſa tamen res usque adeò eſt certa, ut de ea dubitari non poſſit. Cui ipſi maximè adſtipulantur etiam illa, quæ & puerperis ſolent accidere, & in corporum diſſectione non multò poſt partum inſtituta ad oculum licet monſtrare. Etiamſi verò αὐτοψία hoc non doceret, ipſa tamen partus conſtitutio omnino idipſum ſuadet & exigit. Ut dicendum fuerit, illos qui idipſum negant, vel ejuſmodi corpora nunquam ſecuiſſe, aut inſpexiſſe, vel alias hujus rei juſta cognitione fu-

E iſſe

Notandum quoque apprime venit diſcrimen inter modum quo homo, & eum quo reliqua naturalia fuerunt producta; de quo eleganter Hilarius *enarr. pſ. CXVIII. joth, c. 864. b.* ita ſcribit: *In creatione mundi omnia verbo effecta eſſe accepimus, cum dicitur; Fiat firmamentum, &c. Verum de homine ita Deus locutus eſt &c. Habet ergo primam hanc origo hominis dignitatem, quod ei proprium fuit de ſe ante tractari.*

Et quæ ſequuntur plura. *Stipendia militiæ ſua filii ſunt.* Ambroſ. *l. 1. commentar. in Luc. p. 13.*

iſſe deſtitutos. De qua omni re cum alii, tum Guilhelmus Harveus, primus ille orbicularis motus ſanguinis aſſertor, legi meretur, Exercit. de Generat. Animal. 58. p. 195. it. diſſ. de partu p. 270. edit. Londin. Omnium tamen feliciſſimè procedit partus, ſi parturienti matri fœtus quoque quaſi ſubſidiarias operas præſtet, uterique clauſtra recludens in lucem prodire conetur. Multum ergo melior eſt vivi fœtus quam mortui excluſio, dum iſte quidem proprio niſu exitum molitur: quæ, aliaque plura eruditè edocuit laudatus Anglus diſp. de Partu p. 266. ſeq. Et negotium omne nos fuſius in Inſtitutionibus Phyſiologicis aliquando expendemus. Atque hinc nata eſt elegans Syracidæ ſententia cap. XIX. 11. *Simul atq; audierit ſermonem ſtultus, parturiet non aliter, quam gravida, premente fœtu.*

Quamvis verò difficultas illa partûs in pœnam irrogata ſit Evæ univerſoque ſexui ejus; non tamen exiſtimandum eſt, quaſi bruta animalia nulla cum difficultate ſuos partus edant; cum notiſſimum ſit, etiam illa ſæpenumero valdè laborare, quin etiam manifeſtò periclitari, ſæpè etiam difficilius parere, niſi adveniat manus humana. Nihilominus tamen non ita illud in contentionem venire poteſt, cum illa difficultate partus, cui humanum genus eſt obnoxium. In quo & ipſo tamen magnum viciſſim hujus reſpectu eſt diſcrimen, cum quædam mulieres citò laboribus iſtis defungantur, quædam parum afficiantur, ita ut vel eopſe, vel altero, vel tertio à partu die ad conſueta ſua munia ſine ullo impedimento redire poſſint. Memorabile iſtius rei exemplum, quod ab Illuſtriſſimo Viro acceperat, commemorat Harveus ſub finem bis jam laudatæ exercit. p. 276. haud indignum quod ejuſdem verbis huc trans-

transferatur: *Mulier gravida maritum in caſtris ſtipendia facientem comitabatur: cumq; exercitus quotidie in alia loca migraret, fortè à minori fluminis occurſu impeditus per horam ſubſtitit: ſimulq; gravida hæc ingruente jam partu ad arbuſta & vepreta proxima ſeceſſit, ſolaq; citra ullius obſtetricis operam, aliumve apparatum, duos infantes peperit: quos ad flumen deferens, aquâ viva proluit, ſeque ipſa lavit: quo facto gemellos rudi velamine incluſos humeris geſtavit, eodemque die nudis pedibus, ut erat, exercitum comitata, duodecim mille paſſuum iter fecit, idque ſine ullo valetudinis diſpendio.* Sed hæc cum rariora ſint, nihil derogant generali illi divinæ interminationi: præſertim cum nullum ſit dubium, Deum hac parte miſeris nonnullis muliercu-lis, alio præcipuè auxilio fere deſtitutis, ſuccurrere. Nec propterea promiſcuè ab omnibus mulieribus ſimile robur corporis citra maximam injuriam poteſt exigi. Quod tamen à nonnullis duro, & prope ferino, animo maritis non usque quaque obſervatur. Quoniam ergò hæc ita ſeſe habent, graviſſimè liberos monet Syracides VII. 29, 30. *Honorato patrem toto corde, & dolorum matris tuæ ne obliviſcaris. Memento quod per eos natus es, quam gratiam referes pro meritis, quæ ab illis accepiſti.* Quam admonitionem etſi veteres Eccleſiæ Doctores ſubinde repetant, vix tamen quisquam luculentius eam propoſuit, Ambroſiô, cujus hæc ſunt verba maximè παθητικά: *Paſce patrem tuum, paſce matrem tuam. Etſi paveris matrem, adhuc non reddidiſti dolores, non reddiſti cruciatus, quos pro te paſſa eſt, non reddidiſti obſequia, quibus te illa geſtavit: non reddidiſti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera: non reddidiſti famem, quam pro te toleravit, ne quid quod tibi noxium eſſet, ederet, ne quid, quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa jejunavit, tibi manducavit: tibi illa,*

quem volvit, cibum non accepit: tibi quem noluit, cibum ſumſit. Tibi vigilavit, tibi flevit, & tu illam egere pateris? Lib. VII. comment. in Luc. p. 138.

Ad Geneſ. III. verſ. 18. 19.

Vetus jam olim fuit Manichæorum querela, *Si Deus juſſit naſci de terrâ herbam pabuli, & lignum fructiferum, quis juſſit naſci tantas herbas vel ſpinoſas vel venenoſas, quæ ad pabulum non proficiunt, & tam multa ligna quæ nullum fructum ferunt;* uti eandem proponit Auguſtinus *lib. I. de Geneſi contra Manich. cap. 13. p. 815.* Sed illico ſolidam ſubjungit reſponſionem: *Dicendum eſt, quod per peccatum hominis terra maledicta ſit, ut ſpinas pareret: non ut ipſas pœnas ſentiret, quæ ſine ſenſu eſt, ſed ut peccati humani crimen ſemper hominibus ante oculos poneret, quo admonerentur aliquando averti à peccatis, & ad Dei præcepta converti. Herbæ autem venenoſæ ad pœnam, vel ad exercitationem mortalium creatæ ſunt: & hoc totum propter peccatum, quia mortales poſt peccatum facti ſumus.* Vicina huic & altera eſt eorundem Hæreticorum quæſtio, quam orthodoxis proponebant, ut idem ille cap. 16. refert: *Solent etiam Manichæi movere quæſtionem, ut dicant: quid opus erat, ut tam multa animalia Deus faceret, ſive in aquis, ſive in terra, quæ hominibus non ſunt neceſſaria? Multa etiam pernicioſa ſunt & timenda.* Sed idem ille Patrum Latinorum doctiſſimus elegantem iis reponit reſponſionem, dum ita ſubjicit: *Si in alicujus opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa inſtrumenta, quorum cauſas ignorat, &, ſi multum eſt inſipiens, ſuperflua putat. Jam vero ſi in fornacem incautus ceciderit, aut ferramento aliquo acuto, cum id male tractat, ſeipſum vulneraverit, etiam pernicioſa & noxia exiſtimat ibi eſſe multa. Quorum tamen uſum quoniam novit artifex, inſipientiam ejus irridet, & verba inepta non curans, officinam ſuam*

ſuam conſtanter exercet. Et tamen tam ſtulti ſunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare, quæ ignorant, ſed cum ea viderint, credant eſſe neceſſaria, & propter uſus aliquos inſtituta: in hoc autem mundo cujus conditor & adminiſtrator prædicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum cauſas non vident, & in operibus atq; inſtrumentis omnipotentis artificis volunt ſe videri ſcire quod neſciunt. Plura ibidem S. Doctor ſubjungit lectu digniſſima, cum quibus omninò conferri merentur, quæ in eandem rem non multò poſt ſcripſit Theodoretus Cyri Epiſcopus *Quæſt. in Geneſin. cap. 18.* unde ſaltem hæc pauca excerpimus, uti quidem eadem vertit Joh. Picus, in Senatu Pariſienſi quondam præſes: *Præterea & ad alia beſtiæ non ſunt nobis inutiles. Nam ex eis Medici pharmaca non pauca componunt, ad morbos propulſandos. Nemo igitur beſtiis per ſe conſideratis de creatore conqueratur, ſed utilitatem inveſtiget.* Utiliter hic legi quoque poterit Lipſius Phyſiolog. Stoic. lib. 1. diſſ. 13.

Ad Geneſ. VII.

Diluvij conſideratio in tribus ferè capitibus conſiſtit. Nam (1) exponendum venit diluvium ipſum in ſe ſpectatum, quale videlicet illud fuerit, (2) adjungendum, num reapſe fuerit univerſale, ad univerſum videlicet terrarum orbem pertinens, an vero particulare tantum, & non niſi in quibusdam duntaxat locis factum. Quibus (3) commodè ſubjunguntur illa, quæ eluvionem illam fuerint conſecuta.

Quod igitur ad *primum* illud attinet, cujusnam videlicet naturæ & generis illud fuerit, non poteſt ea res eſſe obſcura hiſtoriam ſacram accuratius inſpicienti. Primò enim cœlitus aquarum vim in terram fuiſſe effuſam, diſertis verbis aſſeritur. Deinde non fuiſſe pluviam illam vul-

garem, ſimliter eſt manifeſtum; utpote quum ſacer ſcriptor *Cataractas* cæli ſeſe aperuiſſe commemoret. Ut ita fuerit hoc ipſum intelligendum de effuſiſſimo quodam imbre, & præcipiti nimbo, tali videlicet, quem nos vulgo einen Wolckenbruch ſolemus appellare: qualis ſcilicet paſſim aliàs in nonnullis locis obtigit, qualisque nuper Malackam, Hiſpaniæ celeberrimum emporium, tantum non obruit. Tertiò quàm maximè attendenda eſt continuitas illa decidentium imbrium per ipſos quadraginta dies & noctes, absque ulla intermiſſione facta. Quibus ex causſis porrò factum eſt, ut altiſſimorum montium juga aquis mergerentur. Præterea ſupernaturalem fuiſſe illum Cataclyſmum, ſimiliter extra controverſiam eſt. Quamvis enim omni hominum memoria hinc inde nonnullis locis ſimile quid acciderit; tamen cum hoc quidem diluvio nullum illorum in contentionem venire poteſt. Nam non niſi certis quibusdam, iisque totius terrarum orbis reſpectu minimis, locis id contigit, nunquam etiam ad tantum tempus perduravit. Quanquam tamen & ipſæ illæ particulares eluviones quam ſæpiſſime ſupernaturalem agnoſcant cauſſam, apud me extra dubium eſt: perinde ut omnes magnæ ac publicæ calamitates, quum Deus diſerte ſeſe eas immittere aſſeveret, etiam quæ privatim quosdam afficiunt. Num verò maxima illa aquarum copia tum creata, an verò ex aëre in aquam commutato producta fuerit, vix licet definire. Nihil etiam refert, utrum quis forte malit aſſerere, quum certum ſit, factum id eſſe per cauſſas planè ſupernaturales.

Num *porrò* vis illa aquarum univerſum terrarum orbem inundaverit, an certas duntaxat quasdam regiones, in hiſtoria quidem Moſaica totidem verbis non definitur: prius tamen omninò videtur vero magis conſentaneum: & ſolidis argu-

argumentis haut ita pridem oſtendit Georgius Hornius, Vir doctisſimus, *Diſſertatione de vera ætate mundi* cap. 13. ac *defenſione diſſertationis* 36. Et quidem (1) in argumentum meritò adduci poteſt illud, ex quo jam Veterum aliqui magnum aliquod diluvium aliquando contigiſſe, non vanè collegerunt: quod videlicet in multis locis, non modò in ſummis montium cacuminibus, ſed quoque in abditis terræ viſceribus cochleæ & teſtudines reperiantur, quæ aliàs non niſi in mari ſolent reperiri: nec id ipſu i in exiguo numero, vel ſparſim; ſed in ſatis magna copia, ut neceſſum ſit, animalia illa ad loca illa aliquando fuiſſe delata. Res nota ex Herodoto *Euterp.* Ariſtotele *1. Meteor. ult.* Plutarch. *lib. de Iſ. & Oſir.* Strabone *Geograph.* Philone *de mundi perennitate, lib. 1.* Melâ *lib. 1. c. 1.* Ovid. *Metam. lib. 14.* ac aliis plurimis; quorum nonnullorum nec vana eſt conjectura, mare aliquando ſummos montium vertices aquis ſuis inundaſſe. Id verò memorabile eſt, non pauca ejusmodi corpora, poſt tot jam elapſa ſecula, inveniri prorſus in lapides conſolidata: lapidum certe duritiem ac formam ſic imitantia, ut non paucis, viris etiam doctisſimis, perſuaſum fuerit, hæc talia ſub terra ſive per naturæ luſus facta, ſive geniorum opera producta fuiſſe. Quanquam autem quædam eorum talia forte ſint, omnia tamen eandem habere originem mihi equidem non fit veroſimile. Certè corpora nonnulla naturali ſponte, aut ſucco lapideſcente firmata in ſaxeam duritiem converti, experientiâ hodie ſatis eſt comprobatum. De oſtreis quidem & conchyliis, aliisq; in lapidem converſis ſolerter judicavit diligens naturæ perſcrutator Andr. Cæſalpinus *lib. 2. de Metallicis cap. 44.* *Non offendemus, ſi dicamus hujusmodi corpora non pauca, ſed multa, imò innumerabilia, eandem prorſus configurationem cum viventibus habentia, viventia*

extitiſſe,

extitiſſe, ſed poſtea aut ſponte, aut ob aliquem ſuccum lapideſcentem concreviſſe in lapideam ſubſtantiam. Præcipue id patiuntur oſtrearum, & cæterarum ſimilium teſtæ, & oſſa animalium, & ligna quædam intra terram diu condita: cum enim minus putreſcant, interim lapideſcunt ob terream ſubſtantiam. Atque hac ratione ſine dubio extitere rupes ac montes è teſtis in lapidem mutatis, quos in Schirwania ac Tageſthania, Mediæ regionibus, ſupereſſe refert αὐτόπτης Olearius *lib. 4. Itiner. Moſcov. Perſ. c. 17. & lib. 6. c. 13.* Nec alium ortum habent conchyliorum cruſtatorumque infinita genera, quæ ex montibus Vicentinis erui, in lapidis duritiem firmata, commemorat Thomas Bartholinus *lib. de Unicornu cap. 37.* Quid de Gloſſopetra dicamus, quam *in terrâ non naſci, ſed deficiente luna cœlo decidere* ſatis craſſa ſuperſtitione credebat Plinius *Hiſt. Nat. lib. 37. cap. 9.* Et quoque apud credulam potius plebem, quam eruditos, fidem invenit vulgaris traditio, quâ in Maltha inſulâ *linguæ* ejuſmodi *ſerpentum colore cinericio* magna copia *in ipſis ſcopulis creſcere* ob eam cauſam dicuntur, *quod cum Apoſtolus Paulus ſarmenta in ignem conjiceret, vipera manu adhæreſcente, id genus reptilium maledixerit, ex quo ſubito ſerpentes cum veneno vitam poſtmodum depoſuerint, linguis & oculis lapſu temporis petrefactis,* quod ipſum pie potius ſe credere, quam tuto affirmare malle ſcribit eruditus hujus inſulæ, D. Pauli naufragio nobilitatæ, deſcriptor Burch. Niderſtedt *cap. 6.* quo ipſo adhuc annotavit; *illud* tamen *certum* eſſe, *non ſolùm oculos & linguas hic inveniri, ſed etiam dentes, mammillas, & capita, veris illis ſerpentum membris ſimillima, quæ in ipſis rupibus veluti in quodam ſeminario ſuccreſcunt, cum adultiori ætate majus quoq; incrementum recipientia.* (2) Meritò adducitur illud, quod paſſim terrarum, non priſco duntaxat ævo, ſed hoc ipſo quoque

que tempore, effodiantur oſſa planè immenſæ & monſtroſæ magnitudinis, non pauca etiam, quæ peregrinorum animalium eſſe neceſſe eſt. Plura ejuſmodi legere eſt in præclaro opere Athanaſii Kircheri, viri induſtrii, quod ille *Mundum* ſubterraneum inſcripſit. Nos ſaltem illud notamus, quod in ipſis Sereniſſimorum noſtrorum Principum ditionibus ſeſe offert, in nobili prope Elbingerodam ſpecu ſubterraneo, Bumanni vulgò dicto, in quo *oſſa & dentes tam hominum, quam animalium aliorum, maximæ ac tantæ magnitudinis reperiri, ut vix credi poſſit, vixiſſe unquam tantæ magnitudinis homines, aut animalia ulla*, jam ſuperiori ſeculo ſcripſit Conradus Geſnerus *lib. de rerum foſſilium, lapidum, & gemmarum maximè, figuris & ſimilitudinibus*. cap. 11. Pluſcula quidem ſunt, ſed quæ argumenti hujus vim ſatis perſpicuam reddunt, verba τοῦ πάνυ Conringii noſtri lib. in quem *de Antiquiſſimo ſtatu Helmſtadii & viciniæ conjecturas* ſuas, certè non vanas, congeſſit, p. 10, quæ idcircò viſum eſt ſubjungere: *Oſſa illa, quæ diximus Gigantea, in cavernas illas deveniſſe vi quadam immani aquarum, indicant ignotorum planè huic orbi variorum animalium humanis illis inconditè commiſta alia, & ipſa illorum ſpecuum ratio, quæ non admittit talia, niſi per confuſam aliquam violentiam. — Habeo verò ipſemet eruta ex ſpecubus illis oſſa brutorum, & vidi tractavíq; alia, quæ nulli Germaniæ quidem noſtræ animali conveniunt. Ex longinquis igitur locis iſthuc advecta eſſe neceſſum eſt. Id quod quanam alia ratione fieri potuerit, quam ipſiusmet oceani aquarum violentiâ non apparet. Neq; verò alio ex orbe aliter huc transferri quid temere potuit. Jam verò Oceanus ejuſmodi aliquem impetum in haſce usq; terras facere non valuit, niſi excurſione factâ ſuper omnes haſce terras & montibus ſatis magnis ſuperatis. Quale quid unquam contigiſſe niſi in cataclyſmo*

clyſmo Noachico, ut omni caret teſtimonio, ita & ſimilitudine veri. Atque idem de Animalium oſſibus terra obrutis & in lapidem concretis judicat Fab. Columna *diſſert. de Gloſſopetris*, quæ ejusdem libro *de Purpura* ſubjungitur. Certè oſſa animalium non minus quam conchas marinas lapideſcere, ſupra jam obſervavit Cæſalpinus; qui ejusdem operis *lib. 2. cap. 48.* teſtatur, prope oppidem S. Johannis, in valle Arni, oſſa quædam ingentis ſtaturæ reperiri: eaque putari eſſe ex elephantis illis, quæ omnium primum Hannibal in Italia in aciem contra Romanos eduxit. Accedit jam (3) quod in non paucis, præcipuè verò in Friſia & Hollandia, ſub terra reperiantur magna copia trunci arborum ſitum planè eundem omnes obtinentes. In Belgio magna copia, è latebris admodum profundis, talia ligna erui teſtantur Hadrianus Junius in *Batavia cap. 13.* atque Martin. Schoockius *Tractatu de Turffis cap. 12.* Neque verò commoda ratio dari poterit, qua arbores, magnitudinis aliquando ſatis vaſtæ, in loca nobis hodie ſubterranea devenire potuerint ſine violento quodam diluvio: quale certe Noachicum illud præ reliquis fuiſſe omnibus dubio prorſus caret. Atque ab hac ſententia tantum abeſt ut nos dimoveant, quæ contra eandem diſputavit doctiſſimus Schoockius, ut potius in eadem plane confirment. Primitiva illa (4) cum poſt ſecutis temporibus conferenti facilè licet colligere, etiam tum (Noachi ſcilicet ætate) fuiſſe ingentem hominum multitudinem. Quam non uno in loco potuiſſe conſidere, ſed latè terrarum orbem occupaſſe, neceſſe eſt. Et verò ſi ſtatum illum habitati orbis, qualis videlicet fuit XVI. ſeculis à diluvio, conſideramus, facilè apparet, ſi non majorem, ſaltem non minorem hominum multitudinem fuiſſe, etiam illo tempore, quo diluvium terris immiſſum fuit, cumque totidem ſecula ab

eo,

eo condito numerarentur. Quin imò longè majorem tum fuiſſe hominum & incolarum copiam, quam eodem temporis intervallo poſt elapſo, haud ambiguè collegeris ex illo, quod primævis illis, diluviumque antegreſſis temporibus & rariora videantur fuiſſe bella, ac ſimul robuſtior, atque etiam fœcundior fuerit cum aliarum quarumvis rerum naturalium, tum hominum natura. Quæ ipſa porrò plurimum ſunt aucta longævitate priſcorum hominum. Certè hæc omnia non obſcurè innuuntur *Gen. VI, 8.* Homines etiam illos magnam partem fuiſſe gigantea & monſtroſa corporis magnitudine, quibusdam valdè eſt veroſimile. Variis illos præterea modis inter ſe belligeraſſe, diſertè Moſes affirmat. Unde *ſuperbos Gigantes diluvio periiſſe* dicitur *Sapient. XIV, 6. Sir. XVI, 8.* Et vero hæc ipſa res fabulas poſtea peperit Titanum & Gigantum: quos ex hiſtoria vera corrupta profluxiſſe, uberius aliâs oſtendam peculiari libro *de orig. fab. gent.* Fortaſſis etiam illorum priſcorum monſtrorum, præter oſſa modo adducta, aliæ adhuc ſuperſunt reliquiæ. Cujus generis etiam fuerit monumentum illud, quod in monte noſtro Corneliano viſitur. Ne nunc de aliis ejus generis quid dicamus, quæ cùm aliàs, tum in his etiam terris, & præcipuè ad vicinam noſtram Hercyniam, in altiſſimo monte Blanckenburgici comitatus, Homburgo, hodieque conſpiciuntur. Sunt equidem

---

Argumentum illud de majori hominum multitudine, egregiè contra Iſaacum Voſſium urget Georgius Hornius, opere jam in ipſo textu paulò ante laudato. Idem quoque ſolerti ratiocinatione inveſtigavit; quanta hominum multitudo tum ante, tum poſt diluvium, generari potuerit *ibid. cap. 5. & defenſione diſſertationis 25. & 27. nec non in auctario defenſionis hujus utriuſque.* Neque lectu indigna ſunt, quæ circa hoc argumentum obſervavit Euſebius Romanus *Animadverſionum in librum Præadamitarum cap. 5.*

dem qui ſaxa à cacodæmone congeſta, ut ad idololatriam homines invitarentur, cenſent, unde poſterius hoc Hartzicum opus accolæ *Dæmonum mœnia*, die Teuffels Maure vocare ſolent. At præterquam quod id nullo argumento nitatur, ſi ea poteſtate Diabolus gauderet, plura adhuc & longe majora talia perageret. Talis generis etiam dixerim eſſe congeriem ſaxorum in Meliboco noſtro, ſive Bloksbergo. Neque enim aquis eo deportata ſunt, nec nativa eſt illa congeries. Sed hic legi omnino merentur Summi Conringii jam ante laudatæ *Conjecturæ de antiquo ſtatu Helmæſtadii & viciniæ.*

Tertiò demum, quod illa, quæ ſive cum ipſo diluvio, ſive poſt contigerunt, concernit; primum ſanè non potuit non fieri, quin etiam maria ipſa aggeribus ruptis latè ſeſe diffunderent. Cui ipſi forte videri poſſet ſuffragari illud, quod omnes fontes abyſſi magnæ ſeſe diffudiſſe Moſes commemorat. Verum illud potius ad nimbum illum referri debere, textus ipſemet ſuadet. Quin tamen illud factum fuerit, nullum poteſt eſſe dubium. Nec duntaxat late ſeſe repagulis ſolutis diffuderunt, ſed dubio procul multis in locis limites ſuos mutaverunt. Quod ipſimet Baltico mari contigiſſe, longè veriſimillimum fecit ſæpe jam laudatus noſter Conringius præfat. in Cluverii introduct. Geogr. à Johanne Bunone auctam. Quum enim ſuccinum ibi reperiatur, quod aliàs ad metallica pertinet; omninò non videtur eſſe dubium, quin ibi aliquando tellus fuerit, aquis poſt ea cooperta: quod jam tum viſum quoque Boët. de Boot *l. 2. de lapid. & gemm. c. 158.* Sane ex hodierno ſitu maris pariter & fluminum, usque adeo non licet, primævis iſtis temporibus eundem illum ea ſitum obtinuiſſe, colligere, ut etiam magna in aliis locis ſuccedente ævo facta ſit mutatio ab illo ſtatu, qualis ille poſtdiluvia-

nis

nis temporibus fuit: cum nihil ſit notius, quàm flumina curſum ſuum immutare, nonnullorum alveum ſiccari, maria porrò & fluvios paſſim terras inundare, atque ita novos ſibi fines acquirere, priſtinis ſenſim derelictis. De qua re egregie diſputat Strabo *l. 9. p. 280.* item *l. 1.* & jam ante eum Ariſtoteles *1. Meteor. ult.* Nec tantum ſimul mare ſuis clauſtris effuſum paſſim ita tum ſævìit, ſed etiam fortaſſis procellarum & ventorum vis, fluctus & nubes propellentium, non defuit. Certè ſitus truncorum arborum, quorum antè memini, talis eſt, ut impetum illum aquarum ex illa mundi plaga proveniſſe clarè oſtendat, quæ eſt inter occidentem & ſeptemtrionem intermedia. Quibus & hoc addi poteſt, ventum ab illa parte mundi ſpirantem, Zephyro-Boream videlicet, ventum eſſe propemodum omnium in noſtris Europæis hiſce regionibus impetuoſiſſimum.

Deinde quæri poteſt, quid immenſa illa aquarum colluvie deinceps fuerat factum. Nam illas non fuiſſe in nihilum redactas, vel in vapores reſolutas, palam eſt. Expreßè etiam cap. VIII. aſſeritur, aquam ſenſim defluxiſſe ſeu defeciſſe. Omninò igitur, dicendum, fuiſſe illam paulatim intra cavernas & abyſſos terræ receptam. Quales multis in locis paſſim reperiri, neminem temerè latere poteſt.

Factum autem poſtremò eſt, ut vigor & robur tum animantium tum plantarum fuerit miris modis fractum. Hoc enim eſt, quod Deus ſcribitur terræ maledixiſſe. Qua de cauſſa etiam & corpora decreverunt, rarique poſtea

 gigantes

Hieronymus *ad Paulum Concordienſem epiſt. 21. Humanæ vitæ brevitas damnatio delictorum eſt: & in ipſo ſæpe lucis exordio mors ſecuta naſcentem, labentia quotidie in vitium ſecula profitetur. Nam cum primum paradiſi colonum, viperinis nexibus præpeditum, coluber deduxiſſet ad terras; æternitas, mortalitate mutata, in nongentos & eo amplius*

annos ſecunda quodammodo immortalitate maledicti hominis diſtulerat elogium. Exinde paulatim recrudeſcente peccato, totius orbis naufragium adduxit impietas. Poſt illud, ut ita dixerim, purgati baptiſma mundi, in breve tempus hominum vita contracta eſt. Hoc quoq; ſpatium ſceleribus noſtris, ſemper contra divina pugnantibus, pene perdidimus. Quotus enim quiſque aut centenariam tranſgreditur ætatem, aut non ad eam ſic pervenit, ut perveniſſe pœniteat? ſecundum quod in libro Pſalmorum ſcriptura teſtatur: Dies vitæ noſtræ ſeptuaginta anni; ſi autem multæ, octoginta: quicquid reliquum eſt, labor, & dolor.

gigantes apparuerunt: & ipſæ etiam hominis vires ita ſunt debilitatæ, ut valdè anguſtis annorum ſpatiis vita illorum poſtmodum fuerit incluſa.

Ad Geneſ. IX. ℣. 3. 4.

Hieron. *lib. 1. adv. Jovinianum cap. 10. Quod autem nobis objicit, in ſecunda Dei benedictione comedendarum carnium licentiam datam, quæ in prima conceſſa non fuerat: quo modo repudium juxta eloquium ſalvatoris ab initio non dabatur, ſed propter duritiam cordis noſtri, per Moyſen humano generi conceſſum eſt. Sic & eſum carnium neq; ad diluvium ignotum fuiſſe: poſt diluvium vero, quaſi in eremo murmuranti populo, coturnices, ita dentibus noſtris nervos & virulentias carnis ingeſtas.* Et rurſus: *lib. 2. adv. eund. cap. 10. Ejectus* (ê Paradiſo Adamus) *non protinus accepit licentiam carnium veſcendarum; ſed tantum poma arborum, & fruges & ſegetum, & herbarum olera ei traduntur in cibum: ut exul quoq; paradiſi, non carnibus, quæ in paradiſo non erant, ſed ſimilitudine frugum paradiſi veſceretur. Poſtea vero videns Deus, quod diligenter appoſitum eſſet ad malitiam cor hominis ab adoleſcentia, & ſpiritus ejus in his permanere non poſſet, quia erant caro, opera carnis diluvio condemnavit; & avidiſſimam hominum gulam probans, dedit iis licentiam comedendarum carnium: ut dum ſibi intelligunt li-*

cere

cere omnia, non deſiderent magnopere quod liceat: ne mandatum in cauſam verterent prævaricationis.

Ad Geneſ. IX. verſ. 11. & ſeqq.

Notiſſimum eſt, quamvis Iris ex mere naturalibus cauſſis producatur, nihilominus tamen poſſe eam ſignum eſſe iſtius rei quæ h. l. commemoratur. Quanquam illud ipſum, tamen ſub latitudine quadam intelligi debeat, ita videlicet, quod Deus tale diluvium, talemque vim aquarum non ſit iterum terris immiſſurus: quod etiam Deus diſerte affirmat *v. 11. & 15.* quo pertinet *Pſ. CIV, 9. Eſ. LIV, 9. Jer. V, 22.* Non vero, quod ſimile quid planè nunquam deinceps fieri debeat; quum vel vicina Holſatia, Friſia, Hollandia, Flandria, Anglia, multæque aliæ regiones, maximo ſuo damno, ſæpius id expertæ fuerint, experianturque.

Deinde verò ſimiliter non id ita accipiendum eſt, quaſi ſemper aquarum vi terræ imminenti ſignum illud conſpici debeat: vel etiam, quod quandocunque non apparet iris, Deus hominum, ſuique iſtius promiſſi non recordetur. Rationem quare viſum fuerit Deo Iridem divini iſtius fœderis ſignum eſſe, eleganter reddidit Chryſoſtomus Javellus *Meteorol. lib. 7. cap. 3.* atque eum ſecutus, his verbis expoſuit Doctiſſimus Voſſius *lib. 3. de Orig. & progreſſ. Idol. cap. 13. Id vero indicium eò potiſſimum elegit Deus, quia ſignum ſit naturale. Nam non fit iris in nube admodum densâ, ſed rorante: neq; fit, ſi & adverſa ſit nubes, quia ſic ſol non poſſet radios mittere in nubem oppoſitam. Atqui ad diluvium univerſale requiruntur nubes denſæ, & totum cœlum obducentes.* Quod

Hic arcus ſignum eſt clementiæ & teſtamenti Dei, quod fecit cum hominibus, ut quando apparuerit in nube, ſciamus nos ſecundum antiquitatis exemplum nequaquam perituros eſſe diluvio. Hieronym. *lib. 1. commentarior. in Ezechiel. cap. 1. f. p. 382. c. 2.*

Quod autem ad arcus iſtius generationem pertinet, fatendum utique eſt, rem illam non parum eſſe abſtruſam; & præterea cauſſam naturamque ejus non poſſe explicari, niſi partim ex Phyſicis, partim ex Opticis quædam in ſubſidium advocentur. Quo verò nunc paucis tantum omnia complectamur, certum eſt, (1) ad ejus generationem requiri nubis ipſius aptam conſtitutionem. Nec enim in quavis talis arcus fieri poteſt, ſed illa tantum, quæ rorida ſit. Quinimò ne ex nube quidem iridem fieri, ſed ex vapore quodam, antequam in aquam cogatur, in minutiſſimas quasdam ſtillulas reſoluta, docent phænomena. (2) Certum etiam poſitum ſolis & ipſius nubis roridæ, ſeu in vapores reſolutæ, requiri, conſtat. (3) Varios illos colores à radiorum refractione produci, itidem planum eſt. Quibus (4) hoc itidem addi poteſt: ut iris in conſpectum veniat, hominis ipſius juſtum poſitum non minus eſſe neceſſarium.

Quibus ita habentibus, poſſunt deinde omnia illa problemata & phænomena, quæ præterea circa ejus generationem & obſervationem occurrunt facile ſolvi.

Variè autem hoc ipſum negotium tractatum eſt: ex quibus tamen omnibus non injuria primo loco commendari meretur M. Antonius de Dominis, notisſimus ille Salonenſium ſeu Spalatenſium Epiſcopus. Lectu enim omninò dignisſima ſunt, quæ de hac re eleganter & doctisſimè diſputavit *tractatu de Radiis viſus & lucis in vitris, perſpectivis & Iride, cap 10. & ſeqq.* cui omninò jungendus eſt, vir itidem elegantisſimè doctus, Libertus Fromondus in in longè doctisſimo opere Meteorologico.

Ad

Notanda quoque ſunt, quæ ex Arabum monumentis producit Cardanus *comm. in Ptolem. lib. II. de aſtror. judiciis cap. 13. t. 72. Cauſa hujus eſt, ut bene Haly inquit, quia arcus cœleſtis fit à nube rorida ſparſa. Si*

Ad Geneſ: XVIII. ỳ. 11.

Circa hunc locum notanda ſunt verba Auguſtini lib. 1. *Quæſt. ſuper Geneſin q. 35. Seniorum ætas minor eſt quam ſenum: quamvis & ſenes appellentur ſeniores. Unde ſi vera ſunt quæ à nonnullis Medicis afferuntur, quoniam ſenior vir cum muliere ſeniore filios facere non poteſt, etiamſi adhuc fœminæ muliebria veniant, ſecundum hoc admiratum Abraham de promiſſione filii, & miraculum poſuiſſe Apoſtolum, accipere poſſumus, ubi dixit: Emortuum corpus Abrahæ. Emortuum quippe corpus non ita intelligendum eſt, ac ſi omnino nullam vim generandi habere poſſet, ſi mulier juvenilis ætatis eſſet, ſed ſecuncundum hoc emortuum, ut etiam de provectioris ætatis muliere non poſſet. Nam ideo de Cethura potuit, quia & juvenem illam invenit. Sic enim medici tradunt, quoniam cujus corpus viri ſecundum hoc jam defecit, ut cum fœmina provectioris ætatis, quamvis menſtrua adhuc patiatur, generare non poſſit, de juvencula poteſt. Et rurſus mulier, quæ jam provectæ ætatis eſt, quamvis adhuc menſtrua fluant, ut de ſeniore parere non poſſit, de juvene poteſt. Illud itaq; ideo miraculum fuit, quia ſecundum id quod diximus emortuo corpore viri, fœmina quoq; provectæ ætatis fuit, ut ei deſtitiſſent fieri muliebria. Nam quod ait Apoſtolus, corpus emortuum, verbo quis premat, quod dixit emortuum? Jam ergo nec animam habuiſſe, ſed cadaver fuiſſe intelligi debet, quod abſurdiſſimæ falſitatis*

igitur ſuccedat ſerenitati, ſignum eſt, quod aër humectatur & craſſeſcit. Ideo ſignificat hyemes, id eſt imbres magnos. Si vero ſuccedat imbribus: Cum hi fiant à denſis nubibus & denſo aëre, cœleſtis arcus ſignificat utrumq; jam rareſcere. Ob id Moſes ſcripſit Deum poſuiſſe Iridem in ſignum fœderis ipſius cum humano genere: nam cum Iris fiat, ut diximus, à nube rorida, atq; diſgregata, nec inundationes, nec ſqualores ſuccedere poſſunt. Notavit eadem Federicus Bonaventura. *Annot. in Theophraſti lib. de pluviarum ſignis n. 62. pag. 339.*

eſt. Sic itaq; ſolvitur iſta quæſtio. *Alioquin merito movet, quomodo cum eſſet Abraham prope mediæ ætatis, ſecundum quam homines tunc vivebant, & poſtea filios de Cethura fecerit, dicatur ab Apoſtolo corpore emortuo, & pro miraculo, quia genuit, prædicetur.* Paucis hæc repetit S. Doctor, quando ad Gen. xxv. 1. 2. delatus, quæſt. 70. ita ſcribit: *Cur autem in hâc* (Cethura) *filios fecerit* (Abraham) *qui cum miraculo de Sara facerat, ſupra dictum eſt, quamquam nonnulli donum, quod accepit Abraham, velut reviviſcentis corporis ad filios, diu permanſiſſe aſſerant, ita ut poſſet & alios procreare. Sed multo eſt abſolutius de adoleſcentula potuiſſe ſeniorem, quod ſenior de ſeniore non poſſet, niſi Deus illic miraculum præſtitiſſet, maxime propter Saræ non ſolum ætatem, verum etiam ſterilitatem.*

Ad Geneſ. XIX. ℣. 11.

Auguſtinus ibid. quæſt. 43. *Viros verò qui erant ad oſtium domûs percuſſerunt cæcitate, Græci habent* ἀορασία, *quod magis ſignificat, ſi dici poteſt, avidentia, quæ faciat non videri non omnia, ſed quod non opus eſt. Nam merito movet, quomodo potuerunt deficere quærendo oſtium, ſi tali erant cæcitate, ut omnino nihil viderent. Hoc enim modo ſua calamitate turbati ulterius oſtium non requirerent. Hac* ἀορασίᾳ *& percuſſi ſunt qui quærebant Heliſæum. Hanc & illi habuerunt qui Dominum poſt reſurrectionem cum illo ambulantes in via non cognoverunt.* Eodem modo Ambroſius, Chryſoſtomus aliique veterum explicant. Expoſitioni nonnullis obſtare videtur locus *Sapientiæ XIX, 16.* Sed legi totâ de hac re meretur Eſtius *Annot. ad h. l. libri ſapientiæ:* ubi *non videntiam* Græcam illam vocem vertit, & in quo ſita illa fuerit docet.

Ad Geneſ. XXX. ℣. 36. & ſeqq.

Stratagema illud œconomicum Jacobi omninò eſt conſideratione dignum. Equidem benedictionem divinam manifeſtò

manifeſtò hic concurriſſe, clariſſimum fit ex c. 10. & ſeqq. Atque id rectiſſime obſervavit conſummatæ doctrinæ Vir Gerh. Joh. Voſſius, cujus iſta eſt *lib. III. de Orig. & Progreſſ. Idolol. cap. 22.* obſervatio: *Si tanta ejus* (imaginationis) *fuiſſet vis, ut effectus ſemper, imo plurimum ſequeretur; ſanè hodieq; opiliones noſtri, ſatis artis ſuæ gnari, imitarentur exemplum. Proinde fatendum, imaginationem pecudum tantum fuiſſe cauſam adjuvantem: ac plus in hoc negotio virtuti eſſe tribuendum divinæ, quæ ſuo concurſu debilem adauxit cauſæ ſecundæ vim, ut quod ſola non poſſet ſecundū naturam, id divina benedictione præſtaret ſupra naturam.* Idem quoq; Auguſtino viſum, quando *Lib. II. Quæſt. ſuper Geneſ. q. 13.* de Jacobo ſcribit: *Non enim tale aliquid niſi revelatione ſpirituali eum feciſſe credendum eſt.* Eidem conſentiunt Chryſ. homil. ſuper Geneſin & Theodor. q. 88. Sed naturales tamen etiam cauſſas hic plurimum valuiſſe, perſpicuum ſimiliter eſt ex ipſa hiſtoria. Accedit etiam, quod aliàs quoque non ſit infrequens, ut gravidæ notas quasdam, ſeu ſigna, fœtui ipſi imprimant & communicent. Etiamſi enim id non ſit perpetuum, utpote cum aliàs nunquam non rei vel vehementer adamatæ, vel à quâ valde abhorrent, aut quæ terrorem ipſis incuſſit, veſtigium & memoriam fœtui ſuo inprimere deberent gravidæ: nihilominus tamen nonnullam ejus eſſe vim, nimis eſt compertum. Atque huc pertinet nota hiſtoria de muliere ex aſpectû picturæ pulchrioris eleganti facie puerum enixâ, atque idcirco à turpiſſimæ formæ marito adulterii accuſata, quam in libris antiquiſſimi & peritiſſimi Medici, Hippocratis, reperiri, ibidem ait Auguſtinus; etſi in iis, quæ ad noſtram ætatem delata ſunt, ejusdem monumentis illa non extet. Ex Rhetorum verò Progymnaſmatibus eandem pluribus repetit Martinus Weinrichius *Comment. de ortu Monſtrorum cap. XVII.* ubi in equis

idem, quod hic Jacobus circa oves fecit, *hodie obſervari alicubi* dicit, *ut quos diſcolores velint, iis virgulta ſinuata in canales injiciant, & in tegetibus objiciant, cum iniuntur.* Hactenus ergo rectiſſimè Hieronymus *Quæſt. Ebraic. in Geneſ.* Jacobum *novam ſtirpem commentum eſſe, & contra naturam albi & nigri pecoris naturali arte pugnaſſe.* Quomodo vero hoc ipſum fiat, difficilius eſt explicatu: quod videlicet illa, quæ tum ad affectuum animi tum ſenſuum internorum naturam & modum pertinent, planè ſint abſtruſa. Hoc tamen eſt extra omnem controverſiam; ſicut per animi πάθη, ſic quoque per ſenſus internos primò ipſum ſanguinem variis modis affici & alterari: unde porro fit, ut reliquum quoque corpus vim illam ſentiat & experiatur. De qua re omninò dignus lectu eſt libellus *de phantaſia, ejusq; per Melancholiam affectione*, quem ad mentem Ampl. Conringii noſtri ante aliquot annos edidit Johan. Probſtius, Medicus tum temporis Soltquellenſis, Berolini impreſſum.

Quod itaque ad hanc ipſam rem pertinet, utique ſi ejusmodi quid contingit, neceſſe *primum* eſt phantaſiam eſſe fortem. Quod ſi enim illa debilior fuerit, vel parum vel nihil poterit efficere: quo vehementior autem fuerit, eò magis tale quid poterit præſtare. *Deinde* etiam requiritur, ut non ſit momentanea, ſed conſtans & ad aliquod tempus durans, vel ſi non durans, frequentior tamen. Quæ duo ubi concurrunt vehementia ſcil. & diuturnitas phantaſiæ, vix fieri poteſt, quin notas & ſigna ipſi fœtui imprimat. Quibus etiam *tertio* omninò hoc addi debet, quod tempore conceptionis & animus pariter & corpus miris modis afficiatur. Illo etiam tempore, *quarto*, ſanguis ipſemet plus ſolito incaleſcit. Quo calidior autem ille redditur, eo magis quoque ad motum eſt aptus: promtius etiam afficitur, quam alio tempore. Et verò hoc ipſum usque adeò cer-

tum

Digitized by Google

tum eſt, ut alii quoque à fortiori quadam phantaſia variis modis afficiantur; quin imò quidam etiam morbos eam ob cauſam incurrant. Quod notiſſimum eſt ex omni delirii genere. Qui verò hanc ipſam rem fuſius cognoſcere deſiderat, ante omnes illi legendus fuerit Thomæ Fieni *de viribus Imaginationis* liber, unà cum ſcriptis Apologeticis.

Ad Geneſ. XXXI. ℣. 7.

Hieronymus *Quæſt. Ebr. in Geneſin: Ne cui autem in ſex annis decem pariendi vices incredibiles videantur, lege Virgilium, in quo dicitur:* Bis gravidæ pecudes. *Natura autem Italicarum ovium & Meſopotamiæ una eſſe traditur.*

Auguſt. lib. III. de Trinitate cap. 8. *Ut enim de pecoribus non virga, ſed pecora naſcerentur, fecit hoc incommutabilis & inviſibilis ratio ſapientiæ Dei, per quem creata ſunt omnia. Vt autem de varietate virgarum, pecorum conceptorum color aliquid duceret, fecit hoc anima gravidæ pecudis per oculos affecta forinſecus, & interius ſecum pro ſuo modulo formandi regulam tradens, quam de intima potentia ſui creatoris accepit.* Idem ejusdem operis lib. XI. cap. 2. *Quàm enim teneriora atq; , ut ita dixerim, formabiliora ſunt primordia ſeminum, tàm efficaciter & ea pariter ſequuntur intentionem maternæ animæ, & quæ in ea facta eſt phantaſiam, per corpus quod cupidè aſpexit.* Et cap. 4. *Non tantum autem cum appetendo in talia voluntas intenditur, fiunt iſtæ impreſſiones imaginum, ſed etiam cum devitandi & cavendi cauſa rapitur animus in ea contuenda quæ fugiat. Vnde non ſolum cupiendo, ſed etiam metuendo infertur vel ſenſus ipſis ſenſibilibus, vel acies animi formanda imaginibus ſenſibilium. Itaq; aut metus aut cupiditas quantò vehementior fuerit, tantò expreſſius formatur acies, ſentientis ex corpore quod in loco adjacet ſive cogitantis ex imagine corporis, quæ memoria continetur.* De omni hâc re legi quoque meretur, quæ Schoockius *diſquiſit. de ſignaturis fœtuum* th. 10. 37. 41. 42. & Aponenſis *comment. in ſect. X. probl.* 7. annotarunt.

Ad Geneſ. XXXV.

Quomodo ſit intelligendum, quando poſteri dicuntur egredi è lumbis majorum, vide expoſitum ad Pſ. VII, 10.

Ad Geneſ. XL. & LXI.

Hic locus omnino videtur poſtulare, ut de ſomniis, cauſſa illorum, & eventu ſeu prædictionibus, aliquid in medium adducatur. Nec enim ſimpliciter absque diſcrimine rejici poterunt: & tamen accuratè hoc ipſo in negotio verſandum eſſe, res ipſa docet. Ubi ſomnia tamen à viſionibus propriè dictis initio ſunt accurate diſtinguenda. Namque illa dormientibus, hæ vigilantibus obtingunt.

Ut itaque naturam & cauſſas inſomniorum conſideremus, fatendum ſanè eſt, rem illam non parum abſtruſam: perinde ut omne illud, quod ad facultates ſenſuum internorum pertinet, miris modis eſt intricatum: adeò ut plurima non ita exactè liceat definire, quædam etiam quadamtenus intellectus noſter aſſequatur, ita tamen, ut ſubinde captum noſtrum videantur refugere: quod ſuperiori ſeculo elegantiſſimis verſibus deſcripſit Hieronymus Fracaſtorius.

Conſtat autem porrò, nihil æque per inſomnia affici, atque phantaſiam; quin imò illam ſæpius ſomni tempore magis agitari, quàm fit in vigilantibus.

Quo verò natura illorum, quantum quidem licet, eò clarius poſſit innoteſcere, neceſſarium fuerit prius de ipſa ſenſatione aliquid præmittere.

Et quidem, ſi Ariſtotelem audimus, cordi & ſanguini primæ partes hoc ipſo in negotio veniunt attribuendæ: quod videlicet ſpecies omnes ſenſibiles per ſua ſenſoria quidem recipiantur, cum ſanguine tamen ad cor tanquam primarium judicem, ut ita loquar tranſmittantur. Galenus quidem & alii cerebro & nervis vim illam competere conten-

contendunt. Neque verò negari poteſt, pro cerebri alia atque alia conſtitutione, non tantum reliquam facultatem ſenſitivam, ſed ipſos etiam ſenſus internos, adeoque ipſam quoque rationem variis modis affici. Nec etiam negari poteſt, nervos ipſos plurimum ad hanc rem conferre. Verum primas partes præ corde ipſis competere, nullis licet argumentis comprobare. Deinde licet cerebrum cum ſobole ſua, ſeu nervis, multum huc conferat, non ſequitur tamen inde, vel ſolas vel præcipuè illas noſtri corporis partes ſenſationem efficere.

Pro Ariſtotelis porro ſententia militant omnes affectus & accidentia, quæ circa facultatem ſenſitivam & intellectivam occurruunt. Pro alia enim atque alia cordis & ſanguinis temperie atque conſtitutione, non tantum variis modis omnes hæ facultates afficiuntur, ſed etiam ſi præter naturam fuerint affectæ, non niſi cordis ſanguinisque intemperie ſublata & correcta pelli & facultates illæ in integrum reſtitui poſſunt. Quod cerebrum autem longe plurimum hac in parte valeat, nequaquam eſt mirum; utpote cum & ſitus & figura & temperies & uſus huic ipſi rei maxime adſtipuletur. Quibus accedit, quod homini longe majus, cum aliis animalibus comparatione inſtituta, cerebrum obtigerit; quod videlicet & ille præ omnibus aliis animalibus ſit nobiliſſimus. Verum operæ pretium eſt legere libellum illum de phantaſia ſupra laudatum.

Quod ad hanc verò de inſomniis tractationem pertinet, quo facilius idipſum poſſit exponi, non fuerit abs re, paucis duntaxat ipſius ſomni naturam exponere. Et quidem quod paulo ante de ſenſitivæ facultatis ſede dictum eſt, idem quoque de ſomno intelligi debet; præſertim cum per ſomnum ſenſitiva facultas ſemper ſopiatur, & quaſi ligetur. Nam Ariſtoteles & qui cum eo faciunt, cor itidem

per

Digitized by Google

per ſanguinem affici dicunt: Galeno & aliis contradicentibus, cerebroque idipſum attribuentibus. Quicquid autem ſit de diſcrepantibus hiſce ſententiis, quas expendere non eſt hujus loci; nullum tamen dubium eſt, quin Ariſtotelis doctrina magis conſentanea ſit illis, quæ circa ſomnum obtingentia in ſenſus noſtros incurrunt.

Etenim 1. cor affici per ſomnum, maxime ex eo colligitur, quod ſanguinis & caloris diſtributio illo ipſo ſimul non parum cohibeatur. Id quod & ex ipſo arteriarum pulſu clariſſimè liquet, utpote qui per ſomnum ſemper reddatur & tardior & languidior. Et ex eo quoque, quod qui aër vigilantibus commodus eſt, vel aliàs tolerabilis, dormientibus juſto ſit frigidior. Propter quem proinde contemperandum lectis vel aliis integumentis corpus ſolemus communire. Præterea verò cor oppreſſionem quandam per ſomnum pati, ſimiliter non eſt obſcurum. Præterquam enim quod univerſum corpus ſomno ingruente reddatur torpidius & gravius, ſanguinis videlicet & caloris libero influxu denegato; utique ex ſuperioribus partibus ad cor & pectus aliquid quaſi delabi, ipſimet dormientes percipimus. Quin itaque cor per ſomnum & præcipuè quidem afficiatur, non videtur eſſe dubitandum.

Cerebrum tamen nequaquam hinc excludi debet, cum cauſa ſomni à nullo alio membro quam ab eo ipſo proficiſcatur. Uſus videlicet ejus eſt, ſanguinis & cordis fervorem nimium contemperare. Qua de cauſſa quoq; tantùm non omnes ſenſus externi in capite unice ſunt collocati; quod ibi maxima fiat ſanguinis attemperatio. Quam ad ſenſationem requiri, usque adeò certum eſt, ut pro cerebri varia intemperie ipſimet etiam ſenſus illi laborent.

Oritur igitur ſomnus, quando ſanguis per arterias in caput delatus inſignem contemperationem patitur, & per

venas

venas ad cor remeans, ipſius quoque fervorem ad mediocritatem redigit. Ut ita per ſomnum cor magnam ſemper accipiat refrigerationem. Quo frigidius præterea cerebrum fuerit, eo quoque ſomnus & longior & profundior eſſe ſolet. Quod ſi etiam nimia fuerit illa cerebri frigiditas, quod in Caro & Lethargo contingit, cor etiã ipſum nimium refrigeratur, adeoque calido exſtincto mors ipſa ſequi ſolet. Nec alio ferè modo intereunt, qui hiberni frigoris injuria enecantur. Præterea verò quo humidius fuerit cerebrum, eò magis quoque & citius ſomnum ſolet inducere. Hinc infantes & pueri maximam partem ætatis ſuæ dormiendo tranſigunt. Qui præterea compotationibus indulgere ſolent, & alias ebrii, ſomno quoque opprimi ſolent, & præterea donec omnis crapula diſcuſſa fuerit ſolito plus in ſomnum feruntur: niſi potus genus nimis fuerit calidum, & cerebrum juſto calidius: tum enim contrarius affectus concitari ſolet, ipſaq; ratio perturbari. Quod vel ſolum eſt certiſſimo argumento, non tantum ad ſenſuum, ſed ipſius quoque facultatis ratiocinatricis legitimam conſtitutionem longe plurimum conferre juſtam ſanguinis temperiem.

Quamvis autem cerebrum ſanguinem ad cor remeantem in magna copia contemperando ſomnum inducat; nondum tamen conſtat, an hoc per ſolam refrigerationem, an verò aliquid vaſis ſanguinem ad cor remeantibus immittendo vel quaſi infundendo fiat. Et quidem ſecundum Ariſtotelis doctrinam poſterius illud omninò affirmandum erit: quum prius illis placeat, qui occultas qualitates & facultates, ut alias, ita quoque in cerebro & nervis agnoſcunt. Quicquid autem ſit de horum quidem ſententia, quam alio loco accuratius examinabimus; Ariſtotelis dogma magis omninò illis eſt conſentaneum,

taneum, quæ ſenſus & experientia circa hanc rem docent.

Primo enim conſiderari debent ſinus ſeu ventriculi cerebri; quos pro ſpirituum animalium officina Galenus habuit. Quem tamen ipſorum uſum cum alii impugnaverunt, tum omnium præclariſſimè Caſparus Hofmannus in ſuis longè doctiſſimus comment. ad Galeni præſtantiſſimum opus de uſu partium corporis humani. Obſtat videlicet quam maxime Galenicæ illi ſententiæ, quod humores potius & pituita in illis ventriculis colligatur: quod ſanè nequaquam convenit ſpirituum generationi. Nec tamen fortaſſis ob eum ſolum finem ſinus iſtos eſſe fabricatos, non immerito quis exiſtimaverit: præſertim cum collectio illa humorum recrementitiorum minus ſit naturali & debitæ corporis conſtitutioni conveniens, ſed potius aliquod vitium quodammodo arguat, & indicet valetudinem neutram

---

Macrobius lib. 1. *Novimus triplex ſomniorum genus perhiberi, Naturale, Divinum, Diabolicum. De his ita ſentiebat olim Ci. Virdungus noſter, ut naturalia tunc demum aliquam non vanam, nec fallacem ſpeciem offerre diceret, cum anima hominis nec curis variis velut ebria, nec cibo potuq; gravis, nec cœno libidinum merſa, ſed pura & liquida ac defœcata; quaſi in receſſum quendam ac potius portum è corporeis ſubducta tempeſtatibus, tota ſibi ſua ſit. Hanc ſententiam ſuam confirmabat ex Galeno & Xenophonte. In Divinis & Diabolicis cum ambigi videret, an magnorum atq; illuſtrium eventuum prænuncia ſomnia; quæ priſcis heroibus atq; Regibus extra Eccleſiam viſa ſunt, omnia fuerint una moneta percuſſa, hoc eſt, nullum ex illis divino, ſed cuncta pariter Dæmonum afflatu futura iis prædixerint; totam controverſiam hoc limite, ut ita loquar, diſparabat; ut quæ juberent vel ſcelus aliquod vel ſuperſtitioſum impiumve quippiam, ea ſomnia à patre luminum negaret immitti, ſed potius ex Orci tenebroſis horriferisque faucibus eructare diceret. Hoc illius viri judicium fuit, in quo ipſo divinitatis late patentes campos non ſemel reperere, quos in familiaritatem & colloquium aſciſcebat.* Rupertus *differt ad Val. Max. lib. 1. cap. 4.*

tram, quam appellant. Non injuria itaque ſomni quoque inducendi cauſſa illos eſſe ita excavatos quis opinetur: præſertim cum quædam vaſa in eis hient, ut ita videlicet ſanguis quodammodo ex extremis arteriolis effuſus eò promtius refrigerationem conſequatur; qui deinde à venulis iterum receptus cordis calorem eo, quo diximus, modo viciſſim contemperet. Certe ſomni tempore talem quandam vaſculorum apertionem in cerebro fieri, non parum quoque eo redditur vero conſentaneum, quod multi præcipuè quibus caput debilius obtigit, quando ſubito ſomno interrupto exſuſcitantur, cum alias capitis gravedines tum hæmorrhagiam narium patiantur. Quæ quidem nunc ulterius perſequi non licet.

Quibus eo modo expoſitis, inquirendum nunc eſt in ſomniorum naturam & cauſſas. Et quidem phantaſiam maxime per ea affici, extra controverſiam eſt, ceu jam ſupra notavimus. Rectiſſimè autem Ariſtoteles obſervat, tum inſomnia fieri, quando ſpecies quædam à ſenſibus externis receptæ moventur, quæ porro movent ſenſus internos. Nec tamen hoc duntaxat modo motio illa ſive agitatio ſpecierum ſenſibilium fit; ſed etiam ſæpenumero phantaſia ſenſus externos movet, usq; adeo, ut non raro hinc contingat, ut ſomno perterriti expergiſcantur. Bene videli-

Auguſtin. Epiſt. 101. *Quibus cauſis & quemadmodum fiant* (viſa ſomniorum) *quâ deniq; naturâ ſubſiſtant, vel in quo ſubjecto ſint: utrum ita in animo fiant, ut in membrana ex atramento literæ, ubi utraq; ſubſtantia eſt membrana ſcilicet & atramentum: an ſicut ſigillum in cera, vel figura qualibet, cui cera ſubjectum eſt illa in ſubjecto: an utroq; modo fiant iſta in ſpiritu noſtro, aliquando autem ſic. Movent enim non ſolum ut cogitemus ea, quæ abſunt à ſenſibus corporis, & in noſtra reperiuntur memoria, vel quæ nos ipſi ut libitum eſt, facimus, diſponimus, augemus, minuimus: ſed etiam ſitu, habitu, motu, innumerabilibus qualitatibus formuq;*

videlicet Averroës lib. 3. colliget cap. 38: *Declaratum eſt in tractatu de ſomno & vigilia, quod ſomnia attributa ſint virtuti imaginativæ; Sed ipſa facit in ſomno contrarium ejus, quod facit in vigilia: quia in vigilia primò movet ſenſatum ſenſum communem; & poſtea illud movet imaginationem: Sed in ſomno fit modo contrario, quia motio incipit à virtute imaginativa propter formam receptam, ſed foris in vigilia. Quo tempore etiam illa eſt remota, & ideo primo movet ſenſum communem, & communis movet particulares ſenſus, & tunc ſentientur res, quaſi ſicut eſſent extra: Et ſicut hoc fit in ſomno, ſic fit in vigilia, propter multam ſollicitudinem circa aliquam rem.*

Rectè porrò idem Ariſtoteles notavit, pro humorum κατασκευῇ & diſpoſitione, ipſorum quoque inſomniorum rationem multum eſſe diverſam. Quod ſi enim ſanguinis nimis

misq; variamus]: talia ſunt fortaſſis etiam illa, quibus deludimur dormientes, quando non divinitus admonemur, niſi quod hæc volentes agimus, illa præter arbitriũ patimur. Non ſolum hæc movent, quæ in animo de ipſo animo fieri non abſurde quis putat, quamvis & hæc cauſis occultioribus, quibus agitur, ut iſtud potius, quàm illud in conſpectu animi veniat: ſed etiam quod ait propheta, Et dixit mihi angelus qui loquebatur in me. Neq; enim forinſecus voces ad aures corporeas prophetæ veniſſe credendũ eſt, cum dicit, Loquebatur in me: non, ad me: utrum voces erant de ſpiritu factæ, corporalibus ſimiles quales agimus, cum apud nos taciti multa memoriter, plerumq; etiam cantando tranſcurrimus, ſed tamen editæ ab angelo ſibi ſuggerente: & quod in Evangelio ſcriptum eſt, Ecce angelus Dei apparuit illi in ſomnis, dicens. Quomodo enim apparuerit, vel corpus angeli cum oculis clauſis? Abrahæ quippe vigilanti ſic apparuerunt, ut eos etiam cum pedes lavit eis contrectando ſentiret;: vel ſpiritus ſpiritui dormientis in ſpecie aliqua ſimili corpori, ſicut nos ipſi nobis videmur tali figura etiam per loca moveri ſomniantes, longe aliter quàm membra in ſtratis jacentia moventur. Hæc & ideò mira ſunt, quia occultiorem habent rationem quam ut videri vel reddi ab homine homini poſſit. Nam iſta cauſa ſunt admirationis, cum vel ratio cujusq; rei latet, vel eadem res uſitata non eſt, quod aut ſingularis aut rara eſt.

nimis fuerit perturbatus, talia quoque producuntur inſomnia: quod ſi autem ille ſedatior & temperatior fuerit, ſomnia quoque nec turbida, nec etiam gravia ſolent oriri. Non aliter videlicet atque humores in vaſe aliquo contenti ſpecies ſolis vel aliarum rerum referre nequeunt, niſi quieti ſint, vel parum moveantur: quod ſi autem valde concutiantur vel agitentur, ſpecies illas vel planè non, vel confusè referunt. Et vero ſimili modo inſomnia ſeſe habere, docent phænomena diligenter obſervata. Hinc non rarò ex horrendis & turbulentis inſomniis, corpus vel jam morbo laborare, vel illum proximè imminere, colligitur. Præterea quoque quo magis augentur morbi, eò plus inſomniis divexari ſolent ægrotantes: & vice verſa, morbo remittente & magis magisque declinante, ipſa quoque ſomnia ſenſim mitigari ſolent. Quare verò quidam ſomniis planè non tententur, ejus cauſſa videtur hæc eſſe, quod ſanguis in iis minus ſit mobilis, & phantaſia ſedatior.

Per quietem præterea ſenſus externi quaſi feriantur, nec ab externis objectis temerè moventur vel perturbantur. Unde adeò fit, ut tum ſimulacra rerum ſenſibilium vel repeti vel aliàs phantaſiæ objici ſoleant. Ut itaque

Nulli in plura incidunt ſomnia vera, quam melancholici. Huius cauſſa eſt, quod ob atram bilem ingenio valeant: ac ut de die magis ſunt cogitabundi, ita de nocte etiam plura ſomnient, & pro ſomniorum copia, plura etiam vera; imo & pro temperie, quia ut ingenioſi acutius cogitant de die, ita & ſubtilius imaginantur de nocte. Gerh. Jo. Voſſ. *l. 35. de Idololat. c. 31. p. 899.*

Hieronymus Apol. adverſus Ruffinum lib. 1. *Ego certè memini me puerum curſitaſſe per cellulas ſervulorum, diem feriatum duxiſſe luſibus, & ad Orbilium ſævientem de aviæ ſinu tractum eſſe captivum. Et quo magis ſtupeas nunc cano & recalvo capite ſæpe mihi videor in ſomniis comatulus; & ſumpta toga ante rhetorem controverſiolam declamare. Cumque experrectus fuero, gratulor me dicendi periculo liberatum. Crede mihi multa ad puerum recordatur infantia.*

ſæpenumero memoriam ipſam ad inſomnia aliquid conferre, nequicquam ſit dubitandum.

Præterea quoque quo impenſius res quæpiam ſenſorium affecerit, vel aliàs vehementius fuerit deſiderata, vel animum etiam habuerit ſollicitum; eò magis quoque res ejuſmodi per ſomnium ſolet nobis offerri. Unde etiam eſt, quod quibusdam ſub primum ſtatim ſomni tempus, & oculis leniter tantum conniventibus, viſa ejuſmodi per inſomnia ſoleant objici. Ex quibus ſimilibusque aliis omnibus reciprocus ille inter externos & internos ſenſus, adeoque inter corpus & animum, motus manifeſtò innoteſcit; quamvis modus, quo hæc mutuo ſeſe afficiunt, planè ſit abſtruſus.

Et hæc quidem ferè eſt natura inſomniorum conſuetorum, & naturalibus ex cauſſis productorum. Quid autem jam dicendum fuerit de illis inſomniis, quæ de rebus futuris vel aliàs iſtis, quæ vix vel in mentem vel ſenſum nobis venerunt, obtingunt? Non quidem ſuperſtitioſè quævis inſomnia attendenda ſunt, adeoque vana omninò eſt omnis doctrina Oneirocritica, perinde ut Aſtrologia divinatrix: nihilominus tamen non promiſcuè & ſimpliciter quævis inſomnia eſſe negligenda, omnis ævi uſus docuit.

Sunt verò illa duorum viciſſim præcipuè generum. Quædam enim futurum prænunciant per ſymbola quædam

Hieronymus ibid. ſub finem: *ſed tamen qui ſomnium criminatur, audiat prophetarum voces ſomniis non eſſe credendum, quia nec adulterium ſomnii ducit me ad tartarum; nec corona martyrii in cœlum levat. Quoties vide me eſſe mortuum, & in ſepulcro poſitum? quoties volare ſuper terras, & montes ac maria natatu aëris transfretare? Cogat ergo me non vivere, vel pennas habere per latera; quia vagis imaginibus mens ſæpe deluſa eſt. Quanti in ſomnis divites, apertis oculis repente mendici ſunt? ſitientes flumina bibunt, & experrecti ſiccis faucibus æſtuant.*

dam. Quale inſomnium fuit Pharaonis, Nabuchodonoſoris, Danielis, militum item in caſtris Midianitarum tempore Gideonis excubantium. Qualia multa alia ſuppeditat externa quoque hiſtoria: ne quid de illis dicam, quæ poſtea atque adeo noſtro quoque ævo vel contigerunt, vel adhuc forte contingunt. Quædam verò ſomnia res ita planè repræſentant, quomodo poſtea geſtæ fuerunt vel gerendæ ſunt. Inter quæ ipſa tamen non exiguum rurſus eſt diſcrimen; quod quædam dormientibus ita appareant, quædam autem ſomni quidem tempore & noctu, vigilantibus tamen, adeoque oculis apertis. Ex quibus poſteriora hæc ad viſiones, priora verò ſola ad ſomnia referri debent.

Quænam verò fatidicorum hujuſmodi, deque rebus futuris ſomniorum cauſſa princeps ſit, non vacat quadam obſcuritate: quibusdam & illa quoque ad cauſſas merè naturales, quibusdam ad ſupernaturales, referentibus. Et quidem quibus prior ſententia placet, omninò vel phantaſiæ vim diviniorem obtendunt. Id quod inter alios quoque factum eſt ab Erneſto Sonero: de quo paulò poſt pluribus.

Quamvis autem hoc fortaſſis ex parte concedi poſſet, de quibusdam videlicet rebus, quæ nobis interdiu ſunt agitatæ, atque animum noſtrum habuerunt ſollicitum: quale fuit ſomnium M. Antonii Flaminii de libro quodam amici ſui ab ancilla abſcondito, quod Sonerus etiam adduxit. Cujus generis itidem fuerit ſomnium de loco quodam Diogenis

genis

Auguſtinus lib. XII. de Geneſ. ad lib. cap. 2. *Quanquam mihi accidiſſe ſcio & ob hoc etiam aliis accidere potuiſſe vel poſſe non dubito, ut in ſomnis viden in ſomnis me videre ſentirem, illaq; imagines quæ ipſam noſtram conſuetudinem ludificare conſueverunt, non eſſe vera corpora, ſed in ſomnis ea præſentari firmiſſime etiam dormens tenerem atq; ſentirem.*

genis Laertii Henrico Stephano oblatum, & ab eodem commemoratum præfat. in vitas Philoſoph. Diogenis. Quamvis (inquam) de hujus generis ſomniis tale quid fortaſſe dici poſſet; de omnibus tamen idem affirmare, vetat rerum, earumq; magni momenti, prædictarum natura ipſa & attenta conſideratio.

Quod ſi autem vel ſola illa hujus generis in S. codice annotata ſomnia diligentius intuemur, manifeſtò profectò apparet, ſæpenumero cum aliorum ſomniorum, tum etiam quæ futuros rerum eventus prænunciant, cauſſam longè altius arceſſendam eſſe: & quædam quidem fortaſſis ab ipſomet Deo proximè immitti; quædam geniorum operâ, bonorum æque ac malorum. Habent videlicet iſtiuſmodi inſomnia quandoque plurimum affine facultati futura prædicendi: non illi, quæ ex certis ſignis aliquid conjectat, qualis eſt προῤῥησία Medicorum, aut Politicorum, aut agricolarum, Phyſicorum, aliorumq; ſagacium & prudentium virorum: ſed illi prædictioni, quam de re quapiam futura abſque ullo indicio nonnulli inſtituunt. Habent videlicet quidam revera propheticum aliquid: ſive id ipſis divinitus arcano quopiam modo ſuggeratur, ſive per genios communicetur. Hujus autem generis ſomnia quoque iſtiuſmodi, ſi non omnia, ſaltem pleraque eſſe, non videtur eſſe dubitandum.

Qui

Gregorius M. lib. VIII. Moral. cap. 18. *Exquirendum magnopere eſt quot modis tangant animam imagines ſomniorum. Aliquando namq; ſomnia ventris plenitudine vel inanitate: aliquando vero illuſione: aliquando autem cogitatione ſimul & illuſione, aliquando autem revelatione, generantur. Sed duo, quæ prima diximus, omnes experimento cognoſcimus: ſubjuncta autem quatuor in ſacræ ſcripturæ paginis invenimus. Somnia etenim niſi plerumq; ab occulto hoſte per illuſionem fierent: nequa-*

quaquam hoc vir ſapiens indicaret dicens: Multos errare fecerunt ſomnia & illuſiones vanæ. Vel certè: Non augurabimini nec obſervabitis ſomnia. Quibus profectò verbis cujus ſint deteſtationis oſtenditur, quæ auguriis conjunguntur. Rurſum niſi aliquando ex cogitatione ſimul & illuſione procederent, Salomon minime dixiſſet: Multas curas ſequuntur ſomnia. Et niſi aliquando ſomnia ex myſterio revelationis orirentur, Joſeph præferendum ſe fratribus per ſomnium non videret: nec Mariæ ſponſum, ut ablato puero in Ægyptum fugeret, per ſomnium veritas admoneret. Rurſum niſi aliquando ſomnia à cogitatione ſimul & revelatione procederent, nequaquam Daniel propheta Nabuchodonoſor viſionem diſſerens à radice cogitationis inchoaſſet, dicens: Tu rex cogitare cœpiſti in ſtrato tuo quid eſſet futurum poſt hæc. Et: qui revelat myſteria oſtendit tibi, quæ ventura ſunt. Et paulo poſt ſubjungit dicens: Videbas & ecce quaſi ſtatua una grandis, ſtatua illa magna & ſtatura ſublimis ſtabat contra te, & cætera. Daniel itaque dum ſomnium & implendum reverenter inſinuat, & ex qua ortum ſit cogitatione manifeſtat, patenter oſtenditur, quod hoc plerumq; ex cogitatione ſimul & revelatione generatur. Sed quomodo fiat, ut nobis à ſuperioribus poteſtatibus, vel à dæmonibus, & cogitationes quædam inſerantur & ſomnia, ita explicat Auguſtin. epiſt. 115. *Arbitror omnem motum animi aliquid facere in corpore. Id autem uſq; ad noſtros exire ſenſus, tam hebetes, tamq; tardos, cum ſint majoris animi motus, velut cum iraſcimur, aut triſtes aut gaudentes ſumus. Ex quo licet conjicere: cum etiam cogitamus aliquid, neq; id nobis in noſtro corpore apparet, apparere tamen poſſe aëreis æthereiſve animantibus, quorum & ſenſus acerrimus, & in cujus comparatione noſter ne ſenſus quidem putandus eſt. Igitur ea, quæ ut ita dicam, veſtigia ſui motus animus figit in corpore, poſſunt & manere & quendam quaſi habitum facere, quæ latenter cum agitata fuerint & contrectata, ſecundum agitantis & contrectantis voluntatem ingerunt nobis cogitationes & ſomnia, atq; id fit mira facilitate. Si etiam noſtrorum corporum terrenorum & tardiſſimorum exercitationes, agendis organis muſicis, ſeu in funambulo, cæteriſq; hujuſmodi ſpectaculis innumerabilibus ad quædam incredibilia perveniſſe manifeſtum eſt: nequaquam eſt abſurdum, eos qui aëreo vel æthereo corpore aliquid in corporibus agunt, quæ naturali ordine penetrant, longe majore uti facilitate ad movendum quicquid volunt, non ſentientibus nobis, & tamen inde aliquid perpetientibus.*

Qui plura de natura & cauſſis inſomniorum cognoſcere deſiderant, illis ante alios legendi fuerint Ariſtotelis cum *de inſomniis*, tum *de divinatione per inſomnia* libelli. Quamvis obſcurior illa ſit doctrina, & naturalibus ille cauſſis plus indulgeat, quàm fere par eſt. Quod quidem Ariſtoteli tanto magis fuerit ignoſcendum, quanto plus ille videtur contemſiſſe rem ſacram ſuorum gentilium, quantoque minus pie de divinis videtur ſenſiſſe. Digna quoque lectu eſt Erneſti Soneri ejusdem argumenti oratio, in eximio opere *Philoſophiæ Altorfinæ* exhibita: niſi quod non deſint, quæ in illa merito poſſint deſiderari. Nam (1) phantaſiæ omninò plus juſto & ea videtur attribuere, quæ rectius ſuperiori δυνάμει nos adſcribimus. Quamvis enim divinitus immiſſa ſomnia omninò admittat, geniorum tamen operam & concurſum planè non attingit. Unde etiam (2) rectè quis reprehenderit, quod ejusmodi ſomnia à geniis inducta inſuper habeat: & quæ illis videntur attribuenda, ſine diſcrimine phantaſiæ vel peculiari illi, qnem inter phantaſiam & res externas eſſe contendit, motui adſcribit. Nec illud (3) concedendum, quod faſcinationis & incantationis vim omnem eludat; cum tamen res illa nimium proh! certa ſit, multorumque infeliciſſimâ experientiâ nimis comprobata. Non quidem dixerimus Sonerum hac parte foviſſe impias ſententias Petri Pomponatii, ut qui phantaſiæ omnia illa attribuerit, quæ tamen non niſi à geniis potuerunt vel poſſunt proficiſci: cautè tamen illum locum omninò eſſe tractandum, plane cenſemus. (4) Nec illud diſſimulandum, in exemplorum adductione Sonerum non ſatis fuiſſe ſollicitum; nec diſtinguere inter illa, quæ certa ſunt, & quæ fidei dubiæ; nec etiam inter illa, quæ à naturalibus cauſſis, vel Magicis fuerunt

Digitized by Google

ſunt producta. (5) demum novum illud genus motus, quo res phantaſiam, vel ſenſoria, adeoque facultates ſenſitivas ſomni tempore movere credit, non ſatis ſufficienter probat; ad quod ipſum tamen perſuadendum integra iſthæc oratio tendit.

Divinorum autem vel potius ex cauſſis ſupernaturalibus productorum adeoque miraculoſorum ſomniorum non pauca exempla collegit Valerius Maximus lib. 1. c. 7. Nec huc dubitamus illud referre, quod Galenus *lib. XIV. de Method. med. p. 8.* comemorat, de homine tumefacta lingua adeò laborante, ut *ore eam continere non poſſet, cui noctû evidentiſſimum per quietem ſomnium, conſilium* Galeni *de remedio topico applicando probavit, ac materiam ipſam medicamenti talis definivit!* De qua univerſa re omninò operæ pretium eſt inſuper legere, quæ Hieronymus Jordanus magna diligentia conquiſita propoſuit longè elegantiſſimo ſuo libro, *de eo quod divinum eſt in morbis humani corporis*, c. 16. Seorſim verò *de incubatione, in fanis Deorum Medicinæ cauſſa olim factâ*, itidem elegantem diſputationem conſcripſit ante aliquot annos in hac Acad. Henricus Meibomius: quâ juxtà cum Jordano luculenter oſtendit, quam frequens fuerit apud Gentiles, divinitus, (ut ipſi credebant) remediorum ad varii generis morbos pellendos facta indicatio. Quibus omnibus digna omninò eſt, quæ addatur hiſtoria planè admiranda & ſingularis exempli de ſomnambulo quodam, & fatidicis ſomniis ipſi ſubinde factis, quam fuſe deſcripſit Henricus ab Heer obſerv. Medic. 11.

In delubris idolorum dormiunt: ubi ſtratis pellibus hoſtiarum incubare ſoliti erant, ut ſomniis futura cognoſcerent. Quod in fano Æſculapii usque hodie error celebrat ethnicorum multorumq; aliorum. Hieronymus *lib. XVIII. commentarior. in Eſaiam cap. LXV, p. 244. c. 2.*

Quænam verò illorum inſomniorum fuerit cauſſa, nunc quidem fortaſſis non neceſſum eſt prolixè indagare: præſertim cum fundamenta hujus rei jam tum paullò antè ſint exſtructa. Naturalibus ſanè ex cauſſis illa fuiſſe orta, nemo temere affirmare poterit. Multò minus ſoli phantaſiæ tale quid vel poteſt vel debet adſcribi: quamvis non deſint, qui ex grege Atheorum ſpiritus dari negantes, non dubitent ad eum modum ſentire. Ubi non poſſumus non notare Joh. Baptiſt. Portæ imprudentiam, qua *lib. I. Phyſiognomiæ cap. II.* ſomniorum ex ſimilitudine deſumptam interpretationem, Joſepho, Danieli & aliis divinitus datam, cum arte Oneirocritica confundit. Quin itaque ſuperior vis cum aliàs, tum in ejusmodi fatidicis ſomniis concurrat, non videtur amplius eſſe dubitandum.

Ad Geneſ. XXV. ℣. 32.

Fœtum jam grandiorem ſeſe movere in utero, nihil eſt novum, ſed homini pariter cum omnibus aliis animantibus vivum fœtum parientibus commune: & quidem quanto vegetior fuerit fœtus, tantò magis ille ſeſe ſolet agitare. Verum de tali motu hæc non eſſe intelligenda, ipſamet hiſtoria docet. Nec enim de re omnibus gravidis competente ad Deum conſulendum Rebecca abiiſſet. Fuit itaque motus ille ſimilis pugnæ cuidam. Id quod divina quoque reſponſio manifeſto comprobat. Aſt ab hoc motu longè alius eſt, quô Johannes in utero matris exultaſſe legitur Luc. 1. ℣. 41. Omnino enim veroſimilis illorum eſt ſententia, qui eundem non niſi divinitus factum aſſerunt. Hinc Hieronymus epiſt. 8 ad Demetriadem ſcribit, *Johannem prophetaſſe in utero materno.* Quô etiam reſpicit quando epiſt. 151. ad Algaſiam. quæſt. 1. ita claudit: *Ut quomodo Elias ſecundi præcurſor adventus eſt, ita Johannes venturum in carne Dominum Salvatorem, non ſolùm in eremo,*

ſed

ſed etiam in matris utero ſalutarit, & exultatione corporis nunciarit.

Ad Geneſ. XIX. ℣. 32. ſeqq. &c.

Nihil ferè tum antiquis, tum hodiernis moribus paſſim ita eſt & fuit uſitatum, quàm potui ad ebrietatem usque indulgere: quamvis plurimis tale quid obtingit præter animi ſententiam. Certè res ipſa digna eſt conſideratione: quæ ipſa duobus ferè capitibus abſolvitur, tum ejus cognitione, in quonam videlicet ebrietas conſiſtat; tum conſideratis illis, quæ vim obtinent inebriandi.

Quod ad prius pertinet αὐτοψία docet, caput maximè & primariò affici, & quidem ita, ut illud præter naturam incaleſcat; ceu jam olim præclarè obſervatum fuit ſect. 3. problematum, quæ in Ariſtotelem autorem referri ſolent; perperam tamen, ut alibi luculenter oſtenditur. Hinc ſanè etiam eſt, quod quibus cerebrum fuerit calidius, illi præ aliis etiam poſſint hoc affectu corripi. Quinimò etiam multis ſobriè viventibus & omni potu καρηβαρικῷ abſtinentibus tale quid obvenit, per humorum præter naturam in caput tendentium efficaciam; illis videlicet qui cum catarrhis ſolent conflictari. Prout autem porro cerebrum aliter temperatum fuerit, & ipſummet potus genus aliis atque aliis qualitatibus inſtructum, pro eo quoque variis aliis modis ebrii affici ſolent. Hinc alii quidam in furorem quaſi aguntur, alii quidam redduntur læti & hilares, alii quidam ſomnolenti & torpidi, alii quidam triſtitia afficiuntur, alii quidam etiam fortes quaſi redduntur & audaces, alii quidam ſolito quodammodo redduntur ingenioſiores, & in univerſum ſinguli propemodum ſuo quodam modo afficiuntur.

Noë vinum bibit, & inebriatus eſt. Poſt diluvium, rudi adhuc ſeculo, & tunc primum plantata vinea, inebriare vinum forſitan neſciebat. Hieronym. *ad Euſtoch. de cuſtod. virgin. p. 137. a.*

Digitized by Google

tur. Ex quibus omnibus ſanè magis magisque confirmatur illud, quod ſupra jam nonnihil tetigimus, arctum ſcil. nexum inter humores & animum intercedere, pro ſanguinis etiam varia conſtitutione ſenſus internos & ipſammet mentem noſtram diverſimodè ſimul affici. Quibus præterea omnia alia addenda ſunt extra nos poſita, vel aliàs inter cauſſas remotas & externas numerari ſolita, quæ ad ebrietatem vel cito producendam, vel longè remorandam, vel etiam planè diſcutiendam faciunt. Prout ſcil. ipſe animus noſter vel tranquillior vel commotior fuerit, pro eo quoque magna varietas circa ebrietatem inducendam occurrit. Plerumque videlicet, qui animo ſunt planè defæcato & ſereno, minus ebrietatem incurrunt præ illis, quibus graves curæ animum macerant, quique perpetuo quaſi mœrore conficiuntur. Ut vel hinc manifeſtò appareat reciprocus ille, corpus & animum mutuò afficiens, motus. Præterea verò non parùm huc conferunt partes infimi ventris, & ante omnes ipſemet ventriculus Quibus enim debilior ille obtigit, nunquam etiam ferè non cerebrum quoque habent minus robuſtum: quod videlicet frequentiores & citiores in id è ventriculo fiant ἀναθυμιάσεις Qua de cauſſa etiam jejuno ſtomacho ſumtus generoſior aliquis potus præter alia varia damna citiſſimè caput tentat. Quod vel in illis clarè obſervare licet, qui matutino tempore potum ejuſmodi aſſumere conſueverunt. Debet autem ipſemet quoque potus inebriandi vim obtinens conſiderari. Qui enim καρηβαρικὸς eſt, vel aliàs vaporoſus, longè citius inebriat, præ alio aliquo, qui minus eſt talis. Præterea quoque qui diutius in ventriculo reſtagnat citius capiti nocet, quam ſi ſtatim inteſtina & vaſa ſubeat. Unde etiam eſt, quod quidam potus in magna copia abſque nauſea poſſit aſſumi, quidam autem minus: prout videlicet diutius vel

brevius

Digitized by Google

brevius in ſtomacho commoratus fuerit. Neque illud non attendendum eſt, quod in quibusdam citius potus vel in vaſa rapiatur, vel etiam ad renes & veſicam feratur: quum ex adverſo in aliis neutrum horum, vel ſaltem parce fiat: Unde porrò fit, quod quidam ad ſat longum tempus bibendo non tamen ad urinæ excretionem ſoleant exſtimulari, quidam autem ſubinde ad eam reddendam cogantur. Præterea quibus ne hoc quidem fit, nec tamen ullam moleſtiam vel nauſeam in ventriculo percipiunt, illis vel omnem vel ſaltem maximam potus aſſumti partem vaſa ſubire atque per habitum corporis diſpergi oportet.

Quod verò ad potum ipſum inebriandi vi pollentem pertinet, utique notiſſimum eſt, quo generoſior ille fuerit, eò plus etiam tali facultate illum eſſe inſtructum. Et vinum quidem inter primos meritò numeratur. Cui affines ſunt omnes alii potus factitii, ſive ex frumento, ſive ex melle, ſive ex fructibus facti fuerint. De quibus omnibus tamen hoc diſcrimen in univerſum notari debet, quod quidam citius inebrient, quidam tardius; quidam porro breviorem ebrietatem inducant, quidam longiorem. Et quidem quo magis ſubtilium & tenuium partium fuerit potus, eò citius quidem caput ferire poteſt, ita tamen ut citius ebrietas & crapula diſſipetur. E contrariò qui potus craſſiores partes obtinent, tardius quidem caput occupant, difficilius tamen & multò longiori tempore diſſipari poſſunt. Id quod vel propterea quoque notari meretur, ne quis varios potus uno eodemque tempore ingerat, utpote cum eo modo non tantum citius ebrietas producatur, ſed etiam difficilius diſſipetur, majoremque crapulam excitet. Fit idipſum videlicet hoc modo, quod dum tenues generoſi potus partes citò in ventriculo alterantur, ſimul craſſiores, quæque non æque promtè mutationem ſubire poſſunt, alterius

potus

potus partes crudos adhuc & ſemicoctos in cerebrum ſecum abripiant. Unde adeò fit, ut & ventriculus magis perturbetur, & quæ in caput ſemicocta abrepta ſunt diutius ibi commorentur, unde gravior & diuturnior crapula prodeat neceſſum eſt. Quo diutius videlicet in capite hærent humores iſtiuſmodi, eò magis efferveſcunt. In quo crapulæ cauſſa unicè conſiſtit.

Quomodo verò ſomnus ab inebriatione producatur in proclivi eſt exponere. Quum enim omnis ebrietas fiat per cerebri incaleſcentiam, non quamlibet, ſed quæ à potu aſſumto eſt producta, & ita quidem, ut plurimæ evaporationes in cerebrum ſint factæ; non poteſt utique non fieri, quin illæ poſtea in cerebro refrigerentur, & quidem eò citius, quo & majori copia id factum fuerit, minus diſſipari potuerit & cerebrum ipſum eo citius alterare quiverit. Uno verbo: quando vinum vel alius generoſus potus halitus in magna copia ad cerebrum miſerit, atque ita cerebro incaleſcente ebrietas oritur; vaporibus autem illis poſtea in cerebro refrigeratis, ſomnus producitur: eo planè modo, quo ſupra fuit expoſitum.

Ex quibus omnibus facile jam patet, non vinum tantum ſed omnia illa, quæ halituoſa ſunt, vim ſimul obtinere inebriandi. Nequaquam enim cum nonnullis exiſtimandum eſt, quaſi vinum habeat vim narcoticam ſeu obſtupefa-

---

Nolumus Benevolum Lectorem hic celare, B. Autorem ſententiam ſuam poſtea mutaſſe. Namque deprehendimus eum in margine autographi hæc verba ita mutaſſe: Per ebrietatem non refrigeratur, ſed juſto plus incaleſcit. Unde rubedo faciei & oculorum calor. Præterea ebrietati obſiſtunt topica & frontalia refrigerantia. Producitur autem ſomnus per inebriationem non tam à refrigeratis humoribus ſive vaporibus, quam ſuffocatione. Quomodo copioſus fumus exſtinguit flammam, vel ſaltem cohibet.

peſaciendi. Licet enim quædam hujus generis in eo obſerventur, propter affinitatem tamen nonnullorum ſymptomatum & effectuum nequaquam vis inebriandi cum Narcotica facultate eſt confundenda. De qua re quum in noſtris diſſertationibus Diæteticis prolixius jam aliquantò egerimus, non neceſſum eſt huc, tanquam in locum alienũ, illam diſputationem transferre. Quum verò ebrietas in eo, prout dictum eſt, conſiſtat, non mirum fuerit multos alios potus præter vinum æqualem facultatem illam obtinere. Quales potus ſunt plurimi ex frumento facti, vel etiam ex melle. Cujus poſterioris generis potus maximè uſitati ſunt in Polonia, Livonia, reliquaque Sarmatia, regno item Sueciæ aliisque confinibus locis.

Tantum hoc notetur, ipſam ſeu frumenti ſeu mellis præparationem multò plurimum huc conferre. Nec enim ex ſimplici aliquo frumenti decocto talis potus inebriandi vi pollens unquam poteſt parari; ſed illam demum acquirit, per fermentationem, quam Maltationem vulgò appellant. Neque negandum, lupulum etiam incoctum multum vim illam promovere. De qua re aliàs fuſius.

Tantum hoc addatur: per ebrietatem non duntaxat incaleſcere cerebrum, ſed ſimul etiam ſanguinem variis modis affici & agitari. Unde etiam non poteſt non fieri, quin cum alii ſenſus, tum & cumprimis quidem phantaſia miris modis alteretur. Id quod in cauſſa etiam eſt, quod varios mores aſſumere ſoleant ebrii: id quod paullò ante indicatum fuit. Cum vero per unam ebrietatem ita & corporis & animæ facultates afficiantur, non mirum debet eſſe, quod ebrioſi vel ſtupidi vel deliri vel aliàs aliam quaſi naturam induere deprehendantur.

Qui plura in univerſum de ebrietate & ebriis cognoſcere volet, illi ante alios legendus erit elegans & doctus

liber *de ebrietate* Brunonis Seidelii, quamvis ille rarior hodie ſit inventu.

Ad Geneſ. XIX. ℣. 24. & 25.

Sodomitis regio non tantum fuit argilloſa, ceu vulgò & etiam à B. noſtro Luthero id expoſitum eſt; ſed potius bituminoſa, quomodo à Tremellio & aliis redditum fuit cap. 14. ℣. 10. unde ſine dubio factum tum fuit, ut multæ ex locis illis bituminoſis factæ exhalationes accenſæ ſulphureum ignem ſuppeditaverint. Præterea verò terram illam talem fuiſſe, quam maximè quoque colligitur ex bitumine, quod poſtea in mari mortuo (quod nempe regioni illi ſubverſæ poſtmodum ſucceſſit, & in quod illa mutata fuit) collectum in alias regiones deinde exportatum fuit. Hoc videlicet eſt, quod bitumen Judaicum jam antiquis etiam vocatum fuit, quodq; ob præſtantiam ſuam reliquis omnibus bituminis generibus fuit prælatum. Id quod tum ex aliis priſci ævi ſcriptoribus patet, tum ex Galeno, qui ſtagnum illud bituminoſum ſeu mare mortuum deſcribit, & tum ſal tum etiam bitumen in eo reperiri teſtatur, *lib. 4. de ſimplicium Medicamentor. facultatibus c. 20.* Quamvis ad nos fortaſſis genuinum vix, vel certè valde raro importetur: quod videlicet ut plures alii ejuſmodi ſucci, variis modis ſoleat adulterari. Qui aliàs in genere de bitumine quædam diſcere cupiunt, ſatis multa etiam invenient apud Georg. Agricolam, tum aliis tum *lib. 1. eorum quæ effluunt ex terrâ*, & Andream Cæſalpinum in opere de metallicis.

Ad Geneſ. XXX. ℣. 14. & ſeqq.

Quid per *Dudaim* propriè intelligatur, tum etiam quam ob cauſſam Rachel illa expetiverit, valde ſollicitos habet meliores quosque interpretes.

Primum enim quidam ſimpliciter flores quosdam amabiles

biles & pulchros, quidam autem lilia & violas voce illa denotari exiſtimant. Quos inter etiam eſt doctiſſimus Mercerus, Tremellius, & alii. Ex adverſo quam plurimi tam ex antiquo quam recentiori ævo mandragoram denotari certo ſibi perſuadent. Quæ vox etiam reperitur in vulgari illa LXX interpretum verſione, & origine Græca vel potius barbara eſt, judice quoq; doctiſſimo Hofmanno lib. 2. de Medic. offic. cap. 14. §. 1. ut adeò ridiculè hallucinentur, qui vocem eam Germanicæ originis faciunt à Man & dragen compoſitum, quaſi virigeram vel hominigeram. Niſi tamen barbari illi fuerint Celtæ, ac idem hic contigerit, quod in voce butyri factum apparet. Sed hanc de mandragora ibi intellectâ ſententiam porrò peculiari itidem libello confirmare, & oppoſitam ſententiam refutare non dubitavit doctiſſimus Druſius.

Quicquid autem demum de hac re ſit, & quamvis Druſii illa & illi conſentientium ſententia præferenda eſſet, (quod tamen forte nondum nimis eſt certum,) ſecundò tamen multo magis controverſum eſt, quid per *mandragoram* intelligi debeat: partim quod nondum certum ſit, num Mandragora illa, quam Theophraſtus deſcribit, ſit eadem cum illa, cujus facultates Dioſcorides exponit: partim

 quod

Pulchra Mandragoræ poma & odorifera eſſe: Et quia frigida admodum, ideo ſomno conciliando ſervire, maxime vero menſtruis ciendis, matrici purgandæ, pr. fluvio ſiſtendo, refrigerando humectandoq; fœminarum utero, (qui in calidis regionibus, ut erat Meſopotamia & Iudæa, fervidior juſto ſicciorq; eſt,) adhiberi ſolitas, teſtatur Dioſcorides, Theopharaſtus, Epiphanius, & alii. Qui addunt ex plurium opinione mandragoram vim philtri habere, & idcirco Circeam vocari, & pomum amoris. Et hæc videtur cauſa fuiſſe, cur Rachel eam tam avido ardore expetierit. Jacob. Tirinus *commentar. in h. l. p. 113.* Vid. Cornel. à Lapide commentar.

quod ſimiliter adhuc incertum ſit, an planta illa, quam nos ita vocamus, fuerit eodem nomine à veteribus inſignita.

Porro verò & tertio multò adhuc abſtruſius eſt, quem ob finem Rachel Dudaim expetiverit? Dioſcorides quidem & Theophraſtus *l.9.hiſt.plant.c.10.* alii connumerant mandragoram inter illas plantas, quæ amatoriæ ſint facultatis. Præterea quoq; vim illi attribuunt menſtruum fluxum promovendi. Ut fortasſis itaque videri poſſit, arcendæ ſterilitatis ergo plantam illam à Rachele fuiſſe expetitam. Sed huic quidem rei quàm maximè videtur obſtare averſus animus & odium, quo ſororem Lea proſequebatur. Multo minus itaque vero videtur conſentaneum, talem plantam huic illam fuiſſe conceſſuram. Poſſet etiam illud venire in conſiderationem, quod Mandragora tota videatur venenatarum qualitatum nonnihil eſſe particeps, præterea verò poma illius manifeſtam vim habeant inducendi ſoporem. Sed huic rei jam tum ab aliis ea reſponſione fuit occurſum, quod plantæ illius vires non ſint æſtimandæ ex noſtro vel vicinarum regionum ſolo, quum, quod frigidior harum regionum aër non ſatis poteſt in illius qualitatibus domandis præſtare, terrarum illarum calor facilè posſit vincere, & ita in illis calidis regionibus gratum ſaporem & odorem illis conciliare cœlum mitius; quod videlicet ſol ea in iſtis terris magis posſit terebrare: ceu Scherbium jocari ſolitum refert; Caſpar Hofmannus in opere *de medicamentis officinalib. cap.de Mandragora.*

Quicquid itaque de univerſa hac re ſtatuendum veniat, quum tot difficultates ſeſe offerant, non dubitamus ſententiæ illorum accedere, qui, non certè nobis conſtare aſſerunt, quid propriè hoc loco & qualis planta intelligatur: præſertim quum qua de cauſſa Rachel plantam illam expetiverit, non liceat quoque conjectura facile aſſequi,

parum

parum etiam videatur referre, hac ipſa in re nimium laborare.

Neque verò eſt, quod quis fortasſis exiſtimet, Rachelem fuiſſe imbutam illis perſuaſionibus, quæ multis in locis jam a longo tempore obtinent; quod videlicet radici illi peculiaris quædam vis inſit mulieres fœcundas reddendi; quod item radix illa effigiem humanam repræſentare vulgo creditur: quum hæc ipſa res nefandis impoſtorum fraudibus maximam partem debeatur. Nec heic ſubſtitit improbitas, ſed ulterius etiam ad diabolicas artes ſolet radix illa adhiberi. Non etiam eſt, quod quis impias fabulas vulgi moretur, quod hæc planta non niſi ſub patibulis reperiatur, producta videlicet ex ſuſpenſorum urina, quodque citra manifeſtum vitæ periculum non poſſit ex terra extrahi. Quas ſceleſtas fraudes ſic ſatis etiam graphicè deſcribit Matthiolus *comm. in Dioſcorid.* quarumque meminit itidem Hoffmannus *l. d. §. 2.* Qui tamen rectè addit, jam etiam antiquo ævo, adeoque apud ipſos Judæos de planta quadam planè ſimilia quædam vulgò fuiſſe perſuaſa, cujus rei diſerta mentio habetur apud Ælianum & Joſephum. Joſephi verba extant lib. VII. cap. XXV de bello Judaico & ſunt iſta: *Vallis, qua civitas a parte ſeptentrionali cingitur, quidam locus baaras appellatur, ubi radix eodem nomine gignitur, quæ flammæ quidem aſſimilis eſt colore, circa veſperam verò veluti jubar fulgurans, accedentibus eamque evellere cupientibus facilis non eſt, ſed tamdiu refugit, nec prius manet, quam ſi quis urinam muliebrem, vel menſtruum ſanguinem ſuper eam fuderit. Quin etiam tunc, ſi quis eam tetigerit, mors certa eſt, niſi forte illam ipſam radicem de manu ferat pendentem. Capitur autem alio modo ſine periculo, qui talis eſt: Totam eam circumfodiunt, ita ut minimum ex radice terra ſit conditum: deinde ab eâ religant canem, il-*

loque ſequi eum, à quo relegatus eſt, cupiente, radix quidem facile evellitur, canis verò continuo moritur, tanquam ejus vice, à quo tollenda erat, traditus: Nullus enim poſtea accipientibus metus eſt. Tantis autem periculis propter unam vim capi eam operæ pretium eſt. Nam quæ vocantur dæmonia, peſſimorum hominum ſpiritus, vivis immerſa eosque necantia, quibus ſubventum non fuerit, hæc cito, etiamſi tantummodò ægrotantibus admoveatur, abigit. Vide quæ ad hæc verba obſervavit doctiſſimus Bodæus. comment. ad Theophraſti hiſtoriam Plantarum lib. IX. c. 9. p. 1043. Scelettas, quas ſupra vocavimus, fraudes è variis autoribus, collectas ὡς ἐν ἐπιτομῇ recenſet Cl. Thomaſius peculiari *diſp. de Mandragoræ* habita, c. III. §. 53. *Ex urinâ*, inquit, *quam homo innocenter ad ſuſpendium furti crimine damnatus inter extrema vitæ effuderit, herbam naſci ajunt ſub patibulo, foliis latis, flore croceo, radice hominem exactiſſime ſimulante, pilis quoq; & ipſis ſexuum notis apparentibus. — Eam eruere rem eſſe pleniſſimam periculi: ab erutâ enim radice gemitum edi tam terribilem ut audienti foſſori moriendum ſit è veſtigio. Sed paratum eſſe remedium, cujus has afferunt ceremonias. Die Veneris ante ſolis ortum auribus goſſypio oppletis, ceraque aut pice occluſis exire jubent, crucis figuram terno tripodis circumductu plantæ inſcribere, tum circumfodere totam, ſicut terræ non niſi extremâ fibrâ obhæreat; ita ſolicitatam caudæ canis alligare funiculo, ſtatimq; aufugere, fruſto panis cani objecto: id dum appetentem nitendo radicem evellere, moxq; auditu ejus [illegible] concidere mortuum. — Poſſidentibus [illegible] divitias, futurorum prænotionem, breviter [illegible] favorem pollicentur. Sed eſſe rei tam beneficæ [illegible] attribuendum. Ergo vino eam lavare, [illegible] panno candidi rubriq; coloris involvere, in capſulâ condere, [illegible] novilunii [illegible], & hæc omnia [illegible] verbis peragere*

gere ſas eſſe, lædere vel minimâ ex parte nefas, & ſummi rem periculi. Quapropter in philtris quidem ejuſmodi radix commendatur, ſed ita ut omne illud ad diabolicas & vetitas artes pertineat. Mihi videtur potius Rachel illo morbo fuiſſe affecta, quem Græci κίτταν, Latini picam nominant, cujus exempla paſſim leguntur. Tale fuit deſiderium, de jaculatione ovorum in faciem mariti, quod ex Rudolphi Camerarii *memorabil.* repetit Drexel. *lib. 1. Cœli c. 4. p. 63. & 64.* Mihi cauſſæ ejus aliæ videntur naturales aliæ ſupernaturales. Vide quoque Marcell. Donat. *l. 4. de med. hiſt. mirab. c. 1.*

Ad Geneſ. XXXIV. ℣. 25.

Conſtat omnis ævi experientia, tertio plerumque die vulnera quam maximè ſolere exacerbari, & dolorem majorem percipi quàm ſub initium. Cauſſa autem hujus rei illa eſt, quod tum ſymptomata accedant, quæ ſub initium aberant. Sunt autem illa præcipuè partis calidior intemperies, & accedens febris. Porro etiam vulnera tum incipiunt ſuppurari: quod à calidiori intemperie producitur, & non poteſt etiam non majorem dolorem excitare. Solent etiam alia die tertio ſupervenire, inter quæ etiam hæmorrhagia quædam ſæpe prodit. Quæ omnia usque adeò accurate & ſollicitè à medico obſervanda ſunt, ut omnem operam dare debeat, ne ægrotus negligentius habeatur.

Non tantum autem in vulneratis tertio die ſymptomata augeſcunt, ſed in multis aliis quoque affectibus. Quomodo puerperæ quoque tertio die primum cum variis ſymptomatibus incipiunt conflictari. Et verò quam maximè hæc obſervanda ſunt, ne quis primo vel ſecundo die jam omnia extra periculum poſita eſſe temere ſibi perſuaderet.

Quod

Tale deſiderium fuit Davidis erga aquam Bethlehemiticã, 1. Sam. xxiii, 15. & 1. Chron. xi, 17. Utrobiq; Lutherus emphaticè vertit, Lüſtern.

Quod ſi autem cauſſam illius rei ulterius quis ſciſcitetur, videtur eadem ferè eſſe, quæ eſt κρίσεως, utpote quæ in morbis acutis tertio die etiam quadamtenus primò ſolet inſtitui. Et vulgo quidem cauſſam omnium iſtorum accidentium ſolent in ſiderum & lunæ præcipuè motus referre. Verum huic rei, tum aliud tum illud maximè obſtat, quod non appareat, cur diebus tantum imparibus vel quibusdam duntaxat & non omnibus idipſum fiat; cum ſiderum & lunæ vis procul omni dubio ſit eadem ſingulis diebus. Non quidem negandum eſt, pro vario illorum motu, variis quoque modis hæc inferiora affici. At verò quare id tantum fiat tertio, quinto, ſeptimo, aliisque certis quibusdam diebus, nulla apparet ratio. Quid porrò dicemus de ſingulis hominibus? Quod ſi enim v. g. hic hodie, alter vero cras vulneretur, aut alio morbo quopiam corripiatur: non eodem die illis ſymptomata augentur vel accedunt, ſed ſervato ſuo ordine, ſupputatione à primo morbi die facta: Quapropter affirmandum foret, ſingulis hominibus ſingulisque morbis ſuam peculiarem competere conſtellationem. Quod ipſum quantas difficultates ſecum trahat, nemo non videt: præſertim ſi ſinguli homines per univerſum terrarum orbem longè lateque diſſiti vi illi ſiderum ſint expoſiti. Operæ verò pretium eſt ulterius expendere, quæ adverſus illam ſententiam optimè diſputavit Picus Mirandulanus longè præſtantiſſimo opere *adverſus Aſtrologos*. Fortaſſis itaque longè rectius affirmaverit quis, fieri hæc omnia à motu & impetu quodam naturali, quod videlicet hi vel illi humores hoc vel illo tempore ſponte ſua ſoleant efferveſcere. Cui rei gemina multa alia licet obſervare.

AD

Ad Exodi II. ℣. 3. & ſeqq.

Nullum dubium eſt h. l. intelligi Nilum, vel etiam brachium quoddam ejus. Præterea verò per Algam ſive alia harundo aquatica intelligenda eſt, ſive papyrus. Hæc enim frequentiſſime in magna copia provenit in Nilo, & aquis ab ejus inundatione reſtagnantibus. De qua re, & in univerſum omnibus illis, quæ ad Nilum pertinent, elegantem librum conſcripſit Marcus Fridericus Wendelinus, quem hîc non fuerit de nihilo inſpicere. Quamvis enim quædam hinc inde addi poſſint, laudem tamen diligentiæ jure commeretur.

Ad Exod. III. ℣. 14.

Præclara ſunt, quæ in h. l. annotavit B. Calixtus comm. ad xx. prima capp. Exodi: *Uti Deus futuro videtur ad ſignificandam conſtantiam & certitudinem promiſſionum. Vertitur etiam rectè: Sum qui ſum, quia frequens eſt temporum enallage apud Hebræos* I. *autem videtur innuere, quod ſolus & unicus ſit Deus, neq; alio indigeat nomine. Ubi plura individua, ibi opus nominibus, ut poſſint diſtingui. Cæterum Deus ſimpliciſſimè unus eſt, cum non ſint præter ipſum alii divinitatis participes. Sic ſol ſimpliciter dicitur ſol, quia non ſunt plures ſoles. Vult autem nominari ab ipſo eſſe, quia eſt ſuum ſibi eſſe, ſive ex ſe eſt, & quicquid in ipſo eſt, mera eſt eſſentia.* II. *Videtur etiam hoc reſultare. Quamdiu nullus erat cultus idolorum, dicebatur ſimpliciter, Deus vel Elohim. Quando verò idola coli cœpta nomen Dei occupaverunt, non amplius ſufficiebat illud: potuiſſet enim dubitari, num verus vel fictus Deus intelligeretur. Cum itaq; Moſes non ignoraret, vocari quoq; idola nomine Dei, peculiare aliquod nomen volebat ſcire, quod idolis commune non eſſet, verumq; Deum à falſis & fictitiis diſtingueret.* Prius illud paſſim obſervant interpretes, quorum verba hîc non ſubjungemus, ſi unicum tamen

 audi-

audiverimus Hieronymum epiſt. 57. ubi ad Damaſum ita perſcripſit: *Una eſt Dei & ſola natura, quæ verè eſt: Id enim, quod ſubſiſtit, non habet aliunde, ſed ſuum eſt. Cætera, quæ creata ſunt, etiamſi videntur eſſe, non ſunt, quia aliquando non fuerunt: & poteſt rurſum non eſſe, quod non fuit. Deus ſolus, qui æternus eſt, hoc eſt, qui exordium non habet, eſſentiæ nomen vere tenet. Idcirco & ad Moyſen de rubo loquitur; Ego ſum, qui ſum. Et rurſum: Qui eſt, me miſit. Erant utique tunc angeli, cœlum, terra, maria. Et quomodo commune nomen eſſentiæ propriè ſibi vendicat Deus? Sed quia illa ſola natura eſt perfecta, & in tribus perſonis Deitas una ſubſiſtit, quæ eſt verè, & una natura eſt: Quisquis tria eſſe, hoc eſt, tres eſſe hypoſtaſes, id eſt, uſias dicit: ſub nomine pietatis, tres naturas conatur aſſerere.* Plura hanc in rem legi poſſunt apud Magiſtrum ſententiarum lib. 1. diſtinct. 8. Valleſ. lib. de Philoſophia ſacra cap. 14.

Ad Exodi IIX. ℣. 7. & ſeqq.

Quamvis noſtro quoq; ævo non deſint, qui incantamenta vel planè contemnant, vel aliàs nihil illis ineſſe virium exiſtiment: nihilominus tamen nefas fuerit in tanta luce hujus rei fidem in dubium vocare. Fiunt ſcil. hæc omnia per adjurationes, vel alia ſymbola quædam: quæ ex ſe quidem nihil utique poſſunt, ſed omne quicquid valent acceptum debent geniis. Quæ res cum longè graviſſimi momenti ſit, quam maximè quoque diligentem & accuratam conſiderationem requirit. Nec enim eſt, quod quis vel cum Pomponatio, vel aliis, phantaſiæ aut Melancholicis humori-

De miraculorum proprietate, magorumque illis actionibus, ac mirabilibus rerum productionibus præclare diſſerit Auguſtinus *l. 3. de Trinit. c. 5, 6, 7, 8, 9.* Summa hæc eſt: Angelos tam malos quam bonos noviſſe nobis occultas naturas rerum, atque ita poſſe eas movere cauſſasque applicare, quando Deus id jubet vel concedit.

moribus illud ipſum adſcribat, vel moveatur illis argumentis, quæ in ſagarum patrocinium cum alii tum Johannes Wierus & in opere *Dæmonolatrias*, & peculiari libro diſputavit. Quum verò res illa Magica valde diffuſa ſit & multarum ſpecierum, omnia tamen à nonnullis præclaris viris ita accurate ſunt expoſita, ut quæcunque ſunt hujus generis clarè explicaverint. In quibus præter alios digni ſunt Lectu dialogi, quos *ſtrigum* nomine ſuperiori ſæculo conſcripſit Johannes Franciſcus Picus Mirandulanus; quos in Germania poſtmodum cum inſigni quadam & horrenda hujus generis hiſtoria excudi fecit Martinus Weinrichius. Docti ſunt itidem libelli ſimiliter ad dialogorum morem conſcripti *de Dæmonologia*, quos confecit Sereniſſimus Jacobus Angliæ Rex, Caroli II. hodie regnantis avus, princeps longè doctiſſimus. Præ omnibus tamen aliis accuratiſſimè univerſum hoc argumentum perſecutus eſt Nicolaus Remigius quatuor libris *de Dæmonolatoria* conſcriptis, qui præ omnibus aliis etiam legi omninò meretur.

Ad Exodi IIX. ℣. 7. 8. 9. & 10.

Poſſunt in genere de omnibus his miraculis tria quæri, (1) An animalia illa & inſecta, quæ in plagam Ægyptiis immiſſa ſunt, fuerint tum divina virtute producta? (2) an verò ex aliis locis adducta? Quibus (3) hoc quoque addi poteſt, an illa, quæ Magi ſuis adjurationibus produxere, ſimiliter vel verè talia fuerint, atque tum à Cacodæmone facta, vel aliunde advecta, an verò fuerint meræ præſtigiæ,

 Quod

Virga in ſerpentem verſa quid aliud indicavit, niſi volente Deo ex inſenſibilibus ſenſibilia poſſe generari? Ambr. *l. de fide reſurr. p. 33. ed. Baſ.*

Heic mentio facienda ranuncularum, quæ poſt pluvias copioſe apparent, quaſque cum iis cælitus delapſas vulgo exiſtimant, quibus etiam

Quod ad primum attinet, fuiſſe tum animalia iſta de novo divina virtute producta, ipſa hiſtoria clarè atteſtatur. Simul atque enim Moſes baculum extendit ſubitò hæc omnia præſentia apparuiſſe ipſemet ille diſertè commemorat. Accedit etiam, quod ſi ex aliis locis hæc abrepta fuerint, omninò videatur vero conſentaneum, aliud aliquod acceſſiſſe.

Deinde tamen hoc de omnibus non videtur eſſe affirmandum, adeoque quædam aliunde tum fuiſſe in unum comportata. Id quod non obſcurè ex ipſomet textu licet colligere de locuſtis, utpote de quibus cap. 10. ℣. 13. expreßè dicitur, fuiſſe illas adportatas per Eurum toto die & tota nocte: quæ deinceps iterum à Zephyro fuerunt in mare algoſum ſeu rubrum projectæ, ceu ſcribitur eodem capite v. 19. Et verò id quoq; de coturnicum immenſa multitudine in caſtra Iſraëlitarum diſperſa videtur omnino affirmandum. Quod ſi in aliis inſectis itidem fuiſſet factum, nullum dubium eſt, quin ſacer Scriptor id annotaſſet.

Quid verò (3) à Magis fuerit præſtitum de eo diverſæ ſunt ſententiæ. Verùm quicquid ſit de aliorum opinionibus

---

etiam conſenrit Guil. Rondeletius in opere de aquatil. Sed jam olim id falſitatis arguit Theophraſtus l. de animalibus repente apparentibus. Scilicet deberet ſenſu quoque obſervari lapſus illarum. Cur vero præterea ruri tantum apparent, non in plateis oppidorum? Sæpe quoque quis à pluvia corripitur ruri agens; cur igitur non videntur, quum grando etiam rariſſima, vel guttulæ paucæ pluviæ viſum non fugiant? Saltem aliquando deberet conſpici, vel etiam tactu percipi, ut pluvialis guttula cadens. Pro affirmante ſententia diſputat Olaus Wormius in *Muſeo.* Nubes trabis figura in mare miſſas, idque concitantes & aquam rapientes, in inſula Calderone vidit Rauvvolff *Hodæpor. p. 3. c. 23.* addens, hinc fieri, quod interdum vermes ranæ, ſpongiæ, cochleæ, muſculi, alia depluant. *p. 327. & 328.*

Digitized by Google

bus, primo non fuiſſe illas præſtigias, ſed aquam Nili aliorumque rivorum & ſtagnorum ab illis ſimiliter in verum ſanguinem fuiſſe converſam, & ranas etiam veras coram exhibitas, ipſemet Moſes clarè exprimit. Deinde fuiſſe tum eadem Deo permittente à cacodæmone de novo genita, non minus clarè ex eodem licet colligere. Dicit enim expreßè Moſes: *Magos Ægyptios ita quoque feciſſe ſuis adjurationibus:* neutiquam profectò taciturus, ſi fraudes ullæ interveniſſent. Et verò operæ pretium eſt, de poſtremo hoc expendere illa, quæ ex variis ſcriptoribus collecta propoſuit Hieronymus Jordanus longè elegantiſſimo libro, *de eo quod divinum eſt in morbis humani corporis, cap. 10. & 11.*

Sanè, quod Deo permittente hæc à malis Geniis fieri poſſint, vel hic locus manifeſtò indicat. Nec tamen eos ultra, quam ipſis à Deo conceditur, quicquam poſſe efficere, clariſſime liquet ex pediculorum productione, quam ipſis tum fuiſſe denegatam ex Magorum ingenua confeſſione conſtat, quum tamen pediculus longè ſit vilius animal, & quod ex putredine citius generari poſſit, quàm rana.

Ad Exod. XV. ℣. 23. ſeqq.

Harum aquarum amaritudo videtur proveniſſe à nitro, videnturque hi eſſe fontes planè iidem, quos circa illum locum à ſeſe viſos & guſtatos ſcribit Petrus Bellonius lib. II. obſerv. c. 57. Quanam autem virtute lignum, quod Dei juſſu, aquis illis injecit Moſes, earundem amaritiem correxerit, interpretes non conveniunt, aliis naturali aliis ſupernaturali vi hoc factum cenſentibus. Et ſanè Eccleſiaſticus ea ſuggerit, è quibus naturali ipſius ligni virtute id præſtitum eſſe quis colligat. Verba extant cap. XXXIIX. 4, 5. *Dominus medicamenta procreavit de terrâ, & vir prudens ea non abhorrebit. Nonne aqua à ligno accepit dulcedinem, ut potentia ejus homini innoteſceret?* Sed etſi quis id ipſum

conceſſerit, non tamen omne miraculum hic abfuiſſe exiſtimamus cum Joſia Simlero, viro doctiſſimo, cujus verba ex erudito in Exod. comment. p. 61. proferemus. Hic nempe cum iſta ipſa Syracidæ verba recitaſſet, iſta ſubjungit: *Videtur autem ideo Docendi verbum poſitum eſſe. Non enim ſcribitur, Deum præcepiſſe Moſi, ut lignum injiciat, ſed docuiſſe, hoc eſt, certum genus ligni demonſtraſſe, & ejus vires indicaſſe. Utitur autem Deus in juvandis hominibus plerumq; uſitatis rationibus, & inſtrumentis rerum efficiendarum, homines docet hominum miniſterio, & per homines illis bona multa confert: ſiccat viam per mare inducto vento orientali: Ezechiæ ulcus peſtiferum ſanat impoſitis ficubus. Neque tamen ideo nullum eſt in hac mutatione ſaporis aquarum miraculum. Nam primum non experientia, non methodica ratione, ſed divinitus de hac re Moſes edoctus: deinde vix potuiſſet tanta aquæ copia, quæ ſexcentis hominum millibus ſufficeret, & ligno injecto mutari, niſi magna fuerit ejus ligni copia, quod de deſerto non ſit veriſimile, in quo rariſſimæ ſunt arbores: neque etiam naturali ratione tam cito forte mutari potuiſſent aquæ: poſſunt enim amaræ aquæ, quæ à nitro hunc ſaporem contraxerunt, potabiles fieri, ſi per craſſam & dulcem terram argillamve percolatæ fuerint, item hoc vitium incocta polen-*

Hieron. ad Algaſiam (ſub init:) *Aliis dulcia placent: nonnullos ſubamara delectant; horum ſtomachum acida renovant, illorum ſalſa ſuſtentant Vidi ego nauſeam & capitis vertiginem antidoto quæ appellatur πικρὰ, ſæpe ſanari, & juxta Hippocratem, contrariorum contraria eſſe remedia. Itaq; noſtram amaritudinem illius nectareo melle curato; & mitte in Mara lignum crucis: ſenilemq; pituitam juvenili auſteritate compeſce, ut poſſis læta cantare: quàm dulcia gutturi meo eloquia tua ſuper mel ori meo. O aqua quæ ſub Moſe, ut natalem à maritudinem perderes, indulcata ligno tot populorum pectora ſuaviſſimis hauſtibus ſatiaſti.* Opt. Milevitanus lib. VI. pag. 176.

polenta emendari dicitur, ſed moram hujuſmodi non patiebatur ſitis graviter premens populum.

Ad Exod. XVI. ℣. 14. & ſeqq.

Mannam hanc Iſraelitarum licet non deſint, qui confundant cum illa, quæ ob blandam humores vitioſos è corpore noſtro educendi vim in frequentiſſimo uſu eſt Medicis, vel ſaltem ſpeciem quandam ejus faciant; nihilominus eam fuiſſe toto genere ab iſta diverſam, facilè evincitur ſequentibus rationibus.

Etenim *primo* diſcrimen occurrit inter ipſum locum, in quo generatur. Medicorum enim illa reperitur in foliis & frondibus arborum: Iſraëlitica verò reperta fuit in ipſa terra.

Deinde multo magis differentiam illam monſtrat tempus & omnes, quæ eò pertinent, περιστάσεις. Nam 1. Manna Iſraëlitarum reperta fuit omnibus diebus, ſolo ſeptimo ſeu ſabbatho excepto: noſtra verò, Medica, Manna promiſcuè quibusvis diebus invenitur. 2. Manna illa Iſraëlitarum per integros annos fuit generata: Medica vero non niſi certis quibusdam menſibus reperitur. 3. Manna illa Iſraëlitica per quadraginta tantum annos fuit illis in cibum data, quibus elapſis nunquam usquam fuit iterum reperta: quum tamen Medica noſtra ſingulis annis proveniat, videlicet à vere jam adulto, usque in medium, vel declinantem autumnum.

Tertiam

Quod de melle cenſemus, (id nempe non eſſe meteorū) *idem judicandum de Rore Syriaco, quem, Arabes ſecuti manna appellamus. Ad mel referri indicat, quod Galeno κεδρόμελι & δρυόμελι nominatur. Nec multo aliter cenſendum de manna Iſraëlitarum: quod propterea Nonnus (paraphr. Ioh. cap. VI. 32.) vocat αἰθέριον αὐτὸν μελίρρυτον. Sed utcunque manna hoc ab altero non differret natura; accidentibus tamen diſcrepabat, eaque diverſitas ab angelis erat, unde panis Angelorum vocatur Pſ. LXXVIII, 25. Nempe*

hi τοτέ...

Tertiam differentiam conſtituunt qualitates. Nam 1. Manna illa Iſraëlitica à ſolis radiis colliquata fuit, quum noſtra, Medicorum, Manna ab iiſdem potius induretur & ſicceſcat. 2. ſacra illa Manna non potuit diu conſervari, quin imò ne in alterum quidem diem, ſolo Sabbatho excepto, & pauca illa copia, quæ prope arcam fœderis ad poſteritatem fuit aſſervata; cum illa Medicorum in longum tempus permaneat, & cum aliis mercibus hinc inde in varias regiones transmittatur. 3. Molis conteri & comminui illa ſacra potuit: quod noſtra non admittit. Accedit 4. ſapor, qui utrique valde eſt diverſus. Quibus 5. addi poteſt, quod illa Iſraëlitica fuerit illis in cibum data, & variis modis propter eum finem potuerit præparari; quum noſtra habeat vim purgandi, nec in cibi uſum unquam poſſit venire. Et vero vel ſolum illud noſtræ ſententiæ ſufficit roborandæ, quod menſura ejus aſſervata fuerit ad poſteritatem, & miraculoſe quidem citra putredinem vel colliquationem conſervata. Quod non opus erat, ſi quotannis generaretur, & paſſim terrarum quidem. Cur panis Angelorum vocetur, & quod ab Arabum manna differat, Joſ. Simler.

---

in rorem & vapores, ſic ſubigebant, ut non modo pultes inde fieri poſſent. quemadmodum ex Polonico, menſe Iunio, ac Quinctili, collecto: ſed pro pane eſſet, & cibo ſolido: imo natura (niſi pariter à conſuetudine id fuiſſe malis, cuius quoque vis maxima eſt) hoc haberet, ut corpora haut nimis laxaret, ſed ſolida conſervaret, compactaque: praeterea ut, non quidem dico, nunc piſcis, nunc carnis, pro cujusque deſiderio, obtineret ſaporem: (nam mellis cum ſimila ſaporem habuiſſe, diſertim refert Moſes) attamen ut interea, in tanta palatorum diverſitate, omnium ſe guſtui probaret. Nec cenſeo locum Sapientia XVI. 20, 21. multo ulterius urgeri oportere. Hæc igitur ab angelis fuerunt: uti & quod plueret pridie ſabbathi, ſabbatho non item: quodque ſi ultra demenſum ſumeretur, putreſceret, excepto homer, quod in ſabbathi diem reponeretur. Gerhardus Joannes Voſſius *l. 3. de idololat. c. 11.*

Simler. *comment. in Exod. f. 65. col. 1.* Neque eſt quod cum Valleſio eo confugiamus, ut vim illam purgandi divina virtute illi fuiſſe ademtam aſſeramus, quum alia omnia huic rei obſtent, atque manifeſtam diverſitatem liquido probent.

Non quidem negamus, Mannam illam quædam habere, quæ nonnullis Mannæ noſtræ ſpeciebus affinia ſint. At inde nequaquam tamen pro una & eadem re unquam poteſt haberi. Id quod pluribus adhuc præ aliis contra Valleſium docte oſtendit Johannes Chryſoſtomus Magnenus c. 2. tractatu *de Manna*.

Ex quibus recte jam colligitur: Mannam illam fuiſſe plane ſui generis, & omnem ejus generationem minime ex naturalibus cauſſis dependiſſe, ſed vi divina fuiſſe productam. De quo omni negotio legi quoq; merentur quæ pro confirmando diſcrimine Mannæ vulgaris & Iſraeliticæ diſſeruit Sebizius de facult. alimentorũ lib. 11. à p 496 ad p. 500.

Porrò illud notari poterit v. 21. dici Mannam ſole incaleſcente liquefactam: quod quidem miraculosè factum non dubitandum. Namque non modo non liqueſcebat cum coqueretur, ſed quoque tundi & moli poterat. Noluit ſcilicet Deus illud in terra jacere neglectum, hominumque pedibus conculcatum vileſcere.

Tandem Autor libri Sapientiæ xvi ỷ. 20. 21. 24. 25. idquoq; de Manna com̃emorat, quod ſaporem cujusvis appetitui accom̃odatum habuerit. Cæterum hoc cum maximè miraculoſum fuiſſet, ſine dubio Moſes αὐτόπτης & à Sp. S. ductus non tacuiſſet. Neque vero etiam videntur Iſraëlitæ carnes deſideraturi fuiſſe, Num. xi, 13. ſi Manna carnis ſaporem retuliſſet. Aut ergo libro huic hoc loco non nimis eſt fidendum, aut cum Oſiandro in paraphraſi h. l. dicendum: *Hæc quidem dici ab autore noſtro, bono animo, ad amplificandum Dei*

Digitized by Google

beneficium, ſed tamen ſcripturam aliter de ea re loqui. Nec multum ab eo diſcedit Rivetus comm ad Exod. XVI. ubi dicit: *verba illa autoris ſapientiæ aut eſſe hyperbolica & benignè interpretanda, aut falſa.* Quanquam tamen prius illud aſſerere malit, *hoc nempe voluiſſe Autorem, magnam fuiſſe Dei erga populum benignitatem, qui panem illum dederit, quem poterant variis modis præparare,* Conf. Druſ. ad loc. diff. Num. c. 45.

Ad Exod XXX. ℣. 23.

Quo ſacri hujus unguenti confectio eò magis pateſcat, non fuerit abs re, paucis tantum prius ſimplicia Medicamenta ſeu aromata, unguentum ipſum conſtituentia, conſiderare.

Et 1. quidem quod Tremellius Hebraicum textum ſecutus, & etiã B. Lutherus *myrrham ingenuam,* ſeu *præſtantiſſimam* reddiderunt, pro eo in Græca verſione legitur *flos myrrhæ ſelectæ.* Jam autem hac quidem in re non videtur aliquod eſſe diſcrimen. Quum tamen non uno modo myrrha ipſa antiquis in uſu fuerit, merito quæri poteſt, qualisnam h. l. propriè intelligatur, liquida videlicet, an vero concreta ſeu ſicca. De poſteriori tamen poſſit videri eſſe accipiendum, quod reliqua ſacram hanc compoſitionem ingredientia non fuerint liquida, ſed ſicca, ſolo oleo excepto. Cui etiam videtur adſtipulari ratio componendi unguenta, nullis ferè non

Quidam per *mar* non intelligunt myrrham, ſed moſchum, Biſem: Joſ. Simlerus *comment. in h. l.* Sed quum in ſuffimentum recepta fuerit Stacte, quidni heic etiam? Præſertim quum alias fuerit in unguentario uſu frequentiſſima myrrha, Moſchus autem prorſus tum non fuit notus. Myrrha quoque ſive Stacte fuit inter præſtantiſſima unguenta: quod poſt alios aſſerui *Phyſiol. hiſt. paſſ. Chriſti.* Ideoq; optime illi quoque convenit *libertatis* ſive *libera* adjectivum, prout quidem id exponit Simlerus.

non antiquis gentibus uſitata, de qua mox pluribus. Niſi fortaſſis quis hæc de liquida illa, quam στάκτην vocaverunt, velit accipere: de qua paulò poſt itidem pluribus ad ſuffitum ſacrum. Cui ſententiæ videri poſſet adſtipulari Theophraſtus *lib. de Odoribus*, ubi conficiendi illius unguenti rationem non unam deſcribit. Quicquid tamen ſit, quin de ſicca potius illud ſit accipiendum, non videtur debere dubitari: præſertim quod ſicca illa & concreta *myrrha* proprie ita ab antiquis vocata fuerit, cum liquida illa *Stacte* ſimiliter propriè & ad alterius differentiam nominaretur.

Secundo loco ponitur *cinnamomum*: in quo interpretes conſentiunt. Quodnam autem verum ſit cinnamonum, dicetur paullò poſt.

Tertio ſequitur *calamus odoratus*, verus videlicet & veteribus ita propriè vocatus. Qui enim vulgò in officinis pharmaceuticis calamus odoratus ſeu aromaticus dicitur, non eſt ille veteribus ita nominatus, ſed veterum Acorum, uti jam dudum à doctiſſimis viris obſervatum eſt.

Quarto loco *caſia* collocatur ab interpretibus Hebræum textum ſecutis, utpote in quo h. l. occurrat vox *kezim*: A quo tamen planè recedit verſio Græca, quâ hodie vulgo utimur; utpote quæ loco caſiæ habeat *iridem*. Ut ita forte, quænam planta propriè hic locum invenire poſſit, videatur res dubia: præſertim quum iris (intelligenda autem eſt omnium præſtantiſſima, non noſtra vulgaris) non tantum inter aromata à veteribus recenſeatur, ſed etiam ex ea oleum & unguentem, inter præſtantiſſima olim recenſitum, fuerit factum; ceu deſcriptio prodit, tum apud Theophraſtum *libro de odoribus*, tum Dioſcoridem *lib. 1.* Quamvis autem hæc ita ſe habeant, & iris recepta fuerit in uſum unguentarium; quo minus tamen h.l. Græcis interpretibus poſſimus accedere, facit Hebraica vox, & alio-

rum expoſitorum conſenſus. Accedit, quod eadem, quæ ſacrum hoc unguentum ingreſſa ſunt, ſimplicia, olim quoque recepta fuerint in celeberrimum tunc unguentum, Megaleum ab autore ſuo nuncupatum. Quod Theophraſtus *loco laudato* ſcribit componi è reſina uſta & oleo balanino, admiſceri quoque caſiam, myrrham, cinnamomum. Quænam autem caſia veterum ſit, non parum eſt dubium. Videtur tamen omnino illorum ſententia maximè vero conſentanea, qui illam cinnamomo dicunt eſſe affinem, nec ab eo multum differre, niſi quod minus fuerit præſtans, nec æqualium virium. Quod ipſum ex Theophraſto non obſcurè colligitur; clarius autem adhuc ex Dioſcoridis *lib. 1.* & Galeni *lib. 1. de Antidotis cap. 13. & 14.* Quo poſteriori loco caſiam cinnamomo genere proximam eſſe ſcribit. Neq; dubitandum, hanc caſiam eſſe eandem, quæ aliàs vulgò Caſſia ſolet vocari. Nec improbabile eſt, veram Caſiam ſeu Caſſiam eſſe noſtrum vulgare cinnamomum, ſive cannellam.

Quatuor his aromatibus demum, ut unguentum poſſit confici, ſuperaddi jubetur oleum, & quidem olivæ. Fuit videlicet priſcis illis unguentariis longè diverſiſſima ratio unguenta conficiendi in uſu, quam quali nos utimur. Nos enim ex oleis, ſuccis & pinguedinibus, noſtra unguenta ſolemus conficere: cum veterum unguenta planè alio modo ſeſe habuerint. Quod ipſum cum nemo clarius expoſuerit Theophraſto *lib. de Odoribus*, non fuerit abs re pauca duntaxat ex eo afferre. *Omnia unguenta*, inquit, *componuntur partim è floribus, partim foliis, partim ſurculis, partim radice, partim ligno, partim fructu, partim lacryma; ſed omnia tamen ferè mixta ſunt.* Quo itaque ſicca iſtiuſmodi ſimplicia medicamenta ſeu aromata, vel alia ſimplicia in unguenti formam redigi poſſent, ſuperadditum fuit vinum vel oleum, poſterius tamen hoc omnium frequentiſſimè.

Nec

Nec ipſum tamen ſemper unius generis: ita tamen, ut oleum olivarum, & quod ex glande unguentaria balaninum vocatum fuit, præ omnibus aliis maximè uſurparetur. Quod præter Dioſcoridem & alios, luculenter docet itidem Theophraſtus.

Ad Exod. XXX. ℣ 34.

Quod jam thymiama ſacrum concernit, primo loco tam in Hebraico, & presſius eum textum ſecutis interpretibus, quàm Græco occurrit *Stacte*. Quam vocem πολύσημον eſſe, jam tum ex parte indicavimus 1. quidem & maximè vulgo per eam intelligitur lacryma ex myrrhæ frutice vulnerato exſtillans. 2. verò non pro ſimplici ejusmodi & ſtillatitio oleo, ſed ex contuſa & liquefacta myrrha confecto unguento ſeu oleo, vox illa fuit itidem accepta. Quod ex eodem Theophraſto & Dioſcoride manifeſtò patet: utpote qui modum etiam conficiendi tradant, diverſum tamen. Ut inde appareat, fuiſſe unguenti illud genus non unum, ſed modo ſimplex, modo compoſitum: ita tamen, ut ex myrrha vel unicè vel præcipuè conficeretur. Nonnulli porrò, inter quos Matthiolus quoque eſt *comment. in Dioſcorid. lib. 1. c. 62.* Stacten exiſtimant eſſe illum ſuccum, qui ſtyrax liquidus vocatur. Id quod vero apprime eſt conſentaneum. Impugnat quidem illam ſententiam inter alios Caſpar Hoffmannus *lib. 2. de Medicam. officin. c. 20. §. 31.* ſed ita, ut argumenta ejus magis rem illam videantur confirmare. Quod enim ſcribit, arborem illam, ex qua Styrax deſumtus eſt, Syriæ fuiſſe propriam, in eam tamen ex Arabiæ remotisſimis deſertis delatam, id (inquam) omnino magis pro altera illa ſententia facit: præſertim cum myrrha quoque ex eadem Arabia maximè fuerit petita. Eandem ſententiam noſtram aliis argumentis impugnat Bodæus comment. in Theophraſt. de plantis lib. IX. cap. 4.

 p. 982.

Digitized by Google

p. 982. quæ tamen nec ipſa eandem convellunt. Neque verò mirum videri debet, liquida ad ſuffitum fuiſſe uſurpata, cum aliâs quoque & apud alias gentes idem fuerit factitatum. Quale eſt, quod Theophraſtus commemorat, myrrham dulci vino maceratam ad ſuffitum faciendum fuiſſe uſurpatam.

Secundum porrò in ſacro hoc thymiamate locum occupat ὄνυξ, per quem ſine dubio intelligitur idem *unguis odoratus*, quem Dioſcorides quoq; deſcribit *l. 2. c. 8*: qui fortasſis idem eſt cum eo, quem vulgò *blattam byzantinam* vocant, quod Tremellius quoque notavit. Præterea vero unguem illum (eſt autem conchylii cujusdam tegumentum) ad ſuffitum fuiſſe expetitum, ex eodem Dioſcoride patet. Tantum hoc videtur obſtare quod Dioſcorides & ad eum Matthiolus corchylii illud genus non niſi in India oriri ſcribant, ex qua porrò ad mare rubrum & deinde in alias terras deportetur: non videatur autem veroſimile, Deum res ejusmodi commendaſſe, quæ ex longinquis regionibus petendæ

Fiebat olim Stacte ex myrrha, pars ejus liquidior, quæ & longe erat pretioſiſſima. Nunc non fit: ſed nec myrrha ipſa ſatis ſincera ad nos advehitur. Hæc cauſa eſt quare Arabes & Neoterici omnes Medici ſtoracem liquidum vel ſtoracis liquorem pro ſtacte hodie paſſim accipiant, quia nullam jam habemus ſtactem: ſtorax autem vulgatior & magnam habet cum myrrha affinitatem. Salmaſ. *Plin. Exercit. in Solin. p. 545. col. 1. a.* Quis non hodie medicinam faciens confidenter aſſerat liquidum ſtyracem eſſe ſtacten veterum? & tamen non eſt: alia quippe στακτὴ στύρακος, alia στακτὴ σμύρνης, quæ eſt veterum ſtacte, κατ' ἐξοχὴν ſic appellata &c. Idem *p. 1025. col. 2. f. & 1026. col. 1.*

Blattium Byzantinum non eſt Onyx marinus, ſed os naris purpuræ Byzantinæ. Onychem marinum Latine dici, magis probarem quam unguem. Nam & lapidem Onychem nominarunt, non unguem. Salmaſ. *p. 1151. col. 2. a. & b.*

Digitized by Google

tendæ forent; utpote cum genti ſuæ commercia cum aliis populis interdixerit: præterea quoque reliqua omnia tam unguentum quàm ſuffimentum hoc conſtituentia ſimplicia ex vicinis tam Arabia quàm Syria, locis videlicet ſuis natalibus, peti poterant. Fortasſis itaque conchyliorum iſtiusmodi genus circa Arabiam quoque fuit repertum. Quod tamen de re, non olim tantum, ſed hodie quoque valdè adhuc incognita, certo quidem nunc nolumus affirmare.

Sequitur 3. *Galbanum*, quod notisſimum hodieque eſt, plantæ cujusdam ferulaceæ in Syria gummi.

Quarto loco Tremellius *Nardi folia cum ſpicis* commemorat: quorum tamen nec in Græca verſione, nec in Hebræo textu, ipſomet Tremellio fatente, mentio habetur. Et vero planè incommodè videtur h. l. recenſeri. 1. quod nequaquam ſit veroſimile, folia & ſpicas plantæ cujusdam debuiſſe commiſceri cum gummatibus & ſuccis. Deinde verò licet Nardus propter odoris fragrantiam à priſcis ſcriptoribus inter aromata & odoramenta referatur, ex qua etiam peculiare oleum & unguentum fuit confectum; ad ſuffitum tamen faciendum nequaquam eſt apta, cum herbarum, florum & ſpicarum odor in tenuibus & ſummis partibus hæreat. Atq; hinc per accenſionem fit, ut odor ille non tantum disſipetur & pereat, ſed etiam citò ab igne conſumatur: unde non tantum nulla ſuavitas odoris poteſt proficiſci, ſed ingratus potius excitatur. Nec enim e. g. ex lavendula noſtra, (quæ ſpecies quædam Nardi eſt,) vel roſis, vel aliis herbis earumque partibus ſuaviter aliàs olentibus, ſicubi in ignem conjiciantur, talis odor quem antea ſpirabant unquam exhalat. Non volo tertio id addere, cujus paulò ante mentio facta, quod Nardus, vera videlicet, quæque h. l. intelligi debet, non niſi

in

in India reperiatur. Ex qua illam Iſraëlitis fuiſſe petendam quo minus affirmemus, non pauca obſtant: præſertim cum ipſa mercimoniorum quoque ratio priſcis illis temporibus valdè fuerit rara, nec cum poſt ſecutis temporibus ullo modo conferendi. Quicquid ſit certè Nardus minus commodè locum hic poteſt invenire.

Poſtremo addi jubetur *thus* & *purum* quidem. Per quod procul dubio intelligendum eſt id, quod omnium eſt præſtantisſimum, quodque *maſculum* & *Stagonias* ab antiquis appellatum fuit. Et purum quidem, ſive adulterationem non expertum, ſive aliàs depuratum à ſordibus. Græci interpretes habent λίβανον διαφανῆ. Quo ſine dubio indicatur id, quod Dioſcorides maſculum illud ſcribat eſſe candidum.

Iſtis autem ita ſe habentibus apparet, thymiama iſtud non adeò ſuavis fuiſſe odoris, ut hoc nomine cum aliis posſit contendi. Galbanum ſanè fortem potius quàm gratum odorem ſpirat. Nec blatta etiam Byzantina ſeu unguis odoratus propter gratum odorem poteſt commendari, incenſus præcipuè & in ſuffimentis adhibitus. Sanè cum in ſuffitu uſurpatum, caſtoreum redolere Dioſcorides quoque notavit. Caſtorei autem gravis odor notisſimus eſt.

An vero omnia illa, quæ tum in chriſmate, tum thymiamate ſacro Deus voluit uſurpari, hodie ad nos importentur; & an omnia illa, quæ antiquis illis nominibus hodieque inſigniri ſolent, verè ea ſuſtinere posſint, non eſt hujus loci expendere. De quam multis videlicet, iis præſertim, quorum vel nulla, vel exigua, ad quam examen hodie inſtitui posſit, ex antiquo ævo deſcriptio habetur, res vehementer eſt ambigua: de aliis id quidem veriſimiliter: de nonnullis demum certò id licet affirmare.

Ad

Ad Exodi XXXIV. 29. & ſeqq.

De facie Moyſis lucente legi poteſt Thomas Bartholinus *l. 1. de luce hominum & brutorum c. 12.* Hieronym. *dialogor. adverſ. Pelag. lib. 1. p. 273. f. Niſi forte — cum Moyſe in nube & caligine à facie ad faciem audis verba Dei, & inde nobis cornuta fronte procedis,*

Ad Levitici II. ℣. 11.

Variis modis ſeſe torquere ſolent hujus loci expoſitores, quam ob cauſam fermentum & acetum Deus expreſſe prohibuerit ſacris admiſceri, ex adverſo verò ſemper in omnibus ſacrificiis juſſerit offerri ſalem. Quidam propterea id factum eſſe putant, quod acetum, unde fermentum vulgo paratur, non fieri poſſit niſi ex vino vel aliis liquoribus corruptis: Mel verò colligatur ab apibus ex impuris quoque rebus, quinimò ipſæ apes ex cadavere aliorum animalium poſſint generari. Quidam, quos inter Valleſius quoque eſt, fermentum corruptionis ſymbolum eſſe dicunt: uti mel delitiarum & voluptatis: Sal verò ſignum eſſe integritatis.

Quicquid autem ſit de his opinionibus; priori ſanè inter alia illud quoque poteſt opponi, quod ſal quoque ex

N putribus

Sicut acetum corrumpit vas, ſi diutius ibi fuerit: ſic ira corrumpit cor, ſi in alium diem duraverit, Auguſtin. *epiſt. 87.*

Ejuſdem generis eſt, & quod oleum in lumen fuerit uſurpatum, non ſebum, vel cera. Hieronymus *ad Fabiolam de XLII. manſionib. manſ XL: Per hanc* (manſionem) *diſcimus omnia dulcia & illecebras voluptatum in ſeculo contemnendas, nec inebriari nos debere vino in quo eſt luxuria. Mel non offertur in ſacrificiis Dei: & cera quæ dulcia continet, non lucet in tabernaculo, ſed oleum puriſſimum, quod de oliva profertur amaritudine. Mel enim deſtillat à labiis mulieris meretricis.* Sed vinum ſacrificiis addebatur, & ſebum adolebatur, illi uſui plane ac penitus dicatum.

Digitized by Google

putribus rebus, quinimò ex ipſiſmet animalium excrementis, poſſit confici. Quomodo ex urina præſtans & in medicina inſignis uſus ſal conficitur.

Poſterius verò, de Symbolis videlicet, poteſt quidem admitti, verùm ex mera tantum conjectura prolatum, nec certo fundamento innitens.

Poterat videri, Deum eò reſpexiſſe, ne illa ſacrificiis inderentur, quæ apud gentiles in dæmonum cultu offerebantur. Quomodo in nocturnis illis ſagarum conventibus ſal ab omnibus epulis, quæ illis apponuntur, planè jubetur exeſſe; quod ex Remigio diſcere licet. Sed & huic opinioni quàm maximè obſtat, quod ſal, farina, thus &c. ejusque generis alia, in gentilium quoque ſacrificiis, iis cumprimis, quæ ſuperis & cœleſtibus diis fiebant, nunquam non fuerint adhibita; ceu clarè docent illa, quæ inter alios *lib. 1. Mythol.* collegit Natalis Comes.

Quopropter ſatius fortasſis fuerit dicere, cauſſas iſtius rei fuiſſe arcanas, nec certò illas à nobis poſſe dari. Id autem extra controverſiam ponendum: Deum voluiſſe ſacra Iſraëlitarum diverſa eſſe à ſacris Ægyptiorum & gentilium. Ideoque eis interdixit uſu talium, tam in ſacris, quam domeſtico eſu. Nec obſtat quod thus & ſalem etiam gentiles in ſuis ſacrificiis uſurpaverint. Sine dubio namque poſt per κακοζηλίαν dæmones illa gentiles juſſerunt uſurpare. Qualis enim ſacrorum gentilium & ſacrificiorum fuerit ratio ante cultum divinum Iſraëlitarum, à Moſe divinitus inſtitutum, maximam partem ignoratur, niſi quatenus in ipſomet S. codice ſubinde attinguntur. Gentilium quippe illa quæ nobis nota ſunt omnia ſunt Iſraëliticis multum Moſaicis recentiora.

Ad

Ad Levit. VII. ỿ. 16. XIX, 6.

Sacrificiorum euchariſticorum, votivorum, voluntariorum maximam partem comederunt ipſimet offerentes cum ſuis, item aliis. Quo pertinet Exod. XVIII, 12; 1. Sam. 1, 4, 5; IX, 13; Geneſ. XXXI, 54; Deuter. XII, 17, 18: XIV, 23, 26. Quod deinde per κακοζηλίας Satanas in ſuis ſacrificiis obſervari juſſit. Quo pertinet 1. Corinth. x, 18. usque ad 22. Idem in victimis humanis obſervatum apud Mexicanos Joſ. Acoſta tradit *l. 5. hiſtor. c. 20.* Tale autem quid ipſum à cacodæmone introductum cenſet Thom. Eraſt. *par. IV. diſp. antiparacel. pag. 134. usq. ad 137.* Videatur quoque Joan. Heurnius *lib. de morb. capit. c. XXII. pag. 251. & 252.*

Ad Levit. X. ỿ. 9.

Quare vino & omni potu inebrianti Deus interdixerit ſacerdotibus, quo tempore ſacris peragendis illi vacare debebant, cauſa hæc expreßè additur, ut videlicet diſcernere poſſint inter ſacrum & profanum, atque mundum & immundum. Scilicet cum omnis potus inebrians primò phantaſiam, deinde verò ipſam rationem quoque perturbet, ceu

N 2 ex

Sebizius lib. 2. de aliment. facult. p. 538. *Populus Dei in mandatis quoq;*
habuit, ut ſacrificia ſale condiret. Sic enim legitur Levit. 2. Ezech. 43. &
Num. 18. Preceptum etiam Levit. 24. ut ſupra panes propoſitionis Thus
purum & Sal poneretur. Removeri autem à ſacrificiis Deus voluit Mel
& Fermentum. Quod non in litera'i, ſed myſtico & allegorico ſenſu ac-
cipiendum. Nam ſacrificia Judæorum adumbrabant Chriſtum. Ideoq;
removendum ab illis erat Fermentum: quia in Chriſto neq; fermentum
erat hypocritica doctrinæ, neq; corruptorum morum. Separandum quoq;
ab iis erat Mel; quoniam mel initiò quidem dulce eſt, ſed largiore eſu bi-
lem auget, & amaritudinem parit. At Chriſtus, quantumvis ſæpe mul-
tumq; fide apprehenſus & comeſtus, indies tamen credentibus magis dul-
ceſcit. Quare, ſi Mel & Fermentum ſacrificiis fuiſſent addita, Chriſtum
non

ex eis quæ ſuperius allata ſunt conſtat; non mirum utique eſt, illorum uſum illo tempore fuiſſe prohibitum. Accedit inſuper & hoc, quod ebrii non tantum ratione non recte poſſint uti, ſed etiam ſoleant eſſe obliviosi, & facile illorum obliviſci, quæ paullô ante dicebantur, multò minus autem debito modo poſſint illa obſervare, quæ peragenda erant. Et hæc quidem omnia tanto magis ab ejusmodi potu producuntur, quantô generoſior ille fuerit, & facilius caput tentare & phantaſiam ipſamque adeo mentem perturbare posſit.

Ad

---

non benè adumbraſſent. Seriò autem inculcatum fuit popu'o Dei, ut ſal ſacrificiis admiſceretur: quia Chriſtus ſali aſſimiiatur. Facit enim nos Deo Patri gratum ſapidumq; cibum, quos aliàs propter peccata abominaretur: & conſervat corpora noſtra, ne putredine in æternum pereant, ſed ad beatam illam immortalitatem tandem aliquando reſurgant. Poſſent & aliter allegata ſcripturæ loca explicari: quia ſal cibos reddit gratos atq; acceptos, eâq; corpus purum, ac obid integritatis & innocentiæ ſymbolum. Mel voluptatis & deliciarum. Fermentum impuritatis & corruptionis. Sale ergo conſpergenda erant ſacrificia, ut innueretur, illos ſolum cultus Deo placere, qui ab hominibus piis verâ fide & purâ conſcientia inſtituuntur. Cultus verò hominum mellitorum, hoc eſt, voluptatibus & deliciis deditorum, ut & fermentatorum, qui ſcilicet omni vitiorum & flagitiorum genere ſunt infecti, eidem eſſent abominabiles. Vid. quoque Gomeſ. de ſale p. 530. 531.

Qui altario deſerviunt, vinum & ſiceram non bibant. Sicera Hebræo ſermone omnis potio nuncupatur, quæ inebriare poteſt, &c. Hieronymus *epiſt. ad Nepotian. de vita clericor. p. 16.* Vide eund. *commentarior. in Eſaiam lib. 2. ad cap. V.* Item *lib. 9. commentar. in Eſaiam, ad cap. XXVIII, p. 116, c. 2. & p. 117. c. 1.* Copioſe hac de re diſſerit Joan. Henr. Meibomius *Comment. de cereviſiis c. 3. n. 10. & ſeqq.*

Sacerdotes qui miniſtrant in templo Dei, prohibentur vinum & ſiceram habere, ne in crapula & ebrietate aggraventur corda eorum: & ut ſenſus officium exhibens, Deo vigeat ſemper & tenuis ſit. Idem Hieronym.

Ad Levit. XI.

Univerſum hoc de mundis & immundis animalibus negotium variis modis interpretes veteres pariter ac recentiores exercuit: quare videlicet quædam animalia pro mundis, quædam verò pro immundis habenda ſint. Nec enim ruminare aut fiſſas habere ungulas ſignum eſt munditiei vel puritatis alicujus naturalis: ſicuti nec ſquamis eſſe inſtructum & pinnis: vel ingredi aut ſubſultare ſupra terram.

Porrò nec victus quoque ratio ſingulis his animalium generibus uſitata diſcriminis hujus conſtituendi ſufficientem cauſſam poteſt dare. Licet enim multa eorum, quæ hic recenſentur, & quorum eſus prohibetur, victu impuriori utantur; de omnibus tamen id non poteſt affirmari. Præterea verò ex illis, quæ conceſſa ſunt in cibum, non deſunt quæ fœtidis etiam & putridis rebus veſcantur. Ut proinde longam aliam huic rei ſubeſſe cauſſam neceſſum ſit.

Neque vero igitur rem hanc omnem in partem animo volventi, non poteſt quicquam veroſimilius occurrere, quam eo præcipue Deum reſpexiſſe, quod videlicet hæc anima-

nym. *ad Ocean. tomo II. p. 324. C. Sicera, ebrietas. Omne enim quod inebriare poteſt, apud Hebræos Sicera dicitur.* Idem *de nominibus Hebraicis.* Rurſus Comm. in Eſ. v. p. 19. *Pro ebrietate, quam Aquila eſt interpretatus, & Symmachus LXX. ipſum Hebraicum poſuerunt* שכר *quod omnem ſignificat potionem, quæ inebriare poteſt & ſtatum mentis evertere. Arguit autem juxta conſequentiam cœptæ explanationis agricolas vineæ, qui imminente ſterilitate & vicino incendio, quo vepres & ſpinæ ſunt comburendæ, luxuriæ ſe & voluptatibus tradiderunt, non ſolum in veſcendo & bibendo, ſed in aurium quoque oblectatione, & in diverſis Muſicæ artis generibus. Qui cum iſta faciunt, opus Domini non reſpiciunt, nec conſiderant, quæ ventura ſunt.* Vid. eund. comm. in Eſ. XXVIII. p. 103.

animalia magis obnoxia ſint Dæmonum arbitrio, quodque ſpecie illorum animalium potiſſimum illi apparuerint, vel etiam illa intraverint. Quanquam tamen vel capri forma cacodæmones ſæpe conſpiciuntur; olimque ſunt conſpecti. Et illud tamen animal non fuit immundum pronunciatum. De qua re operæ pretium eſt legere, quæ aliquando *Programmate in feſtum Michaelis* perſcripſit Ampliſſ. noſter Conringius. Hac occaſione diſputari ſolet, cur à nonnullorum animalium, ſpeciatim luporum & vulpium ſimiliumque carnibus abſtineamus. Vulgo afferri ſolet, quod veſcantur 1. immundis rebus, 2. morticinis, 3. venenatis, 4. quod fœtore malignitatem ſuam prodant. Sed reſpondeo ad 1. etiam porci, anates, gallinæ, omnia domeſtica, & altilia animalia, idem faciunt: quæ tamen nonduntaxat non fugiuntur, ſed etiam expetuntur. Ad 2. idem facit porcus, ut & reliqua. Contra equus veſcitur pabulo plane mundo, cujus carnes tamen non ſunt edules: quum porcinæ, cui animali propria eſt immundities, ſint ſapidiſſimæ. Ad 3. venenatis etiam iſta veſcuntur. Gallinæ venantur araneas & quoscunque vermiculos: iisdem illi medicinæ cauſa dantur. Hoffmannus *l. 5. inſtit. medic. c. 22. §. 9.* eodem refert lucium piſcem: Sed quicquid de eo ſit, lucii innocentiam perpetuus uſus ſatis vindicavit & vindicat. Ad 4. etiam porcus fœtet: & iis fœtor omnis demitur per coctionem: alias enim ſapore vel fœtore ſeſe proderent iis, à quibus inſciis comeduntur. Ideoque ab hiſce aliisq; abſtinemus potius per conſuetudinem, perinde ab aſininis, urſinis, aliis quæ tamen alibi ſunt veſcæ. Ab aliis autem propter naturalem ingratum ſaporem, ut equinis. Notata nobis hanc in rem nonnulla ſunt jam tum & in *Diætetic.*

Digitized by Google

Ad Levit. XII.

Purgationes à partu, de quibus hoc capite agitur, non ſemper ſeſe uno & eodem modo habent, ſed maximè differunt, prout puerperæ plus bonorum vel excrementitiorum humorum collegerint. In quibus enim magna eſt horum colluvies, diutius etiam illas purgationes patiuntur, & majori quoque copia. Quinimò ſi præter naturam illæ ſiſtantur, graviſſimos affectus ſolent incurrere. Quâ de cauſſa etiam fit, quod in quibusdam intra paucos aliquot dies omnis ille fluxus ſiſtatur, excretis videlicet jam humoribus.

Quam ob cauſſam verò puerperis illis quæ fœminam peperiſſent non triginta tres, ſed totidem alteros dies domi deſidendum Deus præceperit ejus cauſſa non videtur omni ex parte manifeſta eſſe. Valleſius quidem multis conatur oſtendere, â fœmellæ partu ſemper eſſe longiores illas expurgationes, conaturque in illam ſententiam Ariſtotelem quoque adducere. Verùm Ariſtoteles illi ſententiæ parum patrocinatur, utpote qui hæc potius incerta eſſe, nec æqualiter evenire exiſtimat. Id quod ſanè experientiæ maximè eſt conſentaneum. Utque conceſſerimus aliquot dies ſaltem plerumque à fœmellæ partu purgationes illas diutius manere, non tamen tempus illud altero tanto eſt longius. Nec verò in illis quoque Valleſio aſſentiri poſſumus, quæ de cauſſis generationis puellæ affert; quod videlicet fiat, cum mulieres humidiores & excrementoſiores ſunt, quæq; hujus generis ſunt alia: quum hæc res nondum certa ſit, & præterea circa generationem, conceptionem, partum variæ occurrant differentiæ, quæque omnes accuratè non posſint obſervari. Nec etiam eſt, quod cauſſam divini hujus præcepti in tardiorem fœmellæ figurationem conferamus, cum etiam hæc res minus hactenus ſit certa. Quapropter videa-

videatur illud potius non eſſe ſcrutandum, quàm illas cauſas afferre, quæ quæſtioni non ſatisfaciunt

Quandoquidem tamen fœminæ frigidiores ſunt & humidiores, ſecundum naturam minus etiam vegetæ eſſe ſolent quàm mares, præterea verò in partu plerumque longius commorantur, purgationes etiam puerperarum tum ſolent eſſe aliquanto longiores: poteſt quidem aliquo modo veriſimiliter illud aſſeri; quamvis, ut ingenuè fatear, res tamen adhuc maneat dubia.

Poſſet fortaſſis illa quoque cauſſa dari: quod, videlicet conduplicatum illud tempus partim ad matrem, partim ad puellam recens editam pertineat. Quod ipſum tamen nunc non volumus multis adſtruere.

Ad Levit. XIII. & XIV.

Quò affectus hic, cujus omnium frequentiſſima mentio in ſacris litteris occurrit, & natura ejus atque cauſſæ eò diſtinctius poſſint exponi, primò & ante omnia definiendum eſt, quisnam morbus propriè lepræ nomine denotetur, præſertim cum vox illa non ſemper unâ & eâdem ſignificatione accipiatur.

Quod ipſum itaque ut commodè fiat, *primò* & ante omnia notantum venit, *lepræ* appellationem diverſis affectibus attribui, qui tamen ſpecie tantum & gradibus inter ſeſe differant. *Deinde* verò alio ſenſu eam vocem accipi à priſcis Græcis, alio verò ab Arabibus & recentioribus ſcriptoribus. Apud Græcos enim per lepram nullus alius affectus intelligitur, quàm ferina quædam ſcabies. At verò apud Arabes & recentiores longe gravior affectus voce illa denotatur, is videlicet qui aliàs à Græcis ἐλεφαντίασις fuit appellatus.

Inter quos duos affectus tamen, licet affines & congeneres, non exiguum intercedit diſcrimen: id quod ex ſignis

ſignis màximè pateſcit. Lepra enim illa Græcorum, quæ (ceu modo dictum) ſpecies quædam eſt *ψώρας* ſ. ſcabiei, cognoſcitur ex aſperitate cutis cum pruritu, & ſummam tantum cutis ſuperficiem afficit. At vero lepra Arabum, ſeu Græcorum *ἐλεφαντίασις*, longè profundius agit, utpote quæ non ſuperficiem tantum cutis, ſed & univerſam cutem & ſubjectam quoque carnem ſenſim corrumpat. Habet videlicet hæc accidentia conjuncta, quod cutis dura fiat & verrucoſa, color ejus variis modis corrumpatur, & fœdæ puſtulæ ſuccedant per univerſum corpus. Solet quoque nimia libido in Venerem excitari. Porro procedente morbo digiti manuum & pedum intumeſcunt, ſuccedit fœtor corporis, quæque hujus generis ſunt alia. Quod utrumque lepræ diſcrimen cum alii fuſius adhuc oſtenderunt, tum præcipue verò Hieron. Fracaſtorius *lib. 2. de morbis contagioſis c.13.* & Hieron. Mercurialis *lib, 2. de morbis cutaneis cap. 5,*

Præter has autem vocis *lepræ* ſignificationes aliter adhuc quadamtenus eadem accipitur in SS. litteris, adeoque hoc ipſo præcipuè Levitici capite; utpote in quo variæ ſpecies lepræ recenſentur, & ex ſignis ſuis cognoſcendæ proponuntur: ita, ut quævis etiam maligna ſcabies videatur ſimul denotari: etſi non quævis tamen, ſed illa tantum quæ lepræ incipientis fuit indicium ſignificetur. Præcipuè vero per lepram intelligitur affectus ille, quem Leucen Græci vocaverunt, quæ ſpecies eſt lepræ iſtius Arabum, omnium tamen peſſima, & quæ citiſſimè incrementum capit. De quo ipſo omninò operæ pretium eſt legere, quæ ad hujus capitis illuſtrationem conſcripſit Andreas Cæſalpinus *lib. 4. artis Medic.c.15.* Eſt videlicet *Leuce* illa lepra, in qua cutis & ſubjecta etiam caro in album colorem jam eſt commutata, quod aliàs in quâvis lepra non contingit,

O Proxi-

Digitized by Google

Proximum eſt inquirere, in quibusnam corporis partibus vitium illud primariò reſideat. Vulgo quidem viſcera ipſa hâc in re ſolent accuſari, quod videlicet ſanguis vel non rectè concoquatur, vel etiam corrumpatur: Verum viſcera ipſa in leprâ, cujusvis illa ſit generis ſive Græcorum, ſive Arabum, ſive Judæorum, laborare, à nemine hactenus eſt comprobatum: multò minus, quod è viſcerum mala conſtitutione morbi hi exoriantur: cui vulgari ſententiæ illud quàm maximè quoque obſtat, quod affectus hic ſit contagioſus. Jam verò tales morbos viſcera ipſa ſtatim inficere, vel ex illorum malô habitu prodire, nemo unquam dixerit. Et verò quid notius eſt, quàm ſcabiem per ſolum contactum communicari. In quâ tamen viſcera nequaquam eſſe in culpa, planum eſt. Et verò tum demum viſcera morbo aliquo laborare pronunciandum eſt, cum ex ſignis illud jam pateſcit. Quocirca horum affectuum ſedes primariò in humoribus & ſanguine eſt collocanda. Nec tamen negari ullo modo poteſt, ſuccedente tempore & ingraveſcente affectu ipſa quoque viſcera ſimul affici, & labem aliquam contrahere. Quomodo videlicet aliàs quoque morbi contagioſi ſenſim viſcera ipſa inficiunt At verò ſecundariò id tantùm fit, morbo jam nimium capiente incrementum. Ut proinde perperam in ejusmodi affectu vitiis viſcerum corrigendis Medicina protinus adhibeatur, cum in ſanguine omnis labes hactenus deliteſcat. Non raro quoque contingit, ut in cute fomes ſit morbi, qui deinde paullatim ſi vitium non tollitur, ſanguini ipſi communicatur. Quod ſanè in ſcabie licet obſervare; utpote quæ ſolis externis medicamentis adhibitis poſſit curari: manifeſto indicio, ne ſanguinem quidem tum noxam aliquam contraxiſſe, multò minus ipſa viſcera. At vero ſi malum jam vires ſumſerit, & univerſum habitum corporis

Digitized by Google

ris occupaverit, fieri aliter non poteſt, quin ipſa viſcera & internæ corporis partes jam ſint vitiatæ. Quod ipſum etiam tum ex ingraveſcentibus ſymptomatibus licet colligere.

Porrò quæritur, quisnam humor in omnibus hiſce affectibus peccet. Et ſecundum communem quidem ſententiam lepræ tam Græcorum quàm Arabum cauſſa adſcribitur humori Melancholico: ita tamen, ut in hac, Arabum videlicet lepra ſ. Elephantiaſi Græcorum, humor ille magis ſit aduſtus & crasſus; in illa vero, lepra nimirum Græcorum, humor ille ſit dilutior. Nonnulli addunt quoque humores ſalſos & bilioſos: perinde ut in alia ſcabie & impetigine. In leuce præterea & lepra Iſraëlitarum pituitoſus humor à nonnullis ſolet incuſari.

Verùm, ut quid de hac ipſa re ſentiendum ſit clarius pateſcat, quàm maximè opus fuerit ſymptomata & naturam ipſam horum affectuum attentius intueri. Et in ſcabie quidem adeoq; ipſa Græcorum lepra humores ſalſos, acres & bilioſos eſſe in culpa, luculenter oſtendunt pruritus, excoriatio cutis, quæque hujus generis alia ſunt affectus illos concomitantia accidentia. In lepra porrò Arabum ſeu Elephantiaſi humorem magis eſſe craſſum & terreſtrem, ipſimet ultrò concedimus. At verò præterea illum aliis quoque qualitatibus eſſe inſtructum, ex ſignis itidem innoteſcit. Subeſſe videlicet hic quoque acredinem, ex puſtulis ſubſequentibus apparet. Præterea verò humorem illum maligniorem adhuc eſſe, quàm illum qui lepram Græcorum producit, patet ex cutis diverſa coloratione, & fœtore corporis, qui malo increſcente accedit. Denique in leuce ſive Iſraëlitarum lepra humorem pituitoſum in culpa eſſe, à nemine hactenus fuit comprobatum. Neque verò ex ſolo albo colore temerè id licet colligere, ceu notum eſt. Longè

itaque veriſimilius aſſeritur: & in Elephantiaſi ſeu lepra Arabum & in Leuce Judæorumque lepra, humorem non carere vi quadam ſeptica. Nec enim aliunde eſſe poteſt totius corporis habitus ita fœdè immutatus, & carnis ipſius etiam depravatio. Quin imò ſanguinem ipſum in Elephantiaſi deplorata, & in Leuce ita eſſe corruptum, ut remota vel compreſſa carne non ruber ſed albidus prodeat, non poteſt aliunde provenire, quâm ab ejusmodi malignitate.

Poſſet videri, vulgarem illam ſententiam quam maximè corroborari, quod curatio maximè ad caliditatem inclinat. Verùm illud quidem noſtram aſſertionem usque adeo nequaquam infringit, ut potius magis magisque eam confirmet: Calida videlicet curandi ratio propterea requiritur, ut naturalis calor jam propemodum extinctus poſſit refocillari. Non aliter videlicet atque quomodo incipiente gangræna & ſphacelo medicamenta maximè calefacientia unicè adhibenda ſunt; quo videlicet ſerpens putredo inhibeatur, & qui ſupereſt nativus calor conſervetur. In quibus tamen affectibus frigiditatem nequaquam eſſe in culpa, notum eſt.

Quamvis autem hæc ita ſeſe habeant, non tamen negamus, omnes hos & ſingulos affectus non ſemper ejusdem eſſe malignitatis, ſed varios malignitatis gradus interceſſiſſe, hodieque intercedere. Hinc ſanè eſt, quod fera ſcabies & Græcorum lepra in Elephantiaſin, ſeu lepram Arabum, quandoque tranſeat, & vice verſa hæc in illam commutetur: Elephantiaſis porrò tranſeat in Leucen ſeu lepram Judæorum: prout videlicet humor vel citius majorem acquirit malignitatem, vel etiam admittit in melius correctionem. Et vero ſepticum ejusmodi quid cumprimis in Judæorum illa lepra fuiſſe adjunctum, vel ex veſtium & ædificiorum infectio-

infectione patet: de qua re ad ſequens caput. Ipſam illam porro Judæorum lepram non ejusdem ſemper fuiſſe malignitatis, vel ex Miriamæ & Aſariæ Regis hiſtoria inter ſeſe collata liquidò pateſcit. Quum enim in illa ſubito divinitus lepra fuiſſet oborta, tantæque malignitatis, ut ipſemet Moſes Deum pro illius reſtitutione deprecans, illam ſimilem mortuo, cujus dimidiata caro jam exeſa ſit, diceret, *Num. XII. v. 12.* Ex adverſo Regis illius lepra usque adeo tantæ non fuit perniciei, ut per complures annos in extremum usque ſenium illâ non obſtante vitam ſuam, ægrè licet, produceret. Ut vel hinc clarè appareat, quantum inter lepram apud ipſosmet Israëlitas fuerit diſcriminis, quod proinde rectè etiam obſervandum eſſe monet Cæſalpinus *loco indicato.*

Quod demum ad antecedentes & externas horum affectuum cauſſas attinet, non ſunt illæ uniusmodi. *Primò* enim â plerisque ſolet regio ipſa incuſari. Et quidem lepra Græcis ita vocata non poteſt non præ omnibus aliis ſpeciebus maxime eſſe communis. Elephantiaſin porrò ſeu lepram Arabum jam olim in Ægypto & præcipuè Alexandriæ fuiſſe frequentem, ex Plinii *l. 26, c. 1*, Galeni, aliorumque antiquiſſimorum autorum teſtimonio conſtat. In ipſa Arabia quoque illum affectum ſæpè occurrere, ex ipſorum illius gentis Medicorum, Avicennæ cumprimis & Avenzoaris, ſcriptis luculenter apparet. Germanos porrò & Scytas affectui eidem præ aliis eſſe obnoxios, jam olim

 Archige-

Si in regione, vel id fit vitio aëris, vel aquæ, vel victus h. e. cibi & potus. Item tum oportet morbum vel endemium & indigenam, vel epidemium & promiſcue in populum graſſantem eſſe.

Alexandrinos ob eſum carnium aſininarum elephantiacos reddi ex Galeno refert Sebizius de aliment. fac. p. 637. Adde Reineſ. var. lect. p. 293.

Archigenes apud Aëtium prodidit. Verùm de his, Germanis videlicet & Scythis, jam olim ipſemet Galenus id negavit. De eodem porro affectu, quomodo videlicet res hodie ſeſe habeat, ita ſcribit Pareus *lib. 19. c 6. In Germaniæ quibusdam oris non infrequentes ſunt Elephantici, in Hiſpania verò & Africa tota frequentiores quàm in reliquo orbe, in Provincia Gallica, Narbonenſi Gallia & Aquitania, plures quàm in reliqua Gallia.* Quibus quod ad noſtram gentem pertinet accedit, quoq; Caſpar. Hofmannus *lib. 5. Inſtit. Medic. c. 15.* Leucen denique ſeu lepram omnium peſſimam Judæos & barbaros maximè exercere Plutarchus in *Sympoſiacis* jam annotavit. Et quidem de Judæis res nimis eſt manifeſta, vel ex hoc ipſomet quod modò tractamus, Levitici capite.

Quod ſi jam ulterius in hujus rei cauſſam inquiratur, jam olim à nonnullis hæc parata fuit reſponſio, quod ſimpliciter extremæ calidæ & frigidæ regiones eam labem magis ſentiant quàm mediæ; ceu Aëtius hac de re ſcripſit. Sed hanc quidem rationem nequaquam eſſe ſufficientem, liquidò colligitur ex eo, quod regiones omnes calidiſſimæ deberent eo morbo infeſtari: quod tamen hiſtoricorum fide hactenus non fuit compertum. Deinde in regnis Septentrionalibus morbus ille deberet eſſe popularis; quod ſimiliter usque adeò contra experientiam eſt, ut morbus iſte in illis regionibus plane ſit inſolens. Tertio demum ſi Germaniam noſtram inſpicimus, in ſuperiori quidem quosdam hujusmodi affectibus tentari, non quidem negare volumus: nihilominus tamen in hac inferiori planè eſt incognitus, cum tamen ratione cœli non nullum inter ſuperiorem & inferiorem Germaniam intercedat diſcrimen. Accedit quartò, quod mediæ regiones ſeu temperatiores magis illo morbo infeſtentur, quàm frigidæ: quod vel ex illo

ipſo

ipſo modo adducto Parei teſtimonio de Gallia patet. Ut de Italia & Græcia nunc nihil dicamus, in quibus affectus ille minus eſt frequens; quod Fracaſtorii & Cæſalpini confeſſione conſtat. Nihilominus tamen magis illas regiones præ ſeptentrionalibus & frigidis affectui illi eſſe obnoxias, in propatulo eſt. Ut itaque iſta quidem ſive Archigenis, ſive Aëtii, ſive aliorum ratio, illaque nitens traditio, nihil quicquam ad rei probationem faciat. Quapropter ut alias cauſſas circumſpiciamus neceſſum eſt.

Et *ſecundò* quidem victus rationem ut aliàs, ita hic quoque plurimum valere, extra omnem eſt controverſiam. De ipſamet ſane Germania noſtra Hoſmannus *loco laud.* in hunc modum ſcribit: *Oleum recens comedi poteſt cum pane ad emolliendam ſcabritiem ejus, butyrum non poteſt. Bileſcit enim, ſive, quod alii dicunt, facit ſanguinem inflammabilem, diſponitq; quosdam ad Elephantiaſin. Hinc quæſitus ego aliquando, cauſam, cur in Germania tot ſint Cœnobia leproſorum, uti vocamus, cum in Gallia & Italia rara ſint? dixi, uſus pinguium id facit. Ut enim de butyro non dicam, quotusquisq; noſtrûm etiam cultiorum non avidiſſimè vorat pinguedines carnium bubularum (quas ex Ungaria habemus) & ovillarum? De porcinis non dicam. Accedit, quod huic animali peculiaris eſt morbus, grando, qui diſponit ad malum hoc horribile.* Add. Levin. Lemnium *l. 3. de occult. nat. mirac. c. 7.* Hac Hoſmannus Plutarchus porrò in *ſympoſ.* barbaros ac Judæos ideò abſtinere carne ſuilla ſcribit, quoniam qui obnoxii ſunt huic affectui, Leucæ videlicet, ab ea quam maximè abhorrent: ſubjungitque ejus indicium eſſe, quod & ſues hac affectione infeſtari ſoleant; quod Mercurialis *lib. 2. de morbis cutaneis c. 2.* etiam annotavit.

At verò hanc quidem rationem victus eſſe in culpa, vehementer eſt ambiguum. Imo experientiæ quàm maximè

Digitized by Google

mè refragari, ipſimet ſenſus & tot myriadum hominum experientia docent. De Judæis ſanè non poteſt id ullo modo affirmari, utpote quibus porcina planè erat divinitus interdicta, cum nihilominus tamen præ omnibus aliis gentibus horribili illi malo maximè fuerint obnoxii & affecti. Atque hinc procul dubio Matth. x, 8. ſeorſim à morbis mentio fit lepra. Id quod peculiariter etiam ad Judæos pertinet, utpote ad quos ſolos tum Apoſtoli mittebantur. Quod porrò ad Germanorum noſtrorum victum, adeoque Hofmanni aſſertionem pertinet, minus illam veritati eſſe conſentaneam, jam tum oſtendimus in *diſſertationibus* noſtris *Diæteticis*. Primò enim carnis ſuillæ uſus in noſtris hiſce Saxoniæ oris longè eſt frequentior, quàm in ſuperiori Germania; cum tamen affectus ille hiſce noſtris in regionibus pænè ſit incognitus; ex adverſo in ſuperiori Germania non planè infrequens. Quod autem de grandine morbo porcis familiari allatum fuit, non quidem volumus negare; at verò grandinoſorũ porcorum carne nemo eſt qui veſci velit, niſi per ignorantiam vel extrema urgente neceſſitate: quamvis tamen ruſtici & operarii ab illa non abhorrent, valetudine quoq; inde non offenſa. Par eſt ratio reliquarum quoque ex aliis animalibus in cibum petitarum pinguium carnium. Nec ſuperioris tantum Germaniæ incolæ pinguibus iſtis carnibus delectantur, ſed non minus quoque Saxones noſtri, quique illis ſunt contermini populi alii. Porrò quod de butyri uſu fuit allatum, multò minus adhuc poteſt ſubſiſtere. Quum enim apud nos à quam multis quotidiè cum pane comedatur, ſuperiori Germaniæ hoc non eſt uſitatum. Quid autem dicemus de Friſiis & Hollandis, utpote quorum regiones copioſo butyri proventu ſunt nobiles? cum tamen in illis locis pariter & noſtris affectus ille ſit incognitus. Ut itaque iſthæc quidem cauſſa nullo modo poſſit hic locum invenire.

Nec

Nec tamen negare volumus, victus rationem non parum hic eſſe in culpa; licet exactè hæc ita non liceat exponere. Sanè non poteſt aliunde eſſe, quod multi morbi multis gentibus ſint indigenæ. Cujus generis eſt ſcorbutus, noſtris hiſce terris nimium familiaris.

Præter hæc vero *tertiò* tales affectus non rarò propagantur per contagium. Contagium fit vel ita ut corpus contingat corpus, vel halitu recepto, vel veſtimentis & lectis & mantilibus ac mappis aliisve rebus quibus vel manus & partem ſcabioſam affricaverunt vel deterſerunt. Halitus communicatur, ſi quis prope contagioſos cubat, vel lectis adſtat, vel ori admovet os, vel in eodem loco & conclavi verſatur vel ex eodem poculo cum illis bibit vel cochleari utitur, vel ex eodem vaſe cum illis liquidos cibos & potus petit. In Moravia contagium communicatum per cucurbitulas narrat Thom. Jordanus *de lue Morav.* Adde Mercurial. l. de Peſte ubi docet, quot modis contagium communicari queat. Quod de quavis etiam ſcabie eſt notum: multò magis vero de ejusmodi maligna ſcabie Elephantiaſi. De Leuce & lepra Judæorum conatus id quidem fuit negare Mercurialis loco proximè adducto *c. 2. l. 2. de morbis cutaneis.* Verùm, ut alia nunc non urgeamus, ipſemet Avicenna morbos, qui aliis communicantur, recenſens *Albaram* quoque adducit. Per quem affectum quamcunque lepram apud eum intelligi, ex ipſomet manifeſto patet, & ab ipſo Mercuriali quoq; multis eſt oſtenſum. Nec verò alia de cauſa Deus videtur juſſiſſe, ut leproſi ſeorſim extra caſtra adeoq; ab omni hominum conſortio remoti degerent, quum aliorum immundorum ſeparatio non videatur ad eum modum ſe habuiſſe; utpote cum fœminæ quoque menſtruo fluxu laborantes ſeparatæ fuerint: quas tamen extra caſtra peculiarem locum inhabitaſſe, ne quidem veriſimile

riſimile

riſimile ullo modo poteſt eſſe, in tanta præſertim illarum multitudine. Huc etiam pertinet quod juberentur, ut ora obturarent ſive obvelarent, ut halitu neminem inficerent. Reliquus etiam apparatus & habitus corporis talis eſſe debebat, ut eminus agnoſci poſſent, ne eis quisquam appropinquaret. Crepitacula enim, quibus hodie leproſi utuntur potius præſtant vicem vocis, quæ ob os velatum non poteſt ab illis bene edi. Qua de cauſſa muti quoque eis utuntur aliquando.

Quod ſi autem *quartò* horum affectuum naturam & cauſſas accuratius indagamus, videtur ſanè horum affectuum, cumprimis autem Elephantiaſis & Judæorum lepræ illius, cauſſa fuiſſe producta ex impuro concubitu. Et vero, ut de aliis gentibus huic affectui obnoxiis nunc nihil dicamus, Israëlitas non parum fuiſſe libidinoſos, in propatulo eſt. Quum itaque vel cum impuris mulieribus vel tempore fluxus ſeſe commiſcerent, facilè potuit fieri, ut fœdum iſtiusmodi affectum contraherent. Perinde videlicet ut morbus ille, quem Gallicum vocamus, quamplurimis per iſtiusmodi impuram commiſtionem vel

---

Hinc in Perſia & India quaſi endemia eſt lues venerea ob profuſas iſtarũ gentium libidines. Illa vero quaſi quædam ſpecies eſt lepræ. Olear.

Menſtrua fœditas eſt, cum per ſingulos menſes gravia atq; torpentia mulieri corpora immundi ſanguinis effuſione relevantur. Quo tempore ſi vir coierit cum muliere, dicuntur concepti fœtus vitium ſeminis trahere: ita ut leproſi & elephantiaci ex hac conceptione naſcantur, & fœda in utroq; ſexu corpora parvitate vel enormitate membrorum ſanies corrupta degeneret. Præcipitur ergo in lege domini viris, ut non ſolum in alienis mulieribus ſed in ſuis quoq; — certa concubitus noverint tempora, quando coeundum, quandove ab uxoribus abſtinendum ſit. Hieronymus *lib. 1. commentar. in lamentat. Hieremi. cap. 1. p. 316. c. 1.* Quod iisdem planè verbis repetitur *lib. VI. commentar. in Ezechiel. cap. XVIII. p. 439. c. 1.*

Digitized by Google

vel communicatur vel aliàs inducitur. Quam proinde cauſſam lepræ tum Avicenna tum Averroes quoque non abs re dederunt. Neque vero ſine cauſſa Deus usque adeò ſeverè & iteratis vicibus prohibuit concubitus cum menſtruata muliere. Vid. Levit. xviii, 19: xx, 18. Ezech. xviii. 6: xxii, 10. Non utique, quantum colligere licet, facturus, niſi effrenata libidine gens illa fuiſſet tentata.

Accedit *deniq.* etiam, quod, ut alii morbi, ita hic quoque hereditate ad poſteros propagatur: præcipuè ſi qui in impura iſtiusmodi commiſtione fuerint concepti. Non quidem hoc ita eſt accipiendum, quaſi ille fluxus ſemper talis ſit; licet propter eam cauſſam divino juſſu pro talibus fuerint habitæ illæ fœminæ: Sed quod ſæpe tum natura ſoleat ſeſe à vitioſis humoribus expurgare; de quo deinceps plura.

Quibus omnibus *ultimo loco* fortaſſis illud quoque addi poteſt: Israëlitis morbum illum præ aliis non rarò fuiſſe in pœnam. Cum enim illa gens contumax & duræ cervicis eſſet, horribilibus etiam pœnis Deus in eos animadvertit. Quo pertinet quod nec hodie illis adeo frequens eſt lepra. Quod cumprimis etiam conſtat exemplis eorum, qui ſubito & nulla præcedente cauſſa tali morbo fuerunt correpti.

Ad Levit. XIII. ℣. 47. & XIV. ℣. 34.

Quod ad lepram ædificiorum & veſtimentorum pertinet, res illa profectò eſt planè admiranda: quin imo usque adeo ſingularis ſuique exempli, ut nusquam aliàs geminum quid liceat obſervare; niſi quod Paulus Warnefridus *lib. 2. de geſtis Langobardor. c. 4.* ſcribat: *Narſetis temporibus in provincia præcipuè Liguriæ maximam peſtilentiam exortam eſſe: ſubitò enim apparuiſſe quædam ſignacula per domos, oſtia, vaſa vel veſtimenta; quæ ſi quis voluiſſet*

abluere magis magisq; apparuiſſe. Quicquid autem ſit de illa Pauli iſtius obſervatione, ſanè illam planè fuiſſe ſingularem, palàm eſt. Et vero heic fuit peſtilens lues, lepram autem numquam obſervatum legitur fuiſſe epidemiam, multo minus peſtilentem: quum contra Israëlitis hoc non ſemel vel una & altera vice contigerit; utpote cum aliàs Deus hæc ita prolixè & accuratè non videatur expoſiturus.

Quod autem ad cauſſam ejus pertinet, utique quod paullò ante de hominum lepra dictum fuit, idem quoq; de hâc veſtium & domorum erit dicendum: videlicet profectũ hoc fuiſſe ab humore vel vapore quodam ſeptico, tantæque virulentiæ, ut in res animâ carentes & ipſos etiam lapides ſerperet. Valleſius quidem non ita id admirandum eſſe videtur opinari, quod videlicet ex ægrotantium corporibus miaſmata peſtifera & contagioſa exhalantia in veſtes & alias res ſeſe poſſint abſcondere, unde poſtmodum complures morbis iſtiusmodi poſſint corripi. At vero exhalationes illæ peſtiferæ & contagioſæ nequaquam cum hac lepra in contentionem poſſunt venire: quum illæ nunquam corrodant veſtimenta vel parietes, quinimò ne colorem quidem aut ſuperficiem illorum vel leviſſimè immutent: hæc autem lepra manifeſto prodiderit corroſionis factæ ſigna.

Fortaſſis etiam divini quippiam & à ſupernaturalibus cauſſis profectum hic ſubfuit: præſertim quum in aliarum gentium hiſtoria id non occurrat, nec poſtea in illis terris ab ullo unquam fuerit obſervatum. Quin ſæpius

---

Ebullitio, quæ ſignificantius in Græco dicitur ἐκβρασμὸς. Propriè ſiquidem ἐκβρασμὸς in iſtiusmodi rebus ponitur: cum quod latebat intrinſecus, erumpit in faciem. Unde papulæ quoque quæ poſt ægrotationem naſcuntur in labiis, vocantur ἐκβράσματα: & ſanitatis videtur indicium, morbum in ſuperficiem perrupiſſe. Hieron. *commentar. in Nahum cap. II. p. 173. c. 2.* **Mundausfahren** noſtrates vocant.

ſæpius tamen id fuerit factum, nequit dubitari. Nec enim alias adeo expreſſam legem de ea expurgatione & expiatione Deus tuliſſet.

Ad Levit. XV.

Quamvis hoc capite de duobus affectibus, utrumque ſexum ſeorſim concernentibus, gomorrhæa videlicet & fluxu muliebri, agatur, videntur tamen nonnulli ex interpretibus adeoque ipſemet noſter B. Lutherus capitis initio quasvis alias defluxiones ſordidas intellexiſſe. Nec incommode. Quo itaq; nihil huc pertinens omittatur, de his quoq;, & primo quidem loco in genere, quædam annotabimus.

Et verò iſtiusmodi defluxiones valde eſſe vulgares, nemini eſt ignotum. Sunt videlicet illæ, quæ exulcerationes ſordidas ſolent inducere, illas videlicet quas patrio ſermone offene Schaden ſolemus appellare. Quales præcipuè, quin imo nunquam ferè non, crura, & quidem partes ſub genu poſitas ſive tibiam quam maxime ſolent infeſtare. Et vero quin omnes tales etiam immundi fuerint, vetat dubitare & ipſa ratio & generalis concluſio proximi capitis. Ad perfectam ſanitatem videlicet requiritur ſimpliciter omnium partium externa quoque mundities & pulchritudo. Quæ læditur per ſordidum fluxum quemcunque. Ideoque ſi illo tempore jam fuiſſent in uſu fonticuli, ſine dubio & illi homines reddidiſſent immundos. Sunt autem defluxiones illæ de quibus dicere cœpimus ſalſæ & acres; quod ipſimet quoque laborantes manifeſtò percipiunt. Unde etiam eſt, quod ulcera illa ſordida ſint, & difficillime poſſint occludi. Quin etiam ſæpenumero quum coaluerunt, facto in illas partes novo humoris impetu, ſponte ſua rurſus aperiuntur & recrudeſcunt: Ad quod ipſum proinde prohibendum fonticuli (quos vocant) ſolent inſtitui. Accedit etiam, quod labra illorum ulcerum plerumque

ſint rubicunda, manifeſtum caloris indicium præbentia. Quinimò non rarò tantæ ſunt acrimoniæ, ut ulterius etiam ſerpant, & vicinas partes corrodant. Quales ſæpe etiam comitari ſolent affectum ſcorbuticum, hiſce gentibus valdè familiarem. Defluxiones autem illæ ſubcutaneæ à calore ex corpore humores noxios expellente ad partes illas deponi ſolent. Præterea cum ad partem aliquam ferri conſueverunt, ſolent deinde eam magis magisque infeſtare: perinde ut alii quoque affectus ubi partem aliquam ſemel invaſerint, ſolent eam deinde repetere.

Quænam autem harum omnium defluxionum internæ ſint cauſſæ non poteſt nunc paucis expediri; ſed id fiet commodius, ubi in illam rem ex profeſſo inquiritur. Quantum tamen in genere ad illius rei cognitionem pertinet, duobus id ferè fit modis: partim quod ſub vaporis ſpecie quædam colligantur, & deinde in aquam refrigerata concreſcant; partim etiam per apertionem vaſorum extremorum: quomodo videlicet ſerum eo modo in renibus ſegregatur, & etiam ſcabies & vitia cutanea ſimili ratione in partibus illis excitantur. Quo etiam multum facit ſeri iſtius tenuitas, quæ videlicet ejusmodi è vaſis elapſum facillimè admittit.

Quum autem, ceu modo dicebam, conſuetudine accedente affectus illi ſoleant ingraveſcere, vel ſaltem locum illum frequentius invadere, hinc adeò mirum non eſt, quod iſtiusmodi ſordida ulcera curationem nunquam poſſint admittere: parte ſcilicet debilitata, & ipſo habitu corporis cum ingraveſcente ætate multum itidem infirmiori reddito, parti quoque fermento quaſi quodam humores ad eam allabentes corrumpente impreſſo.

Quod autem ad gonorrhoeam, de qua ſacer Scriptor propriè loquitur, attinet, utique duplicis in hoc eodem capite

Digitized by Google

pite fit mentio. Quæ enim *v. 16.* adducuntur, cum illo affectu, de quo præcedentibus verſibus agitur, non ſunt confundenda. Videlicet quæ ſub initium capitis ad illum usque locum commemorantur, de longè alia gonorrhœas ſpecie agunt.

Quo igitur utriusque illius diſcrimen eo clarius pateſcat, *Primo* prior illa fœda eſt gonorrhœa & morboſa, quæ proinde peculiaribus ſacrificiis erat expianda; at illa poſterior etiam ſanis hominibus poteſt contingere. *Deinde* prior illa vigilantibus pariter & dormientibus obtingit: poſterior autem illa tantum dormientibus. *Tertio* vero cauſſæ etiam horum affectuum planè ſunt diverſæ. Nam illam priorem non tantum ſeminis eſſe profluvium, ſed ſimul pravos humores per eam partem tum expurgari, manifeſto colligitur ex *verſu tertio*: poſterior illa verò non fit, niſi ex abundantia ſeminis. Quibus etiam *quarto* addendum, quod fœdum iſtiusmodi profluvium non ſit cum voluptate conjunctum: quum altera illa gonorrhœa ſoleat libidinoſa ſomnia habere adjuncta. Hæc videlicet eſt illa, quam nocturnam pollutionem ſolent appellare.

Quod autem ulterius ad cauſſas horum affectuum pertinet, utique prior illa poteſt variis modis contrahi, videlicet per impurum concubitum vel alium contactum: non ſecus videlicet ac lues illa quam Gallicam vocamus hoc ſymptoma plerumque habet adjunctum, ex iisdem cauſſis contractum. Poſſunt etiam hujus fœdi affectus aliæ eſſe cauſſæ; non ſecus videlicet ac proxime præcedentium leproſorum affectuum. Quin etiam genti Iſraëliticæ ex fœda libidine tale malum non fuiſſe infrequens, ex hoc ipſo loco, ut & aliis, non obſcure poteſt colligi. Poſterior autem illa gonorrhœa, h. e. quæ cum fœditate & aliis corruptis humoribus non eſt conjuncta, ex longè aliis cauſſis produ-

Digitized by Google

producitur. Primo enim homines in Venerem proni & quibus copioſum ſemen gignitur, ob ejus abundantiam ſæpe tale quid patiuntur. Quod proinde promoveri poteſt laſcivis cogitationibus, utpote quibus ipſemet ſanguis accendatur. Quod ipſum adhuc magis augetur, ſi quis potu generoſo utatur. Præterea prout vaſa ſpermatica vel copioſiora vel etiam ampliora fuerint, & partes illæ vicinæ, quas uno verbo lumbos appellamus, fuerint calidiores; pro eo quoque magis magisque illud ipſum augetur. Debet autem ad poſteriorem gonorrhœam illa quoque referri, quæ modum ipſum excedit, adeoque corpus inſigniter debilitat. Nam & illud quoque non raro fit ab ejusmodi commemoratis cauſſis. Ad quod proinde prohibendum omnis curandi ratio in eo conſiſtit, ut partes illæ refrigerentur, & vaſa quodammodo conſtringantur, & ita illarum nimia laxitas lumborumque juſto major caliditas corrigatur.

De fluxu muliebri non deſunt qui ita ſentiant, ut opinio illorum ℣. 19. conjuncta ſit cum magna quadam incuria. Quapropter, ut, quomodo ſeſe res cum illo habeat conſtet, primò exponendum fuerit, qualis ille ſit, & num ſimpliciter vitioſus; deinde quam ob cauſam illud ipſum contingat.

Quod ad prius attinet, vulgo quidem videtur plane eſſe perſuaſum, per profluvium illud excerni humores corruptos & pravos: ſolentque in illam rem illa afferre, quæ aliquando menſtruatis ſolent accidere. At vero quam perperam illud ipſum fiat, vel ex eo facilè colligitur, quod id non omnibus nec omni tempore, ſed quibusdam duntaxat & aliquando contingat. Neque vulgari illi opinioni quicquam patrocinatur Ezech xxxvi, 17. vel Eſ. lxiv, 6. Quapropter non quidem negandum eſt, hic quandoque illa concur-

concurrere, quæ vitium aliquod valetudini factum omninò arguant. Atverò primo diſtinguendum erat inter fluxum illum ſecundum naturæ leges ſeſe habentem, & illum qui ab eis recedit. (2) attendi debet ad reliquam mulieris conſtitutionem. Quod ſi enim corpore fuerit ſano, profluvium quoque illud non poterit eſſe ſanitatis depravatæ: ſin autem impuro fuerit corpore pravisque humoribus repleta, non poterit etiam, quod eo tempore excernitur, non ejusdem eſſe generis. Sicut itaque aliàs de corporis conſtitutione & habitu rectè ſe habente non poteſt judicari ex ejusdem habitu & κατασκευῇ morboſa: ſic quoque hac ipſa in re maximè eſt faciendum. Quæ igitur aliàs non collegerunt humores corruptos, illo quoque tempore non alios poſſunt excernere: contra quæ humoribus pravis ſunt obnoxiæ.

Quod ad alterum ſpectat, qua de cauſſa videlicet fluxus ille ſexui iſti obtingat, non poteſt utique ulla alia dari, quâm id fieri ab abundantia quadam ſanguinis. Quum enim mulierum corpus ſecundum naturam ſit humidius & frigidius quàm marium, non poteſt in illis ſuperflua copia ſanguinis ſatis digeri, niſi aliquid certo tempore à natura ipſa excernatur. Unde etiam variæ ſunt circa illum ipſum fluxum & ejus vel frequentiam vel diuturnitatem differentiæ: prout corpora muliebria vel calidiora aut frigidiora fuerint, vel etiam ſanguinis copia magis ad exitum ſtimulaverint. Quibus hoc etiam addendum eſt, ſanguinem mulierum eſſe aliquantò feroſiorem & dilutiorem. Talis autem & mobilior eſt, & citius, urgente præſertim copia vel efferveſcentia quadam ſpontanea, exitum molitur. Sunt certè hæc omnia usque adeò explorata, ut marium quoque corpora his ipſis de cauſſis hæmorrhagias alias ſoleant incurrere. Quibus omnibus

denique addi debet vaſorum laxitas. Ubicunque enim ampliora illa ſunt & magis patula, ibi quoque facili negotio, accedentibus præſertim modo memoratis cauſſis, ex ipſis aliquid excidere poteſt. Mulieribus autem plerumque vaſa interna ampliora ſunt, externa autem ſtrictiora. Ut itaque non mirum ſit, per illas partes ſanguinem exitum ſibi quærere, per quas facillimè licet. Quod ſi autem vaſa illa uterina nimis juſto anguſta fuerint, ſanguis etiam craſſior, non tantum fit, ut obſtructiones in illis locis patiantur, ſed etiam ut ſanguis alias vias ad exitum ſibi quærat; unde hæmorrhagia narium, hæmoptyſis, ipſaque adeò phthiſis ſæpe eam ob cauſſam oritur. Non ſecus videlicet ac maribus quoque, juvenilibus præſertim annis, conſueta hæmorrhagia ſuppreſſa idem quoque non raro contingit. Ut itaque fluxum illum ex materiæ quadam neceſſitate potius, quàm ob certum aliquem finem fieri affirmare poſſimus. Quod autem facta conceptione fluxus ille vel plane non vel non in tantum ſeſe prodat, ejus quidem rei

---

Quamvis ὁ ῥοῦς γυναικεῖος naturalis ſit, immundus tamen fuit pronunciatus 1. quod ſæpe cum eo corrupti & mali humores expurgentur, 2. quod munditiem externam tollat, 3. ut Iſraëlitæ talium mulierum concubitum fugerent & vitarent, quæ proinde ſeparabantur toto illo tempore. Tempus fluxus multum variat. In illa gente videtur duraſſe ſex præter propter dies, quod probabiliter colligitur, ex Lev. XII, 2: XV, 19, 24. Fit autem in humano genere ſingulis menſibus, in ſingulare ſignum fœcunditatis homini ſoli conceſſæ, quod ille nullo non tempore genus ſuum propagare poſſit, quum brutis animantibus certa tantum tempora veneri præſtituta ſint. In quorum quorundam fæmellis, quæ quidem ſanguinem habent, eo tempore quo in venerem aguntur fluxus menſtruo analogus ſe prodit, inprimis in canibus. Quo pertinet quod lactantes quando iterum gravidæ fiunt, ante ſoleant fluxum illum pati.

Digitized by Google

rei ratio in promptu adeſt. Colligitur videlicet tunc ad fœtus ſuſtentationem. Deinde verò facile fieri poteſt, ut vaſis illis apertis ipſemet fœtus unà ejiciatur. Quod ipſum proinde ne fiat, fluxus ille à facta conceptione magis magisque ſiſtitur Num vero ſanguis ille ad ipſiusmet fœtus conſtitutionem concurrat, quod Ariſtoteles olim voluit: an verò potius in illius locum ſemen aliquod ſit ſubſtituendum, quod poſtmodum præ aliis Galenus urſit; non pertinet ad hunc locum, ſed de eo ipſo commodius infra diſpicietur.

Ad Levit. XVII. ℣ 11.

Vitam in ſanguine eſſe collocatam, tribus vicibus hoc in loco aſſeritur. Neq; verò eſt, quod hoc loco de alio ſenſu ſimus ſolliciti, quum ſimpliciter omnis ævi experientia doceat, cum ſanguine effuſo ipſam quoque vitam profundi. Præterea nec hoc incompertum, per ſanguinis ad omnes alias corporis partes fluxum & motum vitam unicè illis ipſis communicari; usque adeo, ut illo ipſo denegato, pars ipſa vitâ privetur. Quod ipſum etiam per fortem aliquam ligaturam vel arteriarum obſtructionem facillimè contingit. Nec aliter ſeſe res habet in deliquiis animi. Nec enim duntaxat vita conſiſtit in ſanguinis intra corpus retentione, ſed etiam requiritur, ut ſit & in locis ſuis & motu. Alias enim in vulneribus multis ſanguis vel in thoracis vel abdominis cavitatem effunditur, item in ſtrangulatis in vaſis manet; & tamen utrobique cita mors hominem occupat. Quod ſi jam ulterius hanc rem conſideramus, clariſſimum quoque eſt, in nullo alio idipſum eſſe poſitum, atque in calidi

a Magna in ſanguine vitalitatis portio. Emiſſus ſpiritum ſecum trahit. Plin. l. 11. c. 38. Immo non magna duntaxat, ſed omnis.

Digitized by Google

communicatione, Quod quum in corde tanquam in foco quodam reſideat, ex eo ſubinde cum ſanguine per arterias in univerſum corpus diſtribuitur: usque adeò, ut rectiſſimè etiam aſſeruerit Ariſtoteles, vitam eſſe conſervationem calidi. Præterea verò propter hanc ipſam cauſſam hoſtiarum ſanguinem in ſacrificiis debuiſſe offerri, tum per ſe patet, tum hoc ipſo in loco ipſemet Deus Opt. M. diſertè aſſerit. Propter hanc itaque cauſſam, & quod vita in calidi conſervatione unice conſiſtat, quodque illud una cum ſanguine reliquis omnibus totius corporis partibus communicetur; propter has, inquam, cauſſas ipſemet ſanguis anima appellatur. *Deut. 12. v. 23* De qua omni re operæ pretium eſt expendere, quæ ab ampl. noſtro Conringio perſcripta ſunt, tum *libro de calido innato c. 11.* tum *diſp. de vita & Morte.*

Ad Levit. XXI. ℣. 18. & ſeqq.

Quamvis in hujus loci verſione non omni ex parte conveniat inter interpretes, hoc tamen certiſſimum eſt: quocunque vitio corporis quis laboraverit, ſive hereditarium illud

---

Cum enim hoc loco animam ſanguinem dixerit, utique ſignificavit aliud eſſe animam, aliud ſanguinem, ut ſit anima ſubſtantia ſpiritus vitalis: ſed ipſum ſpiritum vitalem non per ſe tantum & ſine ſanguine uſum afferre vivendi, ſed commiſceri ſanguini: quia ſunt quæ vocantur arteriæ velut receptacula ſpiritus, quæ non ſolum aërem purum ampleEtuntur, ſed etiam ſanguinem, ſed minorem longè ſanguinis portionem. Gemina enim cum vaſa ſint, aliud eſt vena, quæ φλὲψ Græcè appellatur, aliud arteria. Vena plus habet ſanguinis quàm ſpiritus, hoc eſt φλὲψ: arteria minus habet ſanguinis, multo amplius ſpiritus. Iam temperatio pro diverſitate naturæ eſt hominum ſingulorum. Ambroſ. lib. de arca & Noë cap. 25. Procul autem dubio, quod ſanguine effuſo anima periret, quidam Philoſophi ſanguinem ipſum animam dixerunt; quod Triciam ſenſiſſe hoc ipſo loco Ambroſius refert.

illud fuerit, ſive connatum, ſive aliis quibuscunq; de cauſſis poſtmodum ſuperveniens, nemini licuiſſe ad altare & ſacra facienda accedere. Quos ſingulos affectus tamen ut nunc conſideremus non eſt neceſſe; quum de omnibus ſeorſim alia occaſione commodius poſſit agi. Et quidem demonſtroſis corporibus quæ *v. 18.* attinguntur, fuſe egit, variis ſententiis de univerſo hoc negotio uniquaque conquiſitis, peculiari libro *de Monſtris earumq; cauſſis* conſcripto Martinus Weinrichius, & nuper Carolus Stengelius, item ante eum Fortunius Licetus. Noſtram vero ſententiam expoſuimus *l. 1. natural. ſcient.*

Ad Num. XXI. ℣. 18. & ſeqq.

Qualenam fuerit proprie ſerpentum illud genus, quod h. l. Israëlitis immorigeris Deus immiſit, non videtur ita præcisè poſſe affirmari. Quamvis enim Tremellius ſerpentes illos vocet *præſteres*, ipſemet tamen agnoſcit, in Hebraico textu in genere *adurentes* ſerpentes denotari. Quo ſine dubio quoque reſpexit in ſua verſione B. noſter Lutherus Nam Græcorum LXX. interpretatio longius recedit, appellans ὄφεις θανατοῦντας, quod de quibusvis, cumprimis qui magis ſunt venenoſi, ſerpentibus poteſt intelligi. Fuerunt ſine dubio autem ſerpentes illi de genere Aſpidum, vel ceraſtarum, vel cherſydrorum, vel dipſadum: præſertim quum horum omnium morſus talia ſoleant inducere ſymptomata, quæ vehementem & venenoſitatem & caliditatem indicant. Quod ſi tamen ſimpliciter præſteres intelligere quis velit, non eſt quod ei multum refragemur: præſertim quum hi quoque de genere aſpidum ſint, & hi ſerpentes omnes congeneres.

Hoc autem notari debet, ſepentum majorem eſſe malignitatem & virus illorum morſusque maxime venenatos, qui in arenoſis & ſiticuloſis & in calida regione ſitis

locis inveniuntur. Qualia ſunt deſerta illa Arabiæ, per quæ Israëliticus populus eſt peregrinatus.

Quod ſi vero quis ulterius quærat, quomodo per ejusmodi morſum non tantum horrenda & dira ſymptomata ſed ipſa etiam mors & ſubito quidem induci poſſit, de ea re poterit conſuli diſputatio *de Venenis* me præſide nuper habita. Fit videlicet id tum ſanguine in partibus demorſis commorante infecta, vel etiam veneno ipſis vaſis vulneratarum partium infuſo. Quum autem ſanguis ille per venas nunquam non ad cor retrogrediatur, ex illo porro per medios pulmones viciſſim in cor revertatur, ex eô porrò per univerſum corpus rurſus diſtribuatur; non poteſt etiam aliter fieri, quin venenum illud intra breviſſimum tempus univerſo corpori communicetur.

Quod ſi ulterius quis ſcire deſiderat, in quonam itaque propriè veneni natura conſiſtat, paucis ita reſpondendum: Veneni eſſentiam in eo conſiſtere, ut ſanguinem noſtri corporis corrumpat, & calidum innatum perimat. Citius quidem tardiusve, prout malignitas illa major minorve fuerit, & corporis robur minus magisve illi poſſit reſiſtere. Habent autem omnia illa, præcipue venena proprie dicta, maximam vim fermentandi & putredinem inducendi. Quod ſymptomata eorum aſſumtionem vel infuſionem ſubſequentia manifeſto produnt.

Quod ſeorſim verò ad hos ſerpentes attinet, utique videtur non eſſe dubitandum, quin parti commorſæ inſignem ſtatim calorem indiderint, & inflammationem ejus excitaverint, ipſo etiam corpore ſimul præter naturam accenſo. Id quod cum primis faciunt illi ſerpentes, de quorum genere ſine dubio iſtos fuiſſe (quantum quidem conjecturâ aſſequi licet) paullò ante indicavimus. De quorum aliorumque omnium differentiis & figuris præcipuè inſpicienda

enda ſunt, quæ operi Geſneriano *de animalibus* ſunt ſubjuncta. Quibus utiliter addi poſſunt, quæ ſuæ, *de caſu cujusdam Adoleſcentis Argentoratenſis mirabili* diſſertationi ſubnectit Melchior Sebizius, doctiſſimus iſtius Acad. Prof. Quænam autem ſymptomata cujusvis ſerpentis morſus ſequi ſoleant, præ omnibus aliis diligenter collegit Santes Ardeyrus *lib. 6.* ſui operis *de Venenis*.

De quibus omnibus ſerpentibus tamen identidem retinendum eſt illud diſcrimen, quod ab ipſorum locorum temperie cælique conſtitutione deſumitur. Quamvis enim quivis absque diſcrimine ſerpentes ſint venenati, non tamen ii vel omnes vel omnibus in locis æque ſunt tales: quum in frigidioribus regionibus minoris ſint virulentiæ, in calidioribus autem longe pernicioſiores.

Ad Levit. XXV. 19, 20, 21, 22. XXVI, 3, 5.

Terram promiſſam, etiam antequam Iſraëlitæ eam occuparent fuiſſe fertiliſſimam docent encomia ejus, paſſim ab ipſo Deo eidem tributa tum quoque uva ab exploratoribus ad vallem Eſchol abſciſſa Num. XIII, 22. Sed illa deinceps miris modis fuit aucta, Deo eam peculiariter mutante Deut. XI. 12. Poſt illam benedictionem ſubtraxit ei Deus, unde illam non eſſe felicem Strabo ſcribit lib. XVI. pag 523: quod rectè ab eo factum aſtruit in comment. Caſaubonus. Atque idem confirmant recen-

In his locis in quibus nunc degimus, præter parvos fontes, omnes ciſternarum aquæ ſunt: & ſi imbres divina ira ſuſpenderit, majus ſitis quàm famis periculum eſt. Hieronym. *lib. II. commentar. in Amos, cap. IV. p 88. c. 1.* Id. *lib. II. comm. in Eſ. ad. cap. V. Revera nihil terra repromiſſionis pinguius ſi non montana & deſerta, ſed omnem illius latitudinem conſideres.*

recentiorum temporum hiſtoriæ & hodœporica, quæ uno quaſi ore, quam ſterilis atque inculta illa hodie ſit, loquuntur, quod vi maledictionis divinæ ipſi contigiſſe ſine dubio eſt. Nec enim clima regionis fuiſſe mutatum rectè docet Bellon. obſervat. lib. II. cap. 87.

Ad Deuter. III. ℣. 11.

Gigantes non olim tantum fuiſſe, ſed hodie quoque non nullibi reperiri, ex omnis ævi hiſtoriis conſtat. Ogi gigantea magnitudo colligitur ex deſcriptione lecti ſive ſpondæ ejus. Talis etiam fuit Goliathus, cujus magnitudo patet ex armis quibus uſus eſt, ipſorumq; pondere. Quod pondus eleganter & ex profeſſo expendit Stanislaus Orſepſius *l. de multiplici ſiclo & talento Hebraico &c. p. 98. 99. 100. 101.* Huc pertinet ille Scytha ſive Tatarus, *cujus frons viginti quatuor digitos lata fuit: manus & pedes, adeoque totum corpus, ſtupendæ magnitudinis: humi jacens cadaver, umbilicum viri ſtantis attingebat*; cujus meminit Leonhardus Gorecius *deſcript. belli Ivoniæ f.* ſive *p. 116.* Præterea vero temporibus illis quæ origini mundi fuêre propiora plurimos etiam fuiſſe tales homines, ex ipſa ſacra ſcriptura non obſcurè colligitur. Ne nunc alia, & quantum non vane conjectare licet, priſci illius antediluviani ævi monumenta, adducamus. De quorum hiſtoria præter alia legi poſſunt, quæ peculiari opuſculo conſcripſit Bartholomæus Caſtanæus & Hadrian. Jun. Batav. cap. 2.

Quod ſi autem quis ulterius naturales monſtroſæ hujus magnitudinis cauſſas ſciſcitetur, videntur illæ ad duo ferè genera poſſe referri, (1) in vim ſeminis parentum: quæ etiam procul dubio fecit, quod priſcis illis & primævis temporibus usque adeo magna copia illorum monſtrorum fuerit: præſertim quum terræ pariter & ſtirpium, animantiumque ipſorumque adeo hominum, robur in

ſuo

ſuo adhuc eſſet vigore; quod poſtmodum immiſſo horribili illo Cataclyſmo miris modis fuiſſe debilitatum, jam ſupra ad *cap. 7. Geneſ.* obſervavimus. *Altera* cauſſa procul dubio adſcribenda eſt rationi victus. Quod ſi enim illa humidior fuerit, nec juſto calidior, plena itidem, cuique nihil detrahatur; corpora ſanè adhuc hodieq; præ aliis contrario victu utentibus ſolent augeſcere. Et verò hac de cauſſa Germanorum priſcorum corpora quam maxime fuiſſe procera, luculenter expoſuit *de habitu corporum Germanicorum* Ampliſſ. noſter Conringius.

Neque vero quicquam attendenda ſunt illorum argumenta, qui Gigantum originem ex Dæmonum cum hominibus concubitu non dubitaverunt jam olim arceſſere. Quæ producta & examinata legi poſſunt apud Martinum Weinrichium *l. de ortu monſtrorum c. 22*, qui idem naturales monſtroſæ magnitudinis cauſſas doctè propoſuit *c. 21* Quibus omnino addenda ſunt illæ, quæ laudata modò *Diſſert. de habitu corporum Germanicorum* ſunt perſcripta, ac idem autor ſupplem. de Antiqq. Acad. & peculiari libro de antiquiſſimo ſtatu Helmſtadii tradidit.

Ad Deuter. XXIV. ℣. 7.

Duo illa quæ h. l. commemorantur, proculdubio fuêre extraordinaria quædam & ſingularia dona, Moſi peculiari Dei beneficio, & propter illam cum Deo (ut ita loquar) familiaritatem conceſſa; quum aliàs in omni ſenio vires collabantur: qua de cauſſa quoque de aliis ſenibus in S. Scr. addi ſolet, illos defeciſſe, vel vires illorum fuiſſe imminutas.

Ecce jam centenus ætatis circulus volvitur; & tu ſemper præcepta Domini cuſtodiens, futuræ beatitudinem vitæ per præſentia exempla meditaris. Oculi purò lumine vigent: pedes imprimunt certa veſtigia: auditus penetrabilis, dentes candidi, vox ſonora, corpus ſolidum, & ſucci plenum: cani

Et cauſſa quidem hujus ipſius facilè poteſt dari. Ut autem de eo *primum* agamus, quod viſus in Moſe conſervationem attinet, ſolent oculi procedente ætate magis magisque caligare & tandem ipſe viſus perire; quod videlicet omnia illa, quæ ad ſenſus iſtius integritatem requiruntur, non in eo juſta permaneant. Quænam autem omnia illa ſint, non quidem nunc exponendi locus eſt, ſed id infra commodius fieri poterit; tantum hic ſufficiat notaſſe: propterea ſenibus imminui viſum, tum quod non ſatis illud influat, quod debebat; tum etiam quod ipſius oculi juſta temperies vitietur, videlicet tunicæ & humores oculi plus juſto concreſcant & exſiccentur: præterea humores quoque craſſi vaſa vel etiam nervum opticum obſtruant. Iris inſuper fulgorem ſuum amittit, atque ita nec ſpecies commodè recipi poſſunt, nec objecta ſufficienter illuſtrari.

Quod *alterum*, videlicet corporis vigorem, ſpectat, utiq; ille etiam uno verbo in partium intemperie frigida conſiſtit. Nam procedentibus annis calidum nativum magis magisque debilitatur, ipſum etiam cor paulatim robur ſuum amittit; unde porrò non amplius fit tanta calefactio ſanguinis, quanta priori ætate: hinc etiam partes reliquæ minus ſufficienter foventur, muſculi præterea & articuli juſto ſicciores

---

cani cum rubore diſcrepant, vires cum ætate diſſentiunt. Non memoriæ tenacitatem, ut in plerisq; cernimus, antiquior ſenecta diſſolvit. Non calidi acumen ingenii frigidus ſanguis obtundit: non contractam rugis faciem arata frons exaſperat, non denique tremula manus per curvos ceræ tramites errantem ſtylum ducit. Futuræ nobis reſurrectionis virorem in te Dominus oſtendit; ut peccati ſciamus eſſe, quod cæteri adhuc viventes præmoriuntur in carne; juſtitiæ, quod tu adoleſcentiam in alienâ ætate mentiris. Et quanquam multis iſtam corporis ſanitatem, etiam peccatoribus, evenire videamus: tamen illis hoc diabolus miniſtrat, ut peccent: tibi Dominus præſtat, ut gaudeas. Ita de Paulo Concordienſi ad hunc ipſum Hieronymus epiſt. 21.

ſicciores redduntur, partes omnes flacceſcunt, tonum ſuum perdentes. Solent etiam propter calidi defectum crudi humores paſſim per univerſum corpus colligi; unde ſenſus hebetantur, & corpus ad motum redditur ineptum. Quamvis autem in aliis citius, in aliis ſerius ſenectus ingruat, in cujus cauſſas nunc non inquiremus, ſemper tamen cum ſenectute vigor & robur corporis decreſcit, adeoque citra externos in victu commiſſos errores, nihilominus tamen naturaliter pervenitur ad Maraſmum; quod Galenus expoſuit peculiari ejus argumenti libro. Quibus de cauſis quoque non poteſt non ipſa tandem mors hominem occupare.

Ad Joſuæ III. ℣. 15.

Solent fluvii quidam tempore meſſis adeoque media æſtate maxime increſcere, ita ut etiam ripas ſuas longè lateque transgrediantur. Id quod in Germania noſtra quam maxime contingere ſolet Rheno, quamvis per longum etjam tempus nullæ fuerint pluviæ, & præ ſiccitate nimia fluviorum aliorum alvei maximam partem exareſcant.

Jam vero cauſſam ejus rei multi referre ſolent in nives in altis montibus liquefactas. Verum hoc ipſum minus veriſimile poteſt videri; præſertim quum præcedentibus quoque menſibus jam tantus ſoleat eſſe æſtus, qui nivibus iſtis colliquandis ſatis ſit ſufficiens; utpote cum tepidiore aëre ſub vernum tempus, ingrediente paulatim jam æſtate, ſoleant illæ reſolvi. Præterea verò quod ad Jordanem ſeorſim pertinet, de eo ſanè iſtud quidem non poterit affirmari, quum ille ſub Libano oriatur, & præterea tempore illo in iſtis præſertim calidis regionibus non amplius poſſint ſupereſſe nives. Quapropter de alia cauſa fuerit diſpiciendum.

Digitized by Google

denique addi debet vaſorum laxitas. Ubicunque enim ampliora illa ſunt & magis patula, ibi quoque facili negotio, accedentibus præſertim modo memoratis cauſſis, ex ipſis aliquid excidere poteſt. Mulieribus autem plerumque vaſa interna ampliora ſunt, externa autem ſtrictiora. Ut itaque non mirum ſit, per illas partes ſanguinem exitum ſibi quærere, per quas facillimè licet. Quod ſi autem vaſa illa uterina nimis juſto anguſta fuerint, ſanguis etiam craſſior, non tantum fit, ut obſtructiones in illis locis patiantur, ſed etiam ut ſanguis alias vias ad exitum ſibi quærat; unde hæmorrhagia narium, hæmoptyſis, ipſaque adeò phthiſis ſæpe eam ob cauſſam oritur. Non ſecus videlicet ac maribus quoque, juvenilibus præſertim annis, conſueta hæmorrhagia ſuppreſſa idem quoque non raro contingit. Ut itaque fluxum illum ex materiæ quadam neceſſitate potius, quàm ob certum aliquem finem fieri affirmare poſſimus. Quod autem facta conceptione fluxus ille vel plane non vel non in tantum ſeſe prodat, ejus quidem rei

---

Quamvis ὁ ῥοῦς γυναικεῖος naturalis ſit, immundus tamen fuit pronunciatus 1. quod ſæpe cum eo corrupti & mali humores expurgentur, 2. quod munditiem externam tollat, 3. ut Iſraëlitæ talium mulierum concubitum fugerent & vitarent, quæ proinde ſeparabantur toto illo tempore. Tempus fluxus multum variat. In illa gente videtur duraſſe ſex præter propter dies, quod probabiliter colligitur, ex Lev. XII, 2: XV, 19, 24. Fit autem in humano genere ſingulis menſibus, in ſingulare ſignum fœcunditatis homini ſoli conceſſæ; quod ille nullo non tempore genus ſuum propagare poſſit, quum brutis animantibus certa tantum tempora veneri præſtituta ſint. In quorum quorundam fæmellis, quæ quidem ſanguinem habent, eo tempore quo in venerem aguntur fluxus menſtruo analogus ſe prodit, inprimis in canibus. Quo pertinet quod lactantes quando iterum gravidæ fiunt, ante ſoleant fluxum illum pati.

rei ratio in promptu adeſt. Colligitur videlicet tunc ad fœtus ſuſtentationem. Deinde verò facile fieri poteſt, ut vaſis illis apertis ipſemet fœtus unà ejiciatur. Quod ipſum proinde ne fiat, fluxus ille à facta conceptione magis magisque ſiſtitur Num vero ſanguis ille ad ipſiusmet fœtus conſtitutionem concurrat, quod Ariſtoteles olim voluit; an verò potius in illius locum ſemen aliquod ſit ſubſtituendum, quod poſtmodum præ aliis Galenus urſit; non pertinet ad hunc locum, ſed de eo ipſo commodius infra diſpicietur.

Ad Levit. XVII. ℣ 11.

Vitam in ſanguine eſſe collocatam, tribus vicibus hoc in loco aſſeritur. Neq; verò eſt, quod hoc loco de alio ſenſu ſimus ſolliciti, quum ſimpliciter omnis ævi experientia doceat, cum ſanguine effuſo ipſam quoque vitam profundi. Præterea nec hoc incompertum, per ſanguinis ad omnes alias corporis partes fluxum & motum vitam unicè illis ipſis communicari; usque adeo, ut illo ipſo denegato, pars ipſa vitâ privetur. Quod ipſum etiam per fortem aliquam ligaturam vel arteriarum obſtructionem facillimè contingit. Nec aliter ſeſe res habet in deliquiis animi. Nec enim duntaxat vita conſiſtit in ſanguinis intra corpus retentione, ſed etiam requiritur, ut ſit & in locis ſuis & motu. Alias enim in vulneribus multis ſanguis vel in thoracis vel abdominis cavitatem effunditur, item in ſtrangulatis in vaſis manet; & tamen utrobique cita mors hominem occupat. Quod ſi jam ulterius hanc rem conſideramus, clariſſimum quoque eſt, in nullo alio idipſum eſſe poſitum, atque in calidi

Q 2 commu-

---

a *Magna in ſanguine vitalitatis portio. Emiſſus ſpiritum ſecum trahit. Plin. l. 11. c. 38.* Immo non magna duntaxat, ſed omnis.

communicatione, Quod quum in corde tanquam in foco quodam reſideat, ex eo ſubinde cum ſanguine per arterias in univerſum corpus diſtribuitur: usque adeò, ut rectiſſimè etiam aſſeruerit Ariſtoteles, vitam eſſe conſervationem calidi. Præterea verò propter hanc ipſam cauſſam hoſtiarum ſanguinem in ſacrificiis debuiſſe offerri, tum per ſe patet, tum hoc ipſo in loco ipſemet Deus Opt. M. diſertè asſerit. Propter hanc itaque cauſſam, & quod vita in calidi conſervatione unice conſiſtat, quodque illud una cum ſanguine reliquis omnibus totius corporis partibus communicetur; propter has, inquam, cauſſas ipſemet ſanguis anima appellatur. *Deut. 12. v. 23* De qua omni re operæ pretium eſt expendere, quæ ab ampl. noſtro Conringio perſcripta ſunt, tum *libro de calido innato c. 11* tum *diſp. de vita & Morte.*

Ad Levit. XXI. ℣. 18. & ſeqq.

Quamvis in hujus loci verſione non omni ex parte conveniat inter interpretes, hoc tamen certiſſimum eſt: quocunque vitio corporis quis laboraverit, ſive hereditarium illud

---

Cum enim hoc loco animam ſanguinem dixerit, utique ſignificavit aliud eſſe animam, aliud ſanguinem, ut ſit anima ſubſtantia ſpiritus vitalis: ſed ipſum ſpiritum vitalem non per ſe tantum & ſine ſanguine uſum afferre vivendi, ſed commiſceri ſanguini: quia ſunt quæ vocantur arteriæ velut receptacula ſpiritus, quæ non ſolum aërem purum amplectuntur, ſed etiam ſanguinem, ſed minorem longè ſanguinis portionem. Geminæ enim cum vaſa ſint. aliud eſt vena, quæ φλὲψ Græcè appellatur, aliud arteria. Vena plus habet ſanguinis quàm ſpiritus, hoc eſt φλὲψ: arteria minus habet ſanguinis, multo amplius ſpiritus. Iam temperatio pro diverſitate naturæ eſt hominum ſingulorum. Ambroſ. lib. de arca & Noë cap. 25. Procul autem dubio, quod ſanguine effuſo anima periret, quidam Philoſophi ſanguinem ipſum animam dixerunt; quod Triciam ſenſiſſe hoc ipſo loco Ambroſius refert.

Digitized by Google

illud fuerit, ſive connatum, ſive aliis quibuscunq; de cauſſis poſtmodum ſuperveniens, nemini licuiſſe ad altare & ſacra facienda accedere. Quos ſingulos affectus tamen ut nunc conſideremus non eſt neceſſe, quum de omnibus ſeorſim alia occaſione commodius poſſit agi. Et quidem demonſtroſis corporibus quæ *v. 18.* attinguntur, fuſe egit, variis ſententiis de univerſo hoc negotio uniquaque conquiſitis, peculiari libro *de Monſtris earumq; cauſſis* conſcripto Martinus Weinrichius, & nuper Carolus Stengelius, item ante eum Fortunius Licetus. Noſtram vero ſententiam expoſuimus *l. 1. natural. ſcient.*

Ad Num. XXI. ℣. 18. & ſeqq.

Qualenam fuerit proprie ſerpentum illud genus, quod h. l. Israëlitis immorigeris Deus immiſit, non videtur ita præciſè poſſe affirmari. Quamvis enim Tremellius ſerpentes illos vocet *præſteres*, ipſemet tamen agnoſcit, in Hebraico textu in genere *adurentes* ſerpentes denotari. Quo ſine dubio quoque reſpexit in ſua verſione B. noſter Lutherus Nam Græcorum LXX. interpretatio longius recedit, appellans ὄφεις θανατοῦντας, quod de quibusvis, cumprimis qui magis ſunt venenoſi, ſerpentibus poteſt intelligi. Fuerunt ſine dubio autem ſerpentes illi de genere Aſpidum, vel ceraſtarum, vel cherſydrorum, vel dipſadum: præſertim quum horum omnium morſus talia ſoleant inducere ſymptomata, quæ vehementem & venenoſitatem & caliditatem indicant. Quod ſi tamen ſimpliciter præſteres intelligere quis velit, non eſt quod ei multum refragemur: præſertim quum hi quoque de genere aſpidum ſint, & hi ſerpentes omnes congeneres.

Hoc autem notari debet, ſepentum majorem eſſe malignitatem & virus illorum morſusque maxime venenatos, qui in arenoſis & ſiticuloſis & in calida regione ſitis

Digitized by Google

locis inveniuntur. Qualia ſunt deſerta illa Arabiæ, per quæ Iſraëliticus populus eſt peregrinatus.

Quod ſi vero quis ulterius quærat, quomodo per ejusmodi morſum non tantum horrenda & dira ſymptomata ſed ipſa etiam mors & ſubito quidem induci poſſit, de ea re poterit conſuli diſputatio *de Venenis* me præſide nuper habita. Fit videlicet id tum ſanguine in partibus demorſis commorante infecta, vel etiam veneno ipſis vaſis vulneratarum partium infuſo. Quum autem ſanguis ille per venas nunquam non ad cor retrogrediatur, ex illo porro per medios pulmones viciſſim in cor revertatur, ex eô porrò per univerſum corpus rurſus diſtribuatur; non poteſt etiam aliter fieri, quin venenum illud intra breviſſimum tempus univerſo corpori communicetur.

Quod ſi ulterius quis ſcire deſiderat, in quonam itaque propriè veneni natura conſiſtat, paucis ita reſpondendum: Veneni eſſentiam in eo conſiſtere, ut ſanguinem noſtri corporis corrumpat, & calidum innatum perimat. Citius quidem tardiusve, prout malignitas illa major minorve fuerit, & corporis robur minus magisve illi poſſit reſiſtere. Habent autem omnia illa, præcipue venena proprie dicta, maximam vim fermentandi & putredinem inducendi. Quod ſymptomata eorum aſſumtionem vel infuſionem ſubſequentia manifeſto produnt.

Quod ſeorſim verò ad hos ſerpentes attinet, utique videtur non eſſe dubitandum, quin parti commorſæ inſignem ſtatim calorem indiderint, & inflammationem ejus excitaverint, ipſo etiam corpore ſimul præter naturam accenſo. Id quod cum primis faciunt illi ſerpentes, de quorum genere ſine dubio iſtos fuiſſe (quantum quidem conjecturâ aſſequi licet) paullò ante indicavimus. De quorum aliorumque omnium differentiis & figuris præcipuè inſpicienda

enda ſunt, quæ operi Geſneriano *de animalibus* ſunt ſubjuncta. Quibus utiliter addi poſſunt, quæ ſuæ, *de caſu cujusdam Adoleſcentis Argentoratenſis mirabili* diſſertationi ſubnectit Melchior Sebizius, doctiſſimus iſtius Acad. Prof. Quænam autem ſymptomata cujusvis ſerpentis morſus ſequi ſoleant, præ omnibus aliis diligenter collegit Santes Ardeyrus *lib. 6.* ſui operis *de Venenis.*

De quibus omnibus ſerpentibus tamen identidem retinendum eſt illud diſcrimen, quod ab ipſorum locorum temperie cælique conſtitutione deſumitur. Quamvis enim quivis absque diſcrimine ſerpentes ſint venenati, non tamen ii vel omnes vel omnibus in locis æque ſunt tales: quum in frigidioribus regionibus minoris ſint virulentiæ, in calidioribus autem longe pernicioſiores.

Ad Levit. XXV. 19, 20, 21, 22. XXVI, 3, 5.

Terram promiſſam, etiam antequam Israëlitæ eam occuparent fuiſſe fertiliſſimam docent encomia ejus, paſſim ab ipſo Deo eidem tributa tum quoque uva ab exploratoribus ad vallem Eſchol abſciſſa Num. XIII, 22. Sed illa deinceps miris modis fuit aucta, Deo eam peculiariter mutante Deut. XI. 12. Poſt illam benedictionem ſubtraxit ei Deus, unde illam non eſſe felicem Strabo ſcribit lib. XVI. pag. 523: quod rectè ab eo factum aſtruit in comment. Caſaubonus. Atque idem confirmant recen-

In his locis in quibus nunc degimus, præter parvos fontes, omnes ciſternarum aquæ ſunt: & ſi imbres divina ira ſuſpenderit, majus ſitis quàm famis periculum eſt. Hieronym. *lib. II. commentar. in Amos, cap. IV. p. 88. c. 1.* Id. *lib. II. comm. in Eſ. ad. cap. V. Revera nihil terra repromiſſionis pinguius ſi non montana & deſerta, ſed omnem illius latitudinem conſideres.*

recentiorum temporum hiſtoriæ & hodœporica, quæ uno quaſi ore, quam ſterilis atque inculta illa hodie ſit, loquuntur, quod vi maledictionis divinæ ipſi contigiſſe ſine dubio eſt. Nec enim clima regionis fuiſſe mutatum rectè docet Bellon. obſervat. lib. 11. cap. 87.

Ad Deuter. III. ℣. 11.

Gigantes non olim tantùm fuiſſe, ſed hodie quoque non nullibi reperiri, ex omnis ævi hiſtoriis conſtat. Ogi gigantea magnitudo colligitur ex deſcriptione lecti ſive ſpondæ ejus. Talis etiam fuit Goliathus, cujus magnitudo patet ex armis quibus uſus eſt, ipſorumq; pondere. Quod pondus eleganter & ex profeſſo expendit Stanislaus Orſepſius *l. de multiplici ſiclo & talento Hebraico &c. p. 98. 99. 100. 101.* Huc pertinet ille Scytha ſive Tatarus, *cujus frons viginti quatuor digitos lata fuit: manus & pedes, adeoque totum corpus, ſtupendæ magnitudinis: humi jacens cadaver, umbilicum viri ſtantis attingebat*; cujus meminit Leonhardus Gorecius *deſcript. belli Ivoniæ f.* ſive *p. 116.* Præterea vero temporibus illis quæ origini mundi fuêre propiora plurimos etiam fuiſſe tales homines, ex ipſa ſacra ſcriptura non obſcurè colligitur. Ne nunc alia, & quantum non vane conjectare licet, priſci illius antediluviani ævi monumenta, adducamus. De quorum hiſtoria præter alia legi poſſunt, quæ peculiari opuſculo conſcripſit Bartholomæus Caſtanæus & Hadrian. Jun. Batav. cap. 2.

Quod ſi autem quis ulterius naturales monſtroſæ hujus magnitudinis cauſſas ſciſcitetur, videntur illæ ad duo ferè genera poſſe referri, (1) in vim ſeminis parentum: quæ etiam procul dubio fecit, quod priſcis illis & primævis temporibus usque adeo magna copia illorum monſtrorum fuerit: præſertim quum terræ pariter & ſtirpium, animantiumque ipſorumque adeo hominum, robur in

ſuo

ſuo adhuc eſſet vigore; quod poſtmodum immiſſo horribili illo Cataclyſmo miris modis fuiſſe debilitatum, jam ſupra ad *cap. 7. Geneſ.* obſervavimus. *Altera* cauſſa procul dubio adſcribenda eſt rationi victus. Quod ſi enim illa humidior fuerit, nec juſto calidior, plena itidem, cuique nihil detrahatur; corpora ſanè adhuc hodieq; præ aliis contrario victu utentibus ſolent augeſcere. Et verò hac de cauſſa Germanorum priſcorum corpora quam maxime fuiſſe procera, luculenter expoſuit *de habitu corporum Germanicorum* Ampliſſ. noſter Conringius.

Neque vero quicquam attendenda ſunt illorum argumenta, qui Gigantum originem ex Dæmonum cum hominibus concubitu non dubitaverunt jam olim arceſſere. Quæ producta & examinata legi poſſunt apud Martinum Weinrichium *l. de ortu monſtrorum c. 22*, qui idem naturales monſtroſæ magnitudinis cauſſas doctè propoſuit *c. 21* Quibus omnino addenda ſunt illæ, quæ laudata modò *Diſſert. de habitu corporum Germanicorum* ſunt perſcripta, ac idem autor ſupplem. de Antiqq. Acad. & peculiari libro de antiquiſſimo ſtatu Helmſtadii tradidit.

Ad Deuter. XXIV. ℣. 7.

Duo illa quæ h. l. commemorantur, proculdubio fuêre extraordinaria quædam & ſingularia dona, Moſi peculiari Dei beneficio, & propter illam cum Deo (ut ita loquar) familiaritatem conceſſa; quum alias in omni ſenio vires collabantur: qua de cauſſa quoque de aliis ſenibus in S. Scr. addi ſolet, illos defeciſſe, vel vires illorum fuiſſe imminutas.

Ecce jam centenus ætatis circulus volvitur; & tu ſemper præcepta Domini cuſtodiens, futuræ beatitudinem vitæ per præſentia exempla meditaris. Oculi purô lumine vigent: pedes imprimunt certa veſtigia: auditus penetrabilis, dentes candidi, vox ſonora, corpus ſolidum, & ſucci plenum: cani

ſicciores redduntur, partes omnes flacceſcunt, tonum ſuum perdentes. Solent etiam propter calidi defectum crudi humores paſſim per univerſum corpus colligi; unde ſenſus hebetantur, & corpus ad motum redditur ineptum. Quamvis autem in aliis citius, in aliis ſerius ſenectus ingruat, in cujus cauſſas nunc non inquiremus, ſemper tamen cum ſenectute vigor & robur corporis decreſcit, adeoque citra externos in victu commiſſos errores, nihilominus tamen naturaliter pervenitur ad Maraſmum; quod Galenus expoſuit peculiari ejus argumenti libro. Quibus de cauſis quoque non poteſt non ipſa tandem mors hominem occupare.

Ad Joſuæ III. ℣. 15.

Solent fluvii quidam tempore meſſis adeoque media æſtate maxime increſcere, ita ut etiam ripas ſuas longè lateque transgrediantur. Id quod in Germania noſtra quam maxime contingere ſolet Rheno, quamvis per longum etiam tempus nullæ fuerint pluviæ, & præ ſiccitate nimia fluviorum aliorum alvei maximam partem exareſcant.

Jam vero cauſſam ejus rei multi referre ſolent in nives in altis montibus liquefactas. Verum hoc ipſum minus veriſimile poteſt videri; præſertim quum præcedentibus quoque menſibus jam tantus ſoleat eſſe æſtus, qui nivibus iſtis colliquandis ſatis ſit ſufficiens; utpote cum tepidiore aëre ſub vernum tempus, ingrediente paulatim jam æſtate, ſoleant illæ reſolvi. Præterea verò quod ad Jordanem ſeorſim pertinet, de eo ſanè iſtud quidem non poterit affirmari, quum ille ſub Libano oriatur, & præterea tempore illo in iſtis præſertim calidis regionibus non amplius poſſint ſupereſſe nives. Quapropter de alia cauſa fuerit diſpiciendum.

Digitized by Google

Videtur autem ea ex terræ cavernis eſſe petenda, quod videlicet in multis locis tum aquæ ſubterraneæ hinc & inde magis prorumpant, quum ex adverſo alios fontes aqua deſtituat. Quanam porrò de cauſſa idipſum fiat, valde difficile eſt explicatu. Quamvis enim nonnulli eam in ſiderum & præcipue Lunæ motum referant, perinde ut cauſſas æſtus maris: tantis tamen difficultatibus iſthæc aſſertio eſt implicata, ut plane non videatur poſſe admitti. Mihi ſane longe eſt veriſimilius, talem motum eſſe quaſi ſpontaneum, & nulla alia externa cauſſa accedente, ex naturali quodam impetu fieri: quemadmodum de æſtu maris pluribus idipſum jam expoſui *annot. ad diſp. Phyſic. Corn. Martini.*

Ad Joſuæ X. ℣. 12, 13, 14.

Cælum & cæleſtia corpora circa terrenum globum perpetuo moveri, hunc autem immobilem ſubſiſtere, nemo ferè indubium vocavit ante Copernicum. Quamvis enim jam tum priſco ævo unus & alter repertus fuerit, qui terram moveri, ſolem verò & cælum ſtare affirmaverit; id quod Philolaus fecit & Ariſtarchus: paucos tamen aſſenſores iſtæc opinio tum accepit, neque tanta contentione fuit defenſa. At verò poſteaquam Copernicus illud ipſum dogma ab oblivione rurſus revocavit, noviſque argumentis viſus eſt ſtabilire, tanto poſtea agmine in ſententiam illam plurimi conceſſerunt, ut plerorumque Aſtronomorum ferè eadem hodie ſit ſententia.

Quod ſi autem ea, qua par eſt, accuratione examinetur, non obſcurum eſt, ſententiam illam nullo modo eſſe amplectendam. Et nos quidem hac vice tribus potiſſimum utemur argumentis. Quorum *primum* jure merito cum ex hoc, tum aliis ſcripturæ locis deſumimus, in quibus cælum & ſidera moveri, terra v. quieſcere & immota ſubſiſtere,

ſiſtere, usque adeo diſertis verbis & expreſſe aſſeritur, ut nihil clarius unquam poſſit exprimi. Neque verò eſt, quod quis Pauli Antonii Foſcareni, Scripturæ iſthæc loca in alium ſenſum explicare conantis, ſpecioſis illuſionibus ſeſe decipi patiatur; quaſi videlicet omnia illa, quæ de cæli motu, ac terræ quiete in Sacris Scripturis habentur, ad vulgi duntaxat captum ita ſint dicta: utpote quum eo admiſſo nihil obſtet, quo minus alibi quoque à perſpicuo litterali ſenſu pro uniuscujusquis libidine ac lubitu ſit recedendum: & quaſi non æquè vulgus hoc capere poſſit, quam ſi terra moveri, cælum autem ſtare diceretur. Jam tum nempe iſthæc opinio invaluerat in his Deum ſeſe hominum captui accommodaſſe. Perinde quomodo ſol & luna dicantur luminaria magna: quum tamen ſint inter fixas ſtellas multæ ſole multum majores. Quaſi verò non aliud ſint luminaria magna, aliud omnium maxima.

Accedit *deinde*, quod id ipſum planè ſit contra ipſosmet noſtros ſenſus; quum nequaquam poſſit eſſe veroſimile, perpetuum illum & diuturnum globi terreni motum nullo modo in ſenſus noſtros poſſe incurrere, quum alii motus, & longè quidem tardiores minoresque, nunquam eos poſſint effugere.

Tertio vero & illud quoque cumprimis notandum eſt, nec à Copernico, nec ab ullo alio ejus opinionis patrono, ullas certas probationes hactenus potuiſſe afferri: quin imo non aliter, quam poſita illa ſententia demum multa affirmari, quæ aliàs minus videbantur explicatu eſſe facilia. Jam verò quid notius eſt, quàm ex falſiſſimis hypotheſibus in omni diſciplinarum genere veriſſimas concluſiones poſſe inſtitui? Quale eſt e. g. illud: Homo eſt irrationalis, Aſinus eſt homo, E. Aſinus eſt irrationalis. Deinde verò licet hypotheſes illæ non eſſent falſæ, quàm diu

tamen hypotheſes manent, non ſunt hactenus demonſtratæ, adeoque ſi quis illas non velit admittere, oportet illum qui eis utitur, probationes illarum firmas afferre. Quin rem ulterius conſideranti non obſcurè apparet, ſæpius hypotheſes pro axiomatibus venditari; quod tamen tanto minus ferendum eſt in Mathematico doctore, quanto magis accuratis demonſtrationibus præ omnibus aliis Magiſtris illi ſolent, nec immeritò quidem, gloriari. Quamvis itaque ille modus demonſtrandi meritò ſit commendandus, nequaquam tamen iſthæc licentia pro lubitu hypotheſes ſtatuendi ullo modo vel poteſt vel debet probari. Ut proinde rectè illud ipſum jam monuerit Ampliſſ. noſter Conring. *Epiſt.* Viottiano de Demonſtratione operi præmiſſa. Quod igitur in aliis diſputationibus rectè fieri ſolet, idem quoque hîc non eſt negligendum; ut ſc. quis ab illius ſententiæ patronis ſuarum iſtarum hypotheſium firmas demonſtrationes exigat: eousque aſſenſum ſuum ſuſpenſurus, donec idipſum fuerit præſtitum. Nec probat illud rem, quod poſita iſthac hypotheſi φαινόμενα omnia poſſint melius demonſtrari: non magis, quam quod ex manifeſto falſis præmiſſis vera concluſio aliquando poſſit colligi.

Sunt adhuc alia argumenta, quæ ſententiæ illi meritò opponuntur, quibus nunc non non neceſſum eſt uti, præſertim cum id ex parte jam præſtitum ſit *annotat. ad Corn. Mart. diſputationes Phyſ.* Si quis autem adverſariorum varia argumenta & illorum examen plenius perdiſcere cupit, præ aliis legenda illi fuerint, quæ ſuper hoc negotio clariſſimum illud collegarum par Libertus Fromondus & Thomas Fienus diſputaverunt, & quæ omnium fuſiſſimè ad univerſam hanc doctrinam pertinentia magno labore & accurata diligentia congesſit Johannes Baptiſta Ricciolus *lib. 9. ſect. 4.* ſui *Almageſti.*

Ad

Ad Judicum III. ℣. 15. & XX. ℣. 16.

Non inſolens eſt, quosdam manu ſiniſtra eſſe expeditiores quàm dextra, quosdam etiam utraque manu ferè eadem facilitate poſſe uti, ἀμφιδεξίους (Græci tamen utrobique habent ἀμφοτεροδέξιοι, quum tamen Ehud & ſeptingenti illi fuerint ſcævæ ſive ſcævolæ, σκαιοὶ) propterea vocatos. Quod autem priores illos concernit, videtur utique in tribu illa Benjamitica præcipuè illud fuiſſe frequens, & fortasſis quibusdam ejus familiis hereditarium. Conſtat etiam aliàs, per ſolam à pueris conſuetudinem fieri poſſe, ut quis dextræ manus uſum paulatim negligat, quod illius officii erat, ſiniſtra peragens. Quicquid tamen ſit de univerſa hac re, dextræ uſus omnium eſt frequentisſimus, & propterea quaſi naturalis.

Quod ſi autem iſtius rei cauſſam porrò ſciſcitamur, videtur ea hinc eſſe deſumenda, quod dextrum latus & cumprimis pectus brachiumque calidius ſit ſiniſtro. Conſtat etiam porrò, ad motum peragendum calorem quàm maximè requiri: adeoque ipſos etiam muſculos quo plus calidi acceperint, eo quoque robuſtiores eſſe. Quod ſi ulterius, unde calor ille dextris partibus major obtingat, quæritur; vulgo quidem illius rei cauſſam in hepar, utpote quod maxima ſui parte in dextris ſitum eſt, conferre ſolent. Quod quidem non fuerit negandum: an autem iſthæc cauſſa ſufficiat, meritò dubitatur. Licet enim viſcus illud à corde ſit calidisſimum, (exceptis pulmonibus,) ſanguinem tamen in aliis partibus refrigeratum, & ad cor refocillationis ergo remeantem recipit. Ex adverſo in ſiniſtro latere ſitus eſt lien, qui mole quidem naturali longè eſt inferior hepate, attamen copioſum recipit ſanguinem arterioſum, ex corde proximè ſubminiſtratum. Quapropter iſt-

Digitized by Google

hæc cauſſa non poterit eſſe ſufficiens. Addenda proinde & altera eſt, quod videlicet dextri pulmones accipiant ſanguinem in cordis eodem vertriculo calefactum. Ideoque licet & ille ipſe cordis ſinus minus ſit calidus ſiniſtro, adeoque etiam ipſe ſanguis non æque in eo, quàm ſiniſtro, calefiat; nihilominus tamen ex dextro illo ventriculo proximè pulmones ſanguinē accipiunt, & in ſiniſtrum demum referunt, ex quo nihil amplius proximè in pulmones mittitur, ſed per univerſum corpus ſtatim quaquaverſum dividitur.

Conſuetudinem tamen hic nequaquam eſſe excludendam, jam notatum fuit. Quando itaque ſemper manu dextra laboratur, fit ut ſanguis etiam in illo brachio magis moveatur, atque ita plus etiam in illud influat; unde muſculorum illius brachii robur non poteſt non augeri. Id quod magnitudine etiam ipſa quodammodo ſolet cognoſci. Hac igitur quoque de cauſſa, ſi quis ſiniſtra ſemper utatur, non poteſt non fieri, ut robur illud à dextra parte quaſi revocatum ad ſiniſtrum brachium feratur.

Ad Judic. III. ℣. 17.

Commemoratur hic quod *Eglon* fuerit *vir pinguis valde.* Ubi obiter notetur elegans locus Hieronymi virum obeſum de ſcribentis, *l.2. adv. Jovin. p.84. Rubent buccæ, nitet cutis, comæ in occipitium frontemq́ tornantur, protenſus eſt* (ex Perſio) *aqualiculus, inſurgunt humeri, turget guttur, & de obeſis faucibus vix ſuffocata verba promuntur.* Ita in vita Davidis Origani refertur, quod menſæ curaverit tantum demi, quantum opus eſſet ad abdominis molem immittendam. Henrici IIX. Regis Angliæ obeſitas nota eſt ex Thuano. Neque verò prætereundus hic nobis eſt Chiapinius Vitellius, *qui quod ſub mediam fermè ætatem increſcente adeò mole, ut faſciâ è collô demiſſa ſuſtinendus venter eſſet immodicè projectus, videret tardiorem quotidie reddi ſe ad belli munia,*

homo

homo ad militiam cuncta referens, vinô ſuâ ſibi ſponte interdictô, acetum exinde bibere ad vitæ usq; finem perſeveravit: effecitque ut detumeſcente abdomine, defluenteq; ventris pelle, quâ ipſe ſe thoracis inſtar involvebat, octoginta ſeptem librarum decreviſſe pondo compertus ſit, ut refert Famianus Strada dec. 1. de bell. Belg. lib. 8. Sed de aceti illo uſu jam diximus in Add. ad Diætet. p. 43.

Ad Judic. IV. ℣. 21.

Quomodo Siſſera Jaëlis manu fuerit interfectus, perſpicue hiſtoria commemorat. Quonam verò morbo à violenta illa percuſſione excitato propriè fuerit ſublatus, noſtri fuerit officii exponere. Etenim veriſſimum eſt illud ſcitum Medicorum: Neminem unquam, quocunque tandem mortis genere perimatur, vitâ poſſe fungi, niſi ſemper morbo quodam interveniente. Quum autem violentum iſtiusmodi interitum non poſſit comitari chronicus aliquis & lentus affectus, neceſſum utique eſt, quo citius quis exſtinguitur, eo quoque morbum eſſe magis acutum. Quum itaque Siſſera clavo in tempora adacto confeſtim exanimis in terram conciderit, neceſſum quoque eſt, morbum acceſsiſſe ſumme acutum. Et quidem Apoplexiam vel Syncopen interveniſſe, tum ex ipſo textu in promtu eſt colligere, tum ex ſimilibus aliis caſibus quam maxime confirmatur.

Quod autem Apoplexiam concernit, de ejus cauſsis variantes admodum ſunt Medicorum ſententiæ. Ex quibus omnibus tamen nulla poteſt eſſe veriſimilior, ſi non plané ſit certa, quam quod affectus ille oriatur vaſis ſanguinem vehentibus in capite ſubitò obſtructis. Cor certè in omni apoplexia quàm maximè affici, & oppresſionem pati, ſymptomata affectum illum concomitantia clarisſimè docent. *Primò* enim nullus vel ſaltem valdè debi-

lis & obſcurus percipitur pulſus, unde etiam deliquia animi graviſſima adſunt: *deinde* partes omnes ſtatim refrigerantur: *tertiò* corpus non poteſt erectum manere, ſed homo affectu illo correptus in terram procidit: *præterea* nulla pars corporis, vel ſaltem non niſi valde debiliter, poteſt moveri, quæque ejus generis alia ſunt concurrentia accidentia. Hæc omnia verò à ſanguinis & cum eo calidi ex corde influxu denegato dependere, tùm alia probant alio loco commodius exponenda, tum etiam vel ex eo licet concludere, quod ſanguinis calidique influxu aliquantum reddito omnia illa ſymptomata quadamtenus mox ceſſent.

Quænam autem aliæ ſint affectus iſtius cauſſæ, non poteſt ita compendio exponi; præſertim cum illæ apud alios ab unoquoque poſſint legi. Ex quibus omnibus, noſtro quidem judicio, quàm maximè digna eſt quæ legatur *Diſput.* ab ampliſſimo noſtro Conringio ante complures annos habita. Sunt videlicet ut aliàs ita heic quoque aliæ cauſſæ externæ, aliæ internæ. Ad externas pertinet commoratio ſub ſole vel aliàs in loco calido, contuſiones, lapſus, quæque ſunt ejus generis alia. Ad internas autem cauſſas pertinent humores commoti & vaſa illa ſive jugularia, ſive alia in cerebro obſtruentia. Quæ omnia porrò à copioſo potu, cumprimis generoſo ingeſto aliisque rebus poſſunt induci. Et humores quidem heic peccantes varii ſunt generis. Non tantum enim pituita in capite collecta id efficit; (ceu vulgo rentur,) quamvis illa præ aliis humoribus ſæpiſſimè peccet, propter quam etiam cauſſam ſenes præ aliis apoplexiæ maximè ſunt obnoxii; ſed etiam ipſemet ſanguis, etiam bonus maximeque laudabilis; ſi videlicet nimia ejus copia in corpore redundet. Accedit, quod quidam ſint cerebri calidioris temperiei, & defluxionibus obnoxii, vel quibus aliàs ſive his ſive aliis de cauſſis, quodque

vaſa

Digitized by Google

vaſa cerebri ampliora ſint, multum ſanguinis, ad caput ferri ſolet. Quibus aliiſque omnibus & illud cumprimis adhuc addendum eſt, quod in apoplexia nihil æque conducat quàm venæſectio; utpote quâ ſola cito adhibita à paroxyſmo jamjam imminente ægrotantes liberantur: certiſſimo argumento, cor & vaſa ejus in illo affectu quam maxime obſtrui & laborare.

Quod vero ad deliquium animi pertinet, utique illius cauſſam unicè in ejusdem ſanguinis calidique influxum referri debere, nimis eſt manifeſtum. Nam *primò* manifeſtò illud deprehenditur ex pulſus vel debilitate vel quoad ſenſum defectu, partium omnium adeoque univerſi corporis refrigeratione, motus impotentia, ipſorumque ſenſuum defectu. *Præterea* vero in illo morbo ſanguinem ex parte circa cor præter naturam reſtagnare, ex parte verò etiam ipſimet cordi denegari; tùm ex aliis facillime colligitur, tum cumprimis ex pulſu ſubſiſtente. Quæ omnia *quoque* confirmantur illis, quæ in mortuorum corporibus licet obſervare. Venæ videlicet ſanguine ſemper turgent, (niſi quis effuſo ſanguine perierit) arteriis ex adverſo omni ſanguine deſtitutis. Cujus quidem rei cauſſa non poteſt alia eſſe, atque quod ſanguis in venis & circa dextrum ventriculum cordis ſubſtiterit, adeoque nihil in ſiniſtrum cordis ſinum & hinc in arterias influxerit. Unde porro liquet, longe veriſſimam eſſe illam Ariſtotelis doctrinam, qua mortis cauſſam tum in exſtinctionem, tum in μάρανσιν & defectum calidi retulit. Quinimo utramque cauſſam ſimul concurrere, ex eo experimento quam maxime patet, quod modo fuit adductum. In ſiniſtro videlicet ventriculo cordis calidum propter ſanguinis defectum ſimul & ipſum perit, quum è contrario in dextro à regurgitante ſanguine obruatur & exſtinguatur. De qua omni re cumprimis lectu

Digitized by Google

digna ſunt, quæ ab eodem noſtro modo laudato τῷ πάνυ Conringio tum *cap. penult. lib. de Calido innato*, tum *Diſp. de Vita & Morte*, accurate ſunt diſputata.

Quod verò ad hunc caſum pertinet, non dubitandum eſt, quin & magna fuerit facta ſanguinis effuſio, vel etiam capitis internorum vaſorum obſtructio, & etiam magnus acceſſerit dolor. At vero à ſolo ingenti dolore deliquia animi quosdam incurrere, experientia teſtatur. Quam tamen cauſſam nunc quidem non tam exiſtimamus attendendam eſſe, quam priorem illam.

Ad Judic. IX. ℣. 53.

Fractura Cranii ſemper eſt periculoſa, licet non ſemper ſit lethalis: magis autem adhuc, ſi vel integrum Cranium vel illa ejus pars fracta ſit, quæ propter alias cauſſas plus periculi ſecum importat. Solet præterea etiam fractura non uno modo fieri 1. enim interdum parte exteriori ſalva, lamina interna læditur. *Deinde* ſæpe qua parte percuſſio fit idipſum manet integrũ, parte oppoſita fracta. Utrovis autem modo læſio illa fiat, ſemper ſumme eſt periculoſa, &, niſi cito curetur, lethalis. Fit autem eo modo, ut vel paralyſis quædam ſubſequatur; vel etiam ſanguine extra vaſa ſub cranio deliteſcentia projecto, ille ipſe putredinem contrahat, unde Sphacelus cerebri, apoplexia & ſimiles affectus alii oriuntur.

Quod autem caſum hunc, qui Abimelecho obvenit, concernit, videtur utique univerſum cranium, vel ſaltem potiſſima ejus pars fuiſſe confracta. Et quidem verticem cumprimis fuiſſe læſam, ex ipſamet hiſtoria videtur, ſi non certo, ſaltem valde veriſimiliter, colligi. Ubi præterea & altitudo loci unde mola projecta fuit, & pondus ipſum, quam maxime ſimul quoque debet attendi. Ex quibus omnibus porro hoc colligitur, non levem tantum aliquam

fiſſuram

fiſſuram cranium fuiſſe paſſum, aut unica duntaxat parte, ſed ipſum plane confractum. Unde porro quoq; non potuit non fieri, quin ipſum cerebrum vehementer fuerit conquasſatum. Tantùm illud non immerito quempiam in admirationem rapiat, quî factum fuerit, quod ille non ſtatim attonitus in terram conciderit? Videtur itaque fortasſis vel cranium ejus fuiſſe perquam robuſtum, vel à ſanguinis copioſa eruptione apoplexiam declinatam. Quícquid tamen ſit, non eſt dubitandum, quin jactu illo & cranium & cerebrum ejus fuerit ita perturbatum, ut mortem evadere ſeſe non poſſe ipſemet animadverteret. Poſſet fortaſſis illud quoque addi, Chirurgiam fuiſſe tum valde rudem, nec quempiam cranii fracturæ potuiſſe mederi. Quicquid vero ſit, quin vulnus illud fuerit lethale, nulla cauſſa ſuppetit ambigendi. Poſſet etiam fortasſis quis opinari, quod non fuerit cranium fractum, ſed duntaxat depresſum. At vero *primum* ipſemet textus aperte fractionis meminit: *deinde* nullo modo videtur eſſe veroſimile, à ponderoſo ſaxo, & ex turri quidem in caput ejus recta projecto, depreſſum tantum, non vero fractum fuiſſe cranium.

Ad Judic. XII. ℣. 6. XVIII. 3.

Notanda ſunt quæ hic de blæſitate & idiotiſmo gentis Ephraimiticæ referuntur. Talia etiam fuiſſe in Galilæis, ex hiſtoria Evangelica colligimus, quam in rem de Petro ita ſcribit Hieron. Comment. ad Matth. cap. XXVI, 37. *Non quod alterius ſermonis eſſet Petrus aut gentis exteræ. Omnes quippe Hebræi erant, & qui arguebant & qui arguebantur. Sed quod unaquæque provincia & regio habeat proprietates ſuas, & vernaculum loquendi ſonum vitare non poſſit. Unde & Ephratæi in Judicum libro non poſſunt* σύνθημα *dicere.* Neque verò temere quenquam latet, jam tum obſervatas

Digitized by Google

fuiſſe in provincis ac gentibus peculiares quaſdam, etiam morum, proprietates: quarum aliquas collegit Hieronym. comm. in Gal. III. *Dupliciter hic locus intelligi poteſt. Vel ideo inſenſatos Galatas appellatos, à majoribus ad minora venientes, quia cœperint ſpiritu & carne conſumentur. Vel ob id, quòd unaquæque provincia ſuas habeat proprietates. Cretenſes ſemper mendaces, malas beſtias, ventres pigros, verè ab Epimenide poëta dictos, Apoſtolus comprobat. Vanos Mauros, & feroces Dalmatas, Latinus pulſat hiſtoricus. Timidos Phrygas, omnes poëtæ lacerant. Athenis expeditiora naſci ingenia, Philoſophi gloriantur. Græcos leves apud C. Cæſarem ſugillat Tullius, dicens: Aut levium Græcorum, aut immanium barbarorum: & pro Flacco. Ingenita, inquit, levitas, & erudita vanitas. Ipſum Iſraël, gravi corde, & dura cervice, omnes ſcripturæ arguunt. In hunc ergo modum arbitror & Apoſtolum Galatas regionis ſuæ proprietate pulſaſſe. Licet quidam profundis ſe quæſtionibus inſerentes, quaſi ſub obtenta vitandæ hæreſeos, quæ diverſas naturas infert, dicant, Tyrios quoque & Sidonios, Moabitas & Ammonitas, & Idumæos, Babylonios & Ægyptios, omnesque gentes, quæ in ſcripturis nominantur, habere quædam idiomata, & merito operum priſtinorum, ne juſtitia Dei veniat in dubium, cum unaquæque gens vel bonum vel malum habere aſſeratur, quod alia non habeat.*

Ad Judic. XIII. ℣. 4.

Quæ h.l. Simſoni divinitus interdicta leguntur, prohibita quoque alias erant omnibus illis, qui voto ſeſe obligaverant, quales præcipue erant Nazaræi. Præ omnibus aliis autem videtur illud admiratione dignum, quod reſecto Simſonis capillitio ipſemet Dominus ab eo receſſiſſe dicatur:

Samſon — invicti crinis ornatum, prærogativam ſuæ virtutis amiſit. Ambroſ. *l. II. offic. c. 26.*

tur: & quum capillitium rurſus creſceret, priſtinum robur rediiſſe. Videtur autem non eſſe id ullo alio modo intelligendum, atque quod capillitium illud fuerit inſtar ſymboli, cujus interventu peculiare illud robur modo nobis incognito divinitus Samſoni erat conceſſum. Docet videlicet univerſa hujus Herois hiſtoria, robur illud plane fuiſſe inſolens, & ex quo recte tum temporis poterant colligere, longe ſuperiorem vim in illo homine eſſe, quæque humanas vires longe excederet. Num vero ſtatim ex eo quoque ſimul hoc licuerit colligere, quod ſingularis Dei præſentia apud Iſraëlitas eſſet, (quod multi ex illa hiſtoria probare nituntur,) vehementer eſt ambiguum. Certe niſi alia longe evidentiora argumenta idipſum docuiſſent, Samſonis utique geſta valde dubito an illi rei probandæ ſuffecerint.

Ad Judic. XIV. ℣. 8, 9, 14, & 18.

Non patitur hic locus de apum generatione quicquam afferre, nec quomodo illa ex cadavere alterius animantis fieri poſſit, de qua apud Virgilium quoq; in *Georgicis* prolixa fit

---

Noli, proxima mea, accipere cincinnos corporalium capillorum. Non illa ornamenta, ſed crimina ſunt: lenocinia formæ, non præcepta virtutis. Alios cincinnos Nazaræus habet, in quibus ferrum non aſcendit, quos nemo præcidit: qui non calamiſtris compoſiti, & arte digeſti, ſed multiplici criſpantes virtutum nitentium gratia refulſerunt. Diſce in hiſtoria, quales Nazaræus cincinnos habeat. Quos quamdiu Samſon habuit intactos, nunquam vinci potuit. Cincinnos perdidit, & meritum virtutis amiſit. Ambroſ. *l. III. de virgin. p. 96. & 97.* Similiter loquitur Hieronymus *commentar. in Ezechiel. l. VIII, c. XXVII. p. 476. Samſon quamdiu crines habuit, poſſedit fortitudinem: ablata vero cæſarie, captus eſt ab allophylis.*

fit mentio: tantum paucis attingemus exquiſitisſimam illam mellis dulcedinem, quâ alia omnia videtur ſuperare.

Et quidem illam ab exacta temperie dependere, extra controverſiam eſt collocandum. Præterea potisſimum à calore illam ipſam eſſe, perinde ut alios omnes ſapores, in Phyſicis fuſe exponitur. Recte videlicet Ariſtoteles docuit, ſaporem proficiſci ab aduſtis terreis partibus in humido. Prout itaq; aduſtio illa vel major vel minor fuerit, pro eo quoque ſapores vel magis vel minus ſunt grati. Hinc quæ maximam vim caloris ſunt paſſa, valde redduntur amara & guſtui ingratisſima. Id quod ex flava bile in animalibus generari ſolita luculenter apparet. Dulcedo itaque quum omnium ſaporum ſit gratisſima, non poteſt etiam aliunde niſi à blanda quadam partium, quas, dixi aduſtione produci. Quamvis inter dulces ſapores magna ſit latitudo: perinde ut in aliis quoque rebus tantum non omnibus.

Ad Judic. XV. ℣. 18. & 19.

Quo hic locus eò melius posſit intelligi, non fuerit abs re, de ſiti ejusque cauſsis quædam afferre.

Et quidem ſitim eſſe deſiderium ſeu appetitum humidi & frigidi, ex Ariſtotele vulgo docetur. Eſſe vero illam doctrinam veritati plane conſentaneam, dubitare vetant omnia, quæ circa cauſſas ſedationemque ſitis obſervantur. Modo non id ita accipiatur, quaſi ſemper appetitus ille in frigidum & humidum ſimul feratur, quum aliquan-

Videntur omninq in illis locis apum generationes è cadaveribus aliisq; putridis rebus eſſe frequentes. Unde partim tanta copia mellis ἀγρίων. Perinde ut in India & Romæ ingens copia muſcarum ex locis ſubterraneis. Quomodo item apud nos tempore æſtivo muſcæ ex putridis rebus generantur. Adde Rondelet. *l. de piſcib. fluviatilib. c. 85.*

quum aliquando calido quoque poſſit ſopiri. Quapropter in humidum quidem ſemper, in frigidum vero ut plurimum appetitus ille fertur.

Quod autem ad cauſſas ejus deſiderii attinet non poteſt utique non ſponte ſua liquere, à caliditate & ſiccitate id produci. Et ſiccitas quidem quum calorem ſoleat ſequi, quo major caloris vis fuerit, eo ſimul quoque ſiccitatem majorem eſſe oportet. Qualis proinde ſitis à frigido humido maxime ſedatur. Quandoquidem vero porro tam fames quam ſitis in ventriculo maxime percipitur, quin illo repleto uterque appetitus ceſſat: rectè etiam ſedes utriusque appetitus in eo collocatur; ita tamen, ut ab aliis quoque viſceribus eorumque intemperie affectus talis poſſit oriri. Et vero febres partiumque internarum inflammationes, adeoque ipſiusmet ſanguinis calidam intemperiem, ſitis ſolet comitari: ipſo ſc. ſtomacho per conſenſum (ceu loqui ſolent) ſimul affecto. Quando vero viſcera, præcipue vero ventriculo viciniora, vel etiam ſanguis præter naturam & ſupra modum incaluit, non poteſt etiam non talis qualitas ventriculo communicari: partim propter viciniam, partim etiam per ipſum ſanguinem ab

 una

Judicum xiv. ſeqq. multa commemorantur de robore Samſonis uti notant verba Auguſtini *l. de quantit. animæ c.22. Nutus animæ ad movendum corporis pondus, nervis quaſi tormentis utitur: nervos autem vegetat mobilioresq; efficit ſiccitas calorq; moderatus, contra eos laxat atq; infirmat humidus rigor. Itaq; ſomno, quia eum frigidum & humidum dicunt medici & probant, membra langueſcunt, atq; ipſe expergefactorum conatus multo eſt debilior, ideoq; nihil eſt fractius & enervius lethargicis. At quosdam phreneticos quibus vigilia & vini vis & acutæ febres, id eſt tot calida plus nimio nervos tendunt atq; durant, majoribus viribus quàm integra valetudine reluctari & multa facere manifeſtum eſt, cum eorum corpus ſit ægritudine attenuatius & exilius.*

Reſiſtunt

una parte corporis ad aliam ſubinde commeantem. Hinc magna ſitis in febribus & eo major quidem, quo major fuerit ipſa calida intemperies. Hinc itidem ſitis à corporis validioribus commotionibus & exercitationibus, laboribus, ſudoribus, mora ſub radiis ſolis, in balneis, hypocauſtis aliisque locis calidis. Ex quibus omnibus rurſus tanto major ſitis excitatur, quanto plura ſimul concurrerint. Poteſt etiam ſitis excitari ab aſſumtis calidis alimentis, cumprimis autem quæ aromatibus vel ſimilibus condimentis, & in magna quidem copia ſunt, præparata. Qualia proinde non conveniunt omnibus corporibus: cumprimis autem noxia ſunt juvenili vel calidiori ætati. Quinimo ipſe etiam potus copioſius aſſumtus non raro cauſſa eſt ſitis vehementioris, ſi videlicet generoſus adeoque potentiâ calidus fuerit: quales ſunt vina præſtantiora & annoſa, aquæ vitæ (quæ appellantur) & Spiritus Chemico artificio confecti, cereviſiæ item vetuſtiores & ex copioſo frumento lupuloque confectæ: præcipuè autem ſi frumentum jam fermentatum ſive (ut loquuntur) maltatum, ad flammam & ignem fuerit toſtum, quæque ſunt hujus generis cauſſæ aliæ.

Quum

Reſiſtunt autem duobus modis, Donatiſtæ videlicet, *aut ſæviendo aut pigreſcendo. Quid igitur hic faciat eccleſiæ medicina, ſalutem omnium materna charitate conquirens, tanquam inter phreneticos & lethargicos æſtuans? Nunquid contemnere, nunquid deſiſtere vel debet vel poteſt? Utrisque ſit neceſſe eſt moleſta, quia neutris eſt inimica. Nam & phrenetici nolunt ligari, & lethargici nolunt excitari; ſed perſeverat diligentia charitatis phreneticum caſtigare, lethargicum ſtimulare, ambos amare. Ambo offenduntur, ſed ambo diliguntur: ambo moleſtati, quamdiu ægri ſunt indignantur, ſed ambo ſanati gratulantur.* Idem Auguſtinus *epiſt. CLXVII, tom. 2. col. 764. C. & D.*

Quum itaque talibus ex cauſſis ſitis excitetur, & in talia feratur, utique porro patet, quæcunque ſimpliciter refrigerare & humectare poſſunt, præ aliis quoque ad ſedandam ſitim maxime eſſe idonea. Talis autem ex omnibus naturalibus rebus potiſſimum eſt pura & ſimplex aqua, quam propterea Philoſophus quidam apud Plutarchum in *Sympoſ.* vocat potum naturalem. Quod enim communi tum aliarum tum præcipue Europæarum gentium ſive vitio ſive conſuetudine ab eo receſſum ſit & alii potus ſubſtituti, tantum abeſt, ut quicquam huic aſſertioni obſtet, ut potius eam magis magisque confirmet. Docet ſcilicet uſus, ab ejusmodi aliis potibus, vino puta & qui per artem parantur, corpus & valetudinem ejus multis modis immutari: ab aliis quidem magis, ab aliis minus, prout vel frequentius ejusmodi potus aſſumatur, vel etiam ipſe magis à naturali ſimplicitate recedat. Quo videlicet plus ab ea diſtat potus cujuscunque generis, eo plus quoque ſemper eſt medicamentoſus. Ut, quod Plato de catarrhis aliisque affectibus dixit, nomina illorum & rem eſſe novam, priſcis inauditam; idem quoque de multis aliis affectibus eorumque frequentia, tum potus varium genus, tum aliam vivendi rationem conſequentibus, dici poſſit.

Quum verò ſitis talis ſit appetitus, iſtisque de causſis excitetur, apparet utique deſiderium illud & appetitum illum eſſe graviſſimum. Quin etiam tantam ejus poſſe eſſe vim, ut ipſamet vita, ſi vehementior illa fuerit, posſit periclitari, vel ex hoc ipſo, quod Samſoni contigit, apparet. De ſiti enectis Hiſpanis in inſula Meninge Busbequius *epiſt. IV. p. 213.* Quapropter exponendum jam fuerit, quomodo idipſum posſit fieri.

Scilicet quum ſitis non niſi humido & ut plurimum

frigido poſſit ſedari, calor quoque potiſſima ſi non unica ejus eſt cauſſa. Quo vehementior itaque hic fuerit, eò magis quoque ſiti quem urgeri neceſſum eſt. Conſtat etiam, ſi quis illam diutius ferre cogatur, non tantum ſenſibilem eum virium jacturam percipere, ſed etiam deliquia animi quandoque pati. Quum itaque Simſon tanta illa ſtrage Philiſtæorum edita corpus vehementer commoviſſet, atque illud ita ſupra modum incaluiſſet, non mirum ſane eſt, vehementi ſiti illum fuiſſe tentatum. Accedit etiam cœli iſtius & regionis, ubi hæc peracta ſunt, temperies, Quæ omnia adhuc multum auxit tempus ipſum quo hæc contigerunt. Quum enim meſſis tempore hæc omnia contigiſſe disertè ſcriptura comemoret, illud autem præ omnibus aliis anni temporibus maxime fervens eſſe ſoleat, non parum utique caliditatem in corpore Simſonis jam tum excitatam auxit. Niſi tamen fuerit prima menſis, hordei, videlicet. Hæc enim poſt Paſcha cœpit. Quando itaque tam multis concurrentibus de cauſſis calida ipſius intemperies fuerit vehementior reddita, atque ea propter ſiti quoque tanto majore ille conflictaretur, non potuit etiam non inſignem virium jacturam incurrere: qua factum fuit, ut ſanguinis calidioribus & melioribus partibus à nimio illo calore conſumtis, longe plurimis etiam per inſenſiles corporis meatus diſſipatis, tandem deficeret. Potu vero divinitus ſubminiſtrato, & nimius ille calor temperatus fuit, & quod ulterius jam abiturum erat calidarum

Quoniam igitur ſitis juxta cum fame adeo vehemens & ingens eſt deſiderium, quodque ſedari nequit, niſi re cupita liceat potiri, quodque corpus adeo affligit ut etiam miſerrimum exitium ipſi afferat: utique jam patet, quid ſibi velint terribiles illæ minæ apud Amoſum VIII, 11, 12, 13. de fame & ſiti erga verbum divinum.

rum exhalationum dilabi prohibitum & retentum fuit. Sed de his omnibus fusè diximus in Phyſiologia hiſtoriæ paſſionis Chriſti cap. 7.

Ad I. Samuel. IV. ℣. 5.

Certum ſane eſt, à magno aliquo fragore vel ſtrepitu non duntaxat terram perſtrepere, ſed etiam quadamtenus concuti. Quamvis autem terram ipſam eo modo commoveri, non poſſit affirmari: nihilominus tamen certum eſt, tale quid fieri, & quidem ex vehementi commotione & colliſione aëris ad ſolum. Id quod etiam contingit magno populi vel exercitus ſublato clamore. Conſtat alias quoque motum exercitus longe adhuc abſentis, iter tamen facientis & appropinquantis, appoſita ad terram aure, nocturno cumprimis tempore, & quando alia omnia ſilent, poſſe percipi. Id quod probe etiam obſervare ſolent rei bellicæ magiſtri, hoſtis adventum opperientes vel alias ejus acceſſum timentes. Cui valde geminum eſt illud quoque experimentum, quod circa ſoni perceptionem alias quoque percipere licet; quod videlicet per parietem vel murum aliquem vel etiam lignum, modo hæc omnia ſint continua, ita poſſit ſonus vel vox aliqua propagari, ut ſi quis ad alterum extremum terminum vel angulum ejusmodi muri vel parietis ſtans, & ſubmiſſa voce quæque ab alio adſtante non poſſit percipi, verſus parietem vel murum illum verba faciat, hæc omnia ab eo qui in altero extremo eſt collocatus, & aurem ad parietem vel murum appoſitam habet, ita poſſint diſtincte percipi, ac ſi alter illi ea in aurem inſuſurraſſet. Cujus generis exempla multa ſunt adhuc alia, quarumque complura & ſtupenda proponit in magno ſuo opere *Muſurgiæ univerſalis* Athanaſius Kircherus, cumprimis autem *lib. 9.* Huic autem quod h. l. recenſetur plane affine eſt illud, quod alias

in conclavi quoque aliquo percipi ſolet, ſi unus aut plures voce infima gravi conſtant. Scilicet etiam tum totius iſtius loci quaſi tremor quidam percipi ſolet. (Quomodo item à tonitru contremiſcere ſolent ædes & feneſtræ, item ab exploſis tubis & bombardis, domusque tota quaſi concutitur, & contremiſcit, quum currus inprimis onuſtus prope fundamenta præterit, præſertim ſuper viam vel aream lapidibus ſtratam.) Cujus quidem nulla alia itidem excogitari poteſt cauſſa, niſi quod hoc modo aër per expirationem cum vi quadam protruſus ipſum aërem reliquum in conclavi contentum ſimul valide commoveat & percutiat, unde ille ad trabes parietes & pavimentum cum vi alliſus ſimilem iſti effectum edit. Sunt & complura alia quæ huc conferri poſſent, ſed quum prolixiori expoſitione non ſit opus, non etiam eſt, quod iis nunc immoremur.

Ad I. Samuel. V. ꝟ. 6, 9, 12, & VI. v. 4. 11, 17.

Non obſcurum eſt, quo affectu Philiſtæi ob arcam fœderis apud ſe detentam divinitus percuſſi fuerint. Quamvis enim ab aliis interpretibus alia vox uſurpetur; in eo tamen omnes conveniunt, fuiſſe affectum ani. Quapropter etiam apud LXX. interpretes quamvis variantes lectiones occurrant, plerumque tamen habetur vox ἕδρας; quam illo ſenſu nonnunquam apud priſcos ſcriptores uſurpari à non uno Lexicographo eſt annotatum. Et quidem fuiſſe Philiſtæos tum hæmorrhoidum obſtructiones, tum inde prognatos tumores & condylomata, quæ alias ficus & mariſcæ appellari ſolent, paſſos, extra omnem eſt controverſiam.

Quod ipſum itaque ut eo clarius intellig[illegible] debet dari venas quasdam ad ſedem per[illegible] κατ' ἐξοχὴν jam ab antiquis hæmorrho[illegible]

quod videlicet in multis certo quaſi tempore ſponte aperiantur ſanguinemque effundant. Solent autem porro ab anatomicis in internas & externas diſtingui. E quibus hæ ad muſculos inteſtino recto appoſitos vergunt, illæ vero (videlicet internæ) in tunicas inteſtini recti deſinunt, adeoque fluxus ille ſanguinis non niſi per harum apertionem poteſt inſtitui.

Solet autem, ceu jam tum diximus, iſtiusmodi per venas has ſanguinis effuſio multis eſſe valde familiaris: quin nonnullis ita ſtato quaſi tempore obtingens, quomodo mulieres ſuum fluxum ſolent pati. Præterea jam à quamplurimis ſeculis illa opinio homines invaſit, medicis ipſis ita perſuaſis & perſuadentibus, quaſi fluxus iſte hæmorrhoidalis ſanitati comprimis conducat: quod videlicet eo vitioſi humores, & præcipue quidem melancholici; è corpore expurgentur. Quapropter etiam ſatis pretioſo nomine à noſtris vernacula lingua audiunt **die gülden Ader.** Unde porro fuit creditum, eo modo & expurgatione illa bene ſe habente, non tantum morbos graves præcaveri, ſed etiam longiorem vitam quaſi promitti. Hinc ſane eſt illud, quod de illis vulgo venditari ſolet: **Sie bedeuten einen alten Mann.** Porrò etiam illis obſtructis, non poſſe non valetudinem in peius ruere.

Quo vero quid de omni hac re ſit ſentiendum *clare* pateat, notandum (1) venit, quod de *melancholici humoris* per hæmorrhoidas expurgatione *in ſcholis Medicis* hactenus fuit traditum, nondum exploratæ eſſe veritatis, ſed potius vehementer a[illegible] : partim quod talis humor aliquis melanchol[illegible] re ſecundum naturam [illegible] m non[illegible] *fluxus ille ſemper* eſſet [illegible] er n[illegible] *boſ*[illegible] quod per [illegible] ipſ[illegible] alias [illegible] in

in univerſo reliquo corpore habetur. Non ſecus atque in fœminis per fluxum ſuum conſuetum talis ſanguis rejicitur, qualis itidem in aliis corporis partibus invenitur. (2) Hac ratione morbos præcaveri, vel fluxum illum ſignum eſſe mortis ſerius advenientis longiorisque vitæ, valde ſimiliter adhuc eſt incertum. Quin multi vix ad virilem ætatem annos ſuos extendere potuerunt, utut fluxu illo maxime fuerint affecti. (3) Non tamen negandum eſt, in illis qui fluxu illo ſoliti ſunt laborare, ſuppreſſionem ejus varia afferre damna, non tantum ob ſanguinis circa conſueta loca reſtagnationem & inde obortos tumores, ſed etiam alios inde provenientes affectus. Fit enim ut quum ſanguis per conſuetam vitam exitum reperire non poſſit, alio rapiatur, aliasque ſibi quærat vias. Hinc ſane eſt, quod hæmorrhoidum ſuppreſſione laborantes, juvenes præſertim, & qui illo fluxu frequenter laboraverint, phthiſin & ejusmodi affectus ſæpe incurrant. Ad quos proinde præcavendos optimum remedium eſt venam alio in loco ſecare. Quamvis enim antiqui pariter & plerique recentiores ipſas hæmorrhoidas ſoleant aperire; quum tamen eas pro lubitu non poſſimus claudere, & melius ſit ſanguinem ad aliam partem quam illas revellere vel derivare, tutius in illa parte vena aperitur, quam pro noſtro arbitrio iterum poſſimus claudere.

Quamvis igitur iſtiusmodi hæmorrhoidum apertio & fluxus non parum ſit frequens; nihilominus tamen omnino affirmari debet, illam magis competere corporibus non exacta valetudine utentibus, quam qui corpore plane ſint ſano.

Et in univerſum quidem cauſſæ hæmorrhoidalis fluxus fere duæ ſunt. *Primò* enim conſiderandus eſt ipſe ſanguis. Qui ſi fuerit ſeroſus & dilutior, præterea juſto majori copia in corpore collectus, ſemper alias quoque ſponte ſua

exitum

exitum ſolet moliri. Quæ proinde non raro cauſſa eſt ex quavis corporis parte prorumpentis hæmorrhagiæ. *Deinde* ipſa quoque vaſa non ſunt extra omnem cauſſam. Quod ſi enim illa ampliora fuerint, non poteſt etiam non ſanguis ad illa præcipue ferri: cumprimis autem, ſi iſtius loci calidior aliqua intemperies accedat. Quæ quidem variis de cauſſis poteſt produci. *Primò* enim corporis & illarum cumprimis partium agitatio non parum huc facit. Unde eſt, quod quidam ab equitatione, vel quæ curru inſtituitur vectione tale quid perſentiſcant. *Deinde* cibi & potus ſymbolam quoque ſuam huc conferunt, videlicet quibus flatulentia & calefactio inſignis ineſt. Unde nonnulli à vini potu hæmorrhoidibus tentantur, quæque ſunt ejus generis cauſſæ aliæ.

Quandoquidem vero vaſa illa magnam partem ſunt exilia, in quibusdam etiam corporibus non in cavitatem inteſtini recti hiant, ipſe quoque ſanguis non raro craſſior eſt, quam ut exiguis vaſis poſſit elabi; quum tamen ad illas partes ferri ſit ſolitus, vel aliis de cauſſis ibi commoretur & ſubſiſtat: neceſſum porro eſt, ibi ab illo collecto tumores exoriri. Sicut enim alias hujusmodi tumores à ſanguine minutulis vaſis elapſo & in parte collecto fiunt: Sic quoque in hæmorrhoidali tumore rem ſeſe habere extra controverſiam eſt.

Tumores autem illi non uno modo poſſunt corpus divexare. Nam *Primò* iſtiusmodi ſanguinis reſtagnationem, & collectionem, & hinc obortos tumores, nunquam non comitari ſolet intemperies calida. Unde fit, ut & inteſtinum illud & illa regio juſto fiat calidior, atque ita graviora Symptomata non poſſint non accedere: qualia ſunt inflammatio, & fæcum alvinarum induratio. Quin etiam ſi tumor iſte à ſanguine collecto productus diſcu-

ti non poſſit, ſequitur ejus ſuppuratio: quæ quantum moleſtiæ & periculi iſto in loco ſecum vehat, neminem poteſt latere. *Deinde* vero malum illud heic non ſubſiſtit; ſed quo magis tumor augetur, eo plus quoque excretio alvi inhibetur & tantum non ſupprimitur: unde inteſtini immanes dolores, usque adeo, ut non raro ipſum inteſtinum ruptionis periculum incurrat. Ne quid de ejus exitu ſeu prolapſu aliisque ſeſe excipientibus malis dicamus. Quæ ipſa porro eo magis augentur, quo & tumor plus augetur, & intemperies calida & ſicca, & excrementorum durities, quæque ejus generis ſunt alia.

Quod jam Philiſtæorum hoc affectu divinitus percusſorum caſum concernit, utique ex hiſtoria manifeſto patet, fuiſſe illum non naturalibus ex cauſſis productum, ſed plane ex illorum numero, in quibus τὸ θεῖον Hippocrati jam olim celebratum, ſi unquam alias, quam maxime conſpicuum fuit. Præterea morbum illum non fuiſſe epidemium, (quamvis & hi non raro ex ſupernaturalibus cauſſis originem ſumant,) ex ipſa hiſtoria itidem clare patet. Nam (1) ſubito affectus ille Philiſtæos corripuit. *Deinde* ad quos arca fœderis perlata fuit, protinus affectu illo cœperunt vexari: quum alias epidemici morbi initio leniores eſſe ſoleant & ſenſim increſcere. (3) In quosvis promiſcue, minimos pariter & maximos, affectus ille ſæviit. (4) Tanta ejus fuit violentia, ut plurimi etiam eo ipſo fuerint è medio ſublati. Quibus illud (5) addi poteſt, talis affectus, qui quidem epidemice tantaque violentia fuerit graſſatus, apud nullum alium ſcriptorem memoriam quandam reperiri. Ut proinde non ſit amplius dubitandum, quin affectus ille plane fuerit divinus.

Ad

In margine Autor hic adjecerat: (Fuit omnino epidemius, ſed non ad modum vulgarium ejusmodi morborum.)

Ad I. Samuel. XVI. ℣. 14. & ſeqq.

Regem Saulem fuiſſe atrabiliarium, plerique opinantur. Et quidem affectum illum fuiſſe productum ab atra bile, perinde ut ab eodem humore proveniunt melancholia, mania, phrenitis, quæque hujusmodi deliriorum ſunt alia: Humore autem illo tanquam inſtrumento quodam uſum cacodæmonem, & ita infelicem illum regem miris modis inquietaſſe, non immerito quis exiſtimet.

Ut id ipſum itaque eo clarius poſſit intelligi & definiri, ante omnia notandum venit, de ipſomet humore atrabiliario rem non parum eſſe controverſam. Quamvis enim vulgo quidem plerique perſuaſum habeant, ejusmodi humorem in corpore ſecundum naturam gigni & reperiri, atque adeo eſſe partem quandam ſanguinis, quæque cum aliis humoribus univerſam ſanguinis miſcellam conſtituat: tamen & de hoc ipſo melancholico humore res valde eſt dubia imo à nemine hactenus comprobata; ceu paullo ante, quando de hæmorrhoidibus agebamus, jam fuit monitum. Ab hoc vero, quem ita ſecundum naturam in corpore noſtro generari volunt, diverſum tamen omnino eſſe ſtatuunt illum, qui præter naturam in corpore gignatur, quique h. l. neceſſario fuerit intelligendus, ſed & de illo non omnino res hactenus certa eſt. Sane quæ vulgo de eo itidem tradi ſolent, vix dum ullo idoneo argumento ſunt communita. Nequaquam quidem negamus, nonnunquam ejusmodi humorem in quibusdam corporibus gigni, qui videlicet nigredine atramentum referat,

Gregor. M. *l. 2. Moral. c. 10. Spiritus ille qui ſuffocabat Saul, de quo dixerunt ad eum pueri ſui: Ecce ſpiritus Dei malus obſtupeſcere te facit; de ſiniſtris partibus erat* (1. Reg XXII:) *qui miniſtrant Domino ad puniendos eos, qui cruciari propter peccata meruerunt.* Hieronym. *commentar. in Joël cap. II. p. 65. c. 1.*

& inſigni quoque nonnunquam vi polleat corrodendi. At vero perquam raro hoc ipſum contingit. Hoc certe loco non poteſt intelligi: præſertim quum iſtiusmodi melancholici & deliriosi affectus non ſint adeo infrequentes, in quibus tamen iſtiusmodi humor nec obſervari ſolet, nec etiam vulgo accuſatur.

Quod tamen ipſam rem in ſeſe ſpectatam concernit, omnino veritati quàm maxime conſentaneum eſt, affectus tales ab humore quodam produci, quem melancholicum ſolemus appellare: non quod ſemper atro ille ſit colore præditus, ſed potius quod ex vulgi opinione nomen illud ipſi adhæſerit. De cujus natura & mirabili in corpora noſtra vi & effectibus nuſpiam licet plura & præclariora obſervata legere, quam *ſect. 30. probl. 1.* Operis problematum, quod in Ariſtotelem autorem, perperam tamen, vulgo ſolet referri.

Ut itaque rem omnem in pauca contrahamus, ex diligenti φαινομένων notatione quam maximè colligitur, humorem illum nequaquam eſſe craſſum aut terreſtrem, ceu vulgo perſuaſum eſt, ſed ſeroſum & dilutum. Conſtat enim pro copia ſeroſi talis humoris non tantum plus commoveri phantaſiam, ſed etiam ipſum corpus ad ejusmodi affectus magis diſponi. Præterea notum eſt, ſeroſi iſtius expurgatione affectus iſtiusmodi vel tolli vel ſaltem mitigari. Ne nunc illud quoq; in probationem afferamus, quod medicamenta μελαναγωγὰ nulla ſunt alia, quam quæ ſeroſos humores quam maxime expurgant. Certe ab humore quodam craſſo & terreſtri mirabiles iſtiusmodi effectus tantæque varietatis, & non raro quaſi momentaneos, nequaquam poſſe proficiſci, ſed potius oportere illum maxime eſſe mobilem, quique facile poſſit efferveſcere, planum eſt.

Quum autem talis natura ſit iſtius humoris non utique

que mirum eſt, Diabolum ejus ope regis iſtius animum divexaſſe. Quamvis non ſemper, ſed per intervalla quantum apparet, à paroxyſmo affectus illius fuerit correptus. Quomodo alias quoque ſolent Melancholici nunc magis nunc minus perturbari. Fortasſis etiam non parū affectum illum auxit mœror animi, qui infelicem illum regem invaſit, poſteaquam ille à Deo ipſo fuerat reprobatus; ceu non obſcure colligitur ex præced. *c.15*. Et vero ſoli illi affectus animi, præcipue vero mœror, maximam vim habent tum humori iſtiusmodi ſive colligendo ſive augendo, tum etiam affectibus & morbis inde provenientibus. Ut itaque ad eum modum regis animo affecto, non utique mirum fuerit, maligno genio majorem fuiſſe datam occaſionem regis iſtius animum perturbandi.

Ut igitur ſummatim rem comprehendamus, notari poteſt *Primò*, regem illum, quamvis à maligno ſpiritu ita fuerit agitatus, non tamen fuiſſe dæmoniacum; quum ex omni ejus hiſtoria tale quid non poſſit colligi. Commemoratur quidem deinceps, eum, dum innocentem Davidem perſequeretur, aliquando prophetaſſe, *c.19.23.* Id quod de inſania illi quoque interpretantur, qui ad Hebraicum fontem iſtius loci ſenſum examinant, quos inter eſt Sixtinus Amama. Præterea quoque multa illum regem patraſſe ex maligni iſtius ſpiritus ſuggeſtione, ex ſubſequentibus itidem patet. Nihilominus tamen non liquet, illa ei contigiſſe, quæ obſeſſis & ἐνεργουμένοις ſolent accidere: qualia ſunt: peregrinis quasque homo non didicerat, linguis loqui, blasphemia in ipſum Deum, quæque ſunt hujus generis alia.

Deinde nec illud colligere licet, mania vel furore illum correptum fuiſſe: quod videlicet reliqua ejus facta manifeſto oſtendant, rationis uſum non fuiſſe ipſi demtum. Præ-

frigido poſſit ſedari, calor quoque potisſima ſi non unica ejus eſt cauſſa. Quo vehementior itaque hic fuerit, eò magis quoque ſiti quem urgeri neceſſum eſt. Conſtat etiam, ſi quis illam diutius ferre cogatur, non tantum ſenſibilem eum virium jacturam percipere, ſed etiam deliquia animi quandoque pati. Quum itaque Simſon tanta illa ſtrage Philiſtæorum edita corpus vehementer commoviſſet, atque illud ita ſupra modum incaluiſſet, non mirum ſane eſt, vehementi ſiti illum fuiſſe tentatum. Accedit etiam cœli iſtius & regionis, ubi hæc peracta ſunt, temperies. Quæ omnia adhuc multum auxit tempus ipſum quo hæc contigerunt. Quum enim meſſis tempore hæc omnia contigiſſe diſertè ſcriptura com̃emoret, illud autem præ omnibus aliis anni temporibus maxime fervens eſſe ſoleat, non parum utique caliditatem in corpore Simſonis jam tum excitatam auxit. Niſi tamen fuerit prima menſis, hordei, videlicet. Hæc enim poſt Paſcha cœpit. Quando itaque tam multis concurrentibus de cauſſis calida ipſius intemperies fuerit vehementior reddita, atque ea propter ſiti quoque tanto majore ille confliƈtaretur, non potuit etiam non inſignem virium jacturam incurrere: qua factum fuit, ut ſanguinis calidioribus & melioribus partibus à nimio illo calore conſumtis, longe plurimis etiam per inſenſiles corporis meatus diſſipatis, tandem deficeret. Potu vero divinitus ſubminiſtrato, & nimius ille calor temperatus fuit, & quod ulterius jam abiturum erat calidarum

---

Quoniam igitur ſitis juxta cum fame adeo vehemens & ingens eſt deſiderium, quodque ſedari nequit, niſi re cupita liceat potiri, quodque corpus adeo affligit ut etiam miſerrimum exitium ipſi afferat: utique jam patet, quid ſibi velint terribiles illæ minæ apud Amoſum VIII, 11, 12, 13. de fame & ſiti erga verbum divinum.

rum exhalationum dilabi prohibitum & retentum fuit. Sed de his omnibus fusè diximus in Phyſiologia hiſtoriæ paſſionis Chriſti cap. 7.

Ad I. Samuel. IV. ℣. 5.

Certum ſane eſt, à magno aliquo fragore vel ſtrepitu non duntaxat terram perſtrepere, ſed etiam quadamtenus concuti. Quamvis autem terram ipſam eo modo commoveri, non poſſit affirmari: nihilominus tamen certum eſt, tale quid fieri, & quidem ex vehementi commotione & colliſione aëris ad ſolum. Id quod etiam contingit magno populi vel exercitus ſublato clamore. Conſtat alias quoque motum exercitus longe adhuc abſentis, iter tamen facientis & appropinquantis, appoſita ad terram aure, nocturno cumprimis tempore, & quando alia omnia ſilent, poſſe percipi. Id quod probe etiam obſervare ſolent rei bellicæ magiſtri, hoſtis adventum opperientes vel alias ejus acceſſum timentes. Cui valde geminum eſt illud quoque experimentum, quod circa ſoni perceptionem alias quoque percipere licet; quod videlicet per parietem vel murum aliquem vel etiam lignum, modo hæc omnia ſint continua, ita poſſit ſonus vel vox aliqua propagari, ut ſi quis ad alterum extremum terminum vel angulum ejusmodi muri vel parietis ſtans, & ſubmiſſa voce quæque ab alio adſtante non poſſit percipi, verſus parietem vel murum illum verba faciat, hæc omnia ab eo qui in altero extremo eſt collocatus, & aurem ad parietem vel murum appoſitam habet, ita poſſint diſtinctè percipi, ac ſi alter illi ea in aurem inſuſurraſſet. Cujus generis exempla multa ſunt adhuc alia, quarumque complura & ſtupenda proponit in magno ſuo opere *Muſurgiæ univerſalis* Athanaſius Kircherus, cumprimis autem *lib. 9.* Huic autem quod h. l. recenſetur plane affine eſt illud, quod alias

Digitized by Google

in conclavi quoque aliquo percipi ſolet, ſi unus aut plures voce infima gravi conſtant. Scilicet etiam tum totius iſtius loci quaſi tremor quidam percipi ſolet. (Quomodo item à tonitru contremiſcere ſolent ædes & feneſtræ, item ab exploſis tubis & bombardis, domusque tota quaſi concutitur, & contremiſcit, quum currus inprimis onuſtus prope fundamenta præterit, præſertim ſuper viam vel aream lapidibus ſtratam.) Cujus quidem nulla alia itidem excogitari poteſt cauſſa, niſi quod hoc modo aër per exſpirationem cum vi quadam protruſus ipſum aërem reliquum in conclavi contentum ſimul valide commoveat & percutiat, unde ille ad trabes parietes & pavimentum cum vi alliſus ſimilem iſti effectum edit. Sunt & complura alia quæ huc conferri poſſent, ſed quum prolixiori expoſitione non ſit opus, non etiam eſt, quod iis nunc immoremur.

Ad I. Samuel. V. ℣. 6, 9, 12, & VI. v. 4. 11, 17.

Non obſcurum eſt, quo affectu Philiſtæi ob arcam fœderis apud ſe detentam divinitus percuſſi fuerint. Quamvis enim ab aliis interpretibus alia vox uſurpetur; in eo tamen omnes conveniunt, fuiſſe affectum ani. Quapropter etiam apud LXX. interpretes quamvis variantes lectiones occurrant, plerumque tamen habetur vox ἕδρας; quam illo ſenſu nonnunquam apud priſcos ſcriptores uſurpari à non uno Lexicographo eſt annotatum. Et quidem fuiſſe Philiſtæos tum hæmorrhoidum obſtructiones, tum inde prognatos tumores & condylomata, quæ alias ficus & mariſcæ appellari ſolent, paſſos, extra omnem eſt controverſiam.

Quod ipſum itaque ut eo clarius intelligatur, notari debet dari venas quasdam ad ſedem pertingentes, quæ κατ' ἐξοχὴν jam ab antiquis hæmorrhoides ſunt appellatæ:

quod

Digitized by Google

quod videlicet in multis certo quaſi tempore ſponte aperiantur ſanguinemque effundant. Solent autem porro ab anatomicis in internas & externas diſtingui. E quibus hæ ad muſculos inteſtino recto appoſitos vergunt, illæ vero (videlicet internæ) in tunicas inteſtini recti deſinunt, adeoque fluxus ille ſanguinis non niſi per harum apertionem poteſt inſtitui.

Solet autem, ceu jam tum diximus, iſtiusmodi per venas has ſanguinis effuſio multis eſſe valde familiaris: quin nonnullis ita ſtato quaſi tempore obtingens, quomodo mulieres ſuum fluxum ſolent pati. Præterea jam à quamplurimis ſeculis illa opinio homines invaſit, medicis ipſis ita perſuaſis & perſuadentibus, quaſi fluxus iſte hæmorrhoidalis ſanitati comprimis conducat: quod videlicet eo vitioſi humores, & præcipue quidem melancholici, è corpore expurgentur. Quapropter etiam ſatis pretioſo nomine à noſtris vernacula lingua audiunt die gülden Ader. Unde porro fuit creditum, eo modo & expurgatione illa bene ſe habente, non tantum morbos graves præcaveri, ſed etiam longiorem vitam quaſi promitti. Hinc ſane eſt illud, quod de illis vulgo venditari ſolet: Sie bedeuten einen alten Mann. Porrò etiam illis obſtructis, non poſſe non valetudinem in peius ruere.

Quo vero quid de omni hac re ſit ſentiendum clare pateat, notandum (1) venit, quod de melancholici humoris per hæmorrhoidas expurgatione in ſcholis Medicis hactenus fuit traditum, nondum exploratæ eſſe veritatis, ſed potius vehementer ambiguum: partim quod talis humor aliquis melancholicus in corpore ſecundum naturam quidem non generetur, atque ita fluxus ille ſemper eſſet præter naturam humoriſque morboſi, partim quod per illas ipſas venas non alius ſanguis excernatur, quam alias

in

in univerſo reliquo corpore habetur. Non ſecus atque in fœminis per fluxum ſuum conſuetum talis ſanguis rejicitur, qualis itidem in aliis corporis partibus invenitur. (2) Hac ratione morbos præcaveri, vel fluxum illum ſignum eſſe mortis ſerius advenientis longiorisque vitæ, valde ſimiliter adhuc eſt incertum. Quin multi vix ad virilem ætatem annos ſuos extendere potuerunt, utut fluxu illo maxime fuerint affecti. (3) Non tamen negandum eſt, in illis qui fluxu illo ſoliti ſunt laborare, ſuppreſſionem ejus varia afferre damna, non tantum ob ſanguinis circa conſueta loca reſtagnationem & inde obortos tumores, ſed etiam alios inde provenientes affectus. Fit enim ut quum ſanguis per conſuetam vitam exitum reperire non poſſit, alio rapiatur, aliasque ſibi quærat vias. Hinc ſane eſt, quod hæmorrhoidum ſuppreſſione laborantes, juvenes præſertim, & qui illo fluxu frequenter laboraverint, phthiſin & ejusmodi affectus ſæpe incurrant. Ad quos proinde præcavendos optimum remedium eſt venam alio in loco ſecare. Quamvis enim antiqui pariter & plerique recentiores ipſas hæmorrhoidas ſoleant aperire; quum tamen eas pro lubitu non poſſimus claudere, & melius ſit ſanguinem ad aliam partem quam illas revellere vel derivare, tutius in illa parte vena aperitur, quam pro noſtro arbitrio iterum poſſimus claudere.

Quamvis igitur iſtiusmodi hæmorrhoidum apertio & fluxus non parum ſit frequens; nihilominus tamen omnino affirmari debet, illam magis competere corporibus non exacta valetudine utentibus, quam qui corpore plane ſint ſano.

Et in univerſum quidem cauſſæ hæmorrhoidalis fluxus fere duæ ſunt. *Primò* enim conſiderandus eſt ipſe ſanguis. Qui ſi fuerit ſeroſus & dilutior, præterea juſto majori copia in corpore collectus, ſemper alias quoque ſponte ſua exitum

Digitized by Google

exitum ſolet moliri. Quæ proinde non raro cauſſa eſt ex quavis corporis parte prorumpentis hæmorrhagiæ. *Deinde* ipſa quoque vaſa non ſunt extra omnem cauſſam. Quod ſi enim illa ampliora fuerint, non poteſt etiam non ſanguis ad illa præcipue ferri: cumprimis autem, ſi iſtius loci calidior aliqua intemperies accedat. Quæ quidem variis de cauſſis poteſt produci. *Primò* enim corporis & illarum cumprimis partium agitatio non parum huc facit. Unde eſt, quod quidam ab equitatione, vel quæ curru inſtituitur vectione tale quid perſentiſcant. *Deinde* cibi & potus ſymbolam quoque ſuam huc conferunt, videlicet quibus flatulentia & calefactio inſignis ineſt. Unde nonnulli à vini potu hæmorrhoidibus tentantur, quæque ſunt ejus generis cauſſæ aliæ.

Quandoquidem vero vaſa illa magnam partem ſunt exilia, in quibusdam etiam corporibus non in cavitatem inteſtini recti hiant, ipſe quoque ſanguis non raro craſſior eſt, quam ut exiguis vaſis poſſit elabi; quum tamen ad illas partes ferri ſit ſolitus, vel aliis de cauſſis ibi commoretur & ſubſiſtat: neceſſum porro eſt, ibi ab illo collecto tumores exoriri. Sicut enim alias hujusmodi tumores à ſanguine minutulis vaſis elapſo & in parte collecto fiunt: Sic quoque in hæmorrhoidali tumore rem ſeſe habere extra controverſiam eſt.

Tumores autem illi non uno modo poſſunt corpus divexare. Nam *Primò* iſtiusmodi ſanguinis reſtagnationem, & collectionem, & hinc obortos tumores, nunquam non comitari ſolet intemperies calida. Unde fit, ut & inteſtinum illud & illa regio juſto fiat calidior, atque ita graviora Symptomata non poſſint non accedere: qualia ſunt inflammatio, & fæcum alvinarum induratio. Quin etiam ſi tumor iſte à ſanguine collecto productus diſcuti

ti non poſſit, ſequitur ejus ſuppuratio: quæ quantum moleſtiæ & periculi iſto in loco ſecum vehat, neminem poteſt latere. *Deinde* vero malum illud heic non ſubſiſtit; ſed quo magis tumor augetur, eo plus quoque excretio alvi inhibetur & tantum non ſupprimitur: unde inteſtini immanes dolores, usque adeo, ut non raro ipſum inteſtinum ruptionis periculum incurrat. Ne quid de ejus exitu ſeu prolapſu aliisque ſeſe excipientibus malis dicamus. Quæ ipſa porro eo magis augentur, quo & tumor plus augetur, & intemperies calida & ſicca, & excrementorum durities, quæque ejus generis ſunt alia.

Quod jam Philiſtæorum hoc affectu divinitus percusſorum caſum concernit, utique ex hiſtoria manifeſto patet, fuiſſe illum non naturalibus ex cauſſis productum, ſed plane ex illorum numero, in quibus τὸ θεῖον Hippocrati jam olim celebratum, ſi unquam alias, quam maxime conſpicuum fuit. Præterea morbum illum non fuiſſe epidemium, (quamvis & hi non raro ex ſupernaturalibus cauſſis originem ſumant,) ex ipſa hiſtoria itidem clare patet. Nam (1) ſubito affectus ille Philiſtæos corripuit. *Deinde* ad quos arca fœderis perlata fuit, protinus affectu illo cœperunt vexari: quum alias epidemici morbi initio leniores eſſe ſoleant & ſenſim increſcere. (3) In quosvis promiſcue, minimos pariter & maximos, affectus ille ſæviit. (4) Tanta ejus fuit violentia, ut plurimi etiam eo ipſo fuerint è medio ſublati. Quibus illud (5) addi poteſt, talis affectus, qui quidem epidemice tantaque violentia fuerit graſſatus, apud nullum alium ſcriptorem memoriam quandam reperiri. Ut proinde non ſit amplius dubitandum, quin affectus ille plane fuerit divinus.

Ad

In margine Autor hic adjecerat: (Fuit omnino epidemius, ſed non ad modum vulgarium ejusmodi morborum.)

Digitized by Google

Ad I. Samuel. XVI. ℣. 14. & ſeqq.

Regem Saulem fuiſſe atrabiliarium, plerique opinantur. Et quidem affectum illum fuiſſe productum ab atra bile, perinde ut ab eodem humore proveniunt melancholia, mania, phrenitis, quæque hujusmodi deliriorum ſunt alia: Humore autem illo tanquam inſtrumento quodam uſum cacodæmonem, & ita infelicem illum regem miris modis inquietaſſe, non immerito quis exiſtimet.

Ut id ipſum itaque eo clarius poſſit intelligi & definiri, ante omnia notandum venit, de ipſomet humore atrabiliario rem non parum eſſe controverſam. Quamvis enim vulgo quidem plerique perſuaſum habeant, ejusmodi humorem in corpore ſecundum naturam gigni & reperiri, atque adeo eſſe partem quandam ſanguinis, quæque cum aliis humoribus univerſam ſanguinis miſcellam conſtituat: tamen & de hoc ipſo melancholico humore res valde eſt dubia imo à nemine hactenus comprobata; ceu paullo ante, quando de hæmorrhoidibus agebamus, jam fuit monitum. Ab hoc vero, quem ita ſecundum naturam in corpore noſtro generari volunt, diverſum tamen omnino eſſe ſtatuunt illum, qui præter naturam in corpore gignatur, quique h. l. neceſſario fuerit intelligendus, ſed & de illo non omnino res hactenus certa eſt. Sane quæ vulgo de eo itidem tradi ſolent, vix dum ullo idoneo argumento ſunt communita. Nequaquam quidem negamus, nonnunquam ejusmodi humorem in quibusdam corporibus gigni, qui videlicet nigredine atramentum referat,

Gregor. M. *l. 2. Moral. c. 10. Spiritus ille qui ſuffocabat Saul, de quo dixerunt ad eum pueri ſui: Ecce ſpiritus Dei malus obſtupeſcere te facit; de ſiniſtris partibus erat* (1. Reg XXII:) *qui miniſtrant Domino ad puniendos eos, qui cruciari propter peccata meruerunt.* Hieronym. *commentar. in Joel cap. II. p. 65. c. 1.*

& inſigni quoque nonnunquam vi polleat corrodendi. At vero perquam raro hoc ipſum contingit. Hoc certe loco non poteſt intelligi: præſertim quum iſtiusmodi melancholici & deliriosi affectus non ſint adeo infrequentes, in quibus tamen iſtiusmodi humor nec obſervari ſolet, nec etiam vulgo accuſatur.

Quod tamen ipſam rem in ſeſe ſpectatam concernit, omnino veritati quàm maxime conſentaneum eſt, affectus tales ab humore quodam produci, quem melancholicum ſolemus appellare: non quod ſemper atro ille ſit colore præditus, ſed potius quod ex vulgi opinione nomen illud ipſi adhæſerit. De cujus natura & mirabili in corpora noſtra vi & effectibus nuſpiam licet plura & præclariora obſervata legere, quam *ſect. 30. probl. 1.* Operis problematum, quod in Ariſtotelem autorem, perperam tamen, vulgo ſolet referri.

Ut itaque rem omnem in pauca contrahamus, ex diligenti Φαντασμάτων notatione quam maximè colligitur, humorem illum nequaquam eſſe craſſum aut terreſtrem, ceu vulgo perſuaſum eſt, ſed ſeroſum & dilutum. Conſtat enim pro copia ſeroſi talis humoris non tantum plus commoveri phantaſiam, ſed etiam ipſum corpus ad ejusmodi affectus magis diſponi. Præterea notum eſt, ſeroſi iſtius expurgatione affectus iſtiusmodi vel tolli vel ſaltem mitigari. Ne nunc illud quoq; in probationem afferamus, quod medicamenta μελαναγωγὰ nulla ſunt alia, quam quæ ſeroſos humores quam maxime expurgant. Certe ab humore quodam craſſo & terreſtri mirabiles iſtiusmodi effectus tantæque varietatis, & non raro quaſi momentaneos, nequaquam poſſe proficiſci, ſed potius oportere illum maxime eſſe mobilem, quique facile poſſit effervescere, planum eſt.

Quum autem talis natura ſit iſtius humoris non uti-
que

que mirum eſt, Diabolum ejus ope regis iſtius animum divexaſſe. Quamvis non ſemper, ſed per intervalla quantum apparet, à paroxyſmo affectus illius fuerit correptus. Quomodo alias quoque ſolent Melancholici nunc magis nunc minus perturbari. Fortasſis etiam non parũ affectum illum auxit mœror animi, qui infelicem illum regem invaſit, poſteaquam ille à Deo ipſo ſuerat reprobatus; ceu non obſcure colligitur ex præced. *c.15*. Et vero ſoli illi affectus animi, præcipue vero mœror, maximam vim habent tum humori iſtiusmodi ſive colligendo ſive augendo, tum etiam affectibus & morbis inde provenientibus. Ut itaque ad eum modum regis animo affecto, non utique mirum fuerit, maligno genio majorem fuiſſe datam occaſionem regis iſtius animum perturbandi.

Ut igitur ſummatim rem comprehendamus, notari poteſt *Primò*, regem illum, quamvis à maligno ſpiritu ita fuerit agitatus, non tamen fuiſſe dæmoniacum; quum ex omni ejus hiſtoria tale quid non poſſit colligi. Commemoratur quidem deinceps, eum, dum innocentem Davidem perſequeretur, aliquando prophetaſſe, *c.19.23.* Id quod de inſania illi quoque interpretantur, qui ad Hebraicum fontem iſtius loci ſenſum examinant, quos inter eſt Sixtinus Amama. Præterea quoque multa illum regem patraſſe ex maligni iſtius ſpiritus ſuggeſtione, ex ſubſequentibus itidem patet. Nihilominus tamen non liquet, illa ei contigiſſe, quæ obſeſſis & ἐνεργουμένοις ſolent accidere: qualia ſunt: peregrinis quasque homo non didicerat, linguis loqui, blasphemia in ipſum Deum, quæque ſunt hujus generis alia.

Deinde nec illud colligere licet, mania vel furore illum correptum fuiſſe: quod videlicet reliqua ejus facta manifeſto oſtendant, rationis uſum non fuiſſe ipſi demtum. Præ-

terea quoque non maniacorum inſtar & furibundorum in obvios quosvis ſæviiſſe liquet. Quamvis tum in Davide perſequendo & eum occidere conando, tum in familia illa ſacerdotali præter meritum & absque ulla commiſeratione perimenda, ſævum & truculentum ſuum animum ſatis oſtenderit. Quanquam hæc pleraque omnia illo colore texerit, quaſi illi tam David quam Abimelechus, & reliqui ſacerdotes, vel alii ejus fautores, crimen aliquod in regiam perſonam adeoque læſæ majeſtatis commiſiſſent. Idquod procul dubio quoque in cauſſa fuit, ut populus & ſubditi ab eo non deficerent, ſed potius illi operam ſuam, cumprimis in Davide perſequendo, addicerent. Neque vero dubium eſt, quin, ſiquidem Rex mente fuiſſet motâ, ſubditi imperium ejus detrectaviſſent. Ideoque longe alio & ſubtiliori modo cacodæmon animum ejus obſedit.

Quum vero talibus affectibus non laboraverit, *tertiò* non obſcure licet colligere, affectu potius quodam melancholico illum laboraſſe, & magna quadam animi perturbatione, eaque tam vehementi, ut ipſe præ iſtius inquietudine neſciret, quo ſe verteret. Qualis eſſe ſolet hominum deſperabundorum. Præterea affectum illum maxime fuiſſe exacerbatum ab ipſomet maligno ſpiritu, & in dies quidem magis magisque, univerſa hujus infauſti regis hiſtoria docet. Quem perinde affectum Græci interpretes plane expreſſerunt, dum τὸ πνίγειν h. l. uſurpant.

Quandoquidem vero talis fuerit iſte affectus, non difficile *ſecundo* fuerit de cauſſis ejus pronunciare. Et quidem affectum illum fuiſſe θεήλατον, & ſpiritu Domini recedente, à ſucceſſore ejus Cacodæmone maxime productum, ipſamet S. hiſtoria commemorat. Ideoque ſaltim primaria cauſſa fuerit ſupernaturalis. Non tamen omnes naturales cauſſas heic eſſe excludendas, tum illa ſuadent

quæ

Digitized by Google

quæ ſub initium de humore atrabiliario adducta ſunt; quæque illi fuerunt connexa; tum etiam non abſurde ex eo colligitur, quod Muſica adhibita affectus ille fuerit mitigatus. Nec enim eſt, quod quis Muſicâ pravum illum Spiritum pelli poſſe exiſtimet; niſi ſimul invocatio divini Numinis & ejusmodi cantilenæ adhibeantur, quarum auditum ipſemet impurus Spiritus non poteſt ferre. Ut itaque humores iſtiusmodi atrabiliarios inſtrumentum quaſi quoddam fuerint, quibus malignus ille genius uſus animum iſtius Regis perturbaverit. Quanquam & ipſius illius Muſicæ vis, affectu illo divino increſcente, etiam vim ſuam amiſerit; ceu manifeſto colligitur ex iis quæ *cap. XIX. v. 8. 9. 10. & ſeqq.* narrantur. Procul dubio, quod ſuccedente tempore, quum Rex magis Deum offenderet, ſimul etiam magis hoſti illi generis humani in infeliciſſimum illum regem conceſſa fuerit poteſtas. Non quidem de ejusmodi hominibus & eorum plane miſerabili exitu noſtrum eſt judicare; utpote quum arcano Dei conſilio & bene placito piis quoque hominibus tale quid posſit obtingere, ita ut deſperabundi vel manus ſibi inferant vel alias damnum ſibi contrahant. At vero de Saule quidem hoc ipſum quo minus poſſit affirmari, omnia illa obſtant, quæ in ejus hiſtoria divinitus conſignata leguntur.

Super eſt, ut *tertiò* de muſica ipſa ejusque virtute aliquid dicamus: quam ſolam regi ſolatium attuliſſe, hoc ipſo loco diſerte commemoratur: quamvis deinceps illam vim non amplius ea obtinuerit, fortaſſis quod efficaciam illi ipſemet Deo arcano quodam modo ſubtraxerit; ceu jam tum monuimus Et vero alias quoque in affectibus movendis & ipſomet ſanguine variis modis agitando propemodum ſtupendam vim Muſices eſſe, vel ex illis quæ tantum non quotidie obſervare licet, apparet. Conſtat enim alios

in

in lætitiam effundi, quum ex adverſo alii ſupra modum contriſtentur. Id quod inter alios cumprimis in Tarantiacis ſive iis, qui à tarantula venenatiſſimo phalangii genere commorſi ſunt, luculentiſſime obſervatur. De quo fortaſſis quis dubitaret, niſi res nimis eſſet manifeſta, & in regno cumprimis Neapolitano hodieque eam liceat obſervare.

Quorum aliorumque ſimilium omnium varíetatem atque cauſſas non licet alio referre, niſi in ipſos corporis humores. Alii videlicet eorum mobiliores ſunt & ſubtiliores, alii vero craſſiores & ad motum tardiores. Quando itaque Muſica adhibetur, tunc, ſicubi humores facile poſſunt excitari, cito quoque edit ſuum effectum: ſecus, ſin aliter res ſe habeat. Ideoque quod de Muſica ejusque vi, idem quoque de humoribus fuerit affirmandum: quod videlicet inter humores & Muſicam magna quædam affinitas intercedat; ita ut ab hac Muſica illi humores, ab alia alii commoveantur. Quin etiam non tantum humores pro diverſitate Muſices commoventur, ſed quidam quoque quaſi ſiſtuntur & obtorpeſcunt. Ita pueri & infantes in ſomnum aguntur cantillando: quin quidam dormiturientes ipſimet modulantur, ſingen ſich an. Hinc ſane eſt, quod pro alia humorum pariter & Muſices ratione quidam hilares fiant, quidam autem mœſti & ſubtriſtes. Lætitia vero animi ejusque alacritas ipſum quoque corpus movet & excitat, quum à contrario affectu contraria etiam fiant omnia. Operæ vero pretium eſt legere quæ de Muſices in affectibus animi pariter & corporis concitandis efficacia præter alios Athan. Kircherus ad eum quem diximus modum tradidit, tum in opere *de arte Magnetica*, tum præcipuè in *Arte magna Conſoni & Diſſoni* ſeu *Muſurgia univerſali*, & cumprimis *lib. 9.* Quonam autem hæc omnia

Digitized by Google

omnia fiant modo, & quî ab humorum eorumque motus varietate diverſimode adeo aſſiciatur animus, vix homini licet proprie definire; ut nos quidem eo debeamus eſſe contenti, quousque noſtram cognitionem extendere nobis fuit conceſſum.

Ad I. Samuel. XVII. ℣. 49.

Si quæratur, quæ proxima cauſſa mortem Goliatho attulerit, videtur utique non eſſe dubitandum, quin ab illo lapide in frontem adeoque in ipſum caput ejus per vim intruſo quam maxime apoplexia fuerit excitata. Quum vero hac de re ſupra ad Abimelechi hiſtoriam jam fuerit actum, non neceſſum eſt illa denuo repetere.

Ad I. Samuel. XXI. ℣. 13.

Quamvis David ſimulaverit amentiam, quum tamen iſta fecerit, quæ homines iſti ſolent, non alienum foret h.l. de affectu illo agere. Quum vero deinceps quoque & quidem ad hiſtoriam Nabuchodonoſoris de hac re iterum agendi nobis detur occaſio, in illum potius locum hæc reſervabimus.

Ad II. Samuel. II. ℣. 23: III, ℣. 27: IV. ℣. 6.
judic. III. ℣. 21, 22.

Quomodo hi homines interfecti fuerint diſerte quidem ſacri Scriptores commemorant. At vero ſi accuratius quæratur, quæ ſive Medice ſive Philoſophice loquendo ſubitaneæ iſtius mortis fuerit cauſſa, adhuc dilucidius id fuerit explicandum.

Et quidem neminem, quocunque tandem mortis genere, violento quoque & ſubitaneo, pereat, absque interventu alicujus morbi exſtingui, jam ſupra fuit annotatum. Quum vero omnium morborum tria ſint ſumma genera; videlicet intemperies, mala conformatio; & ſoluta unitas:

ad aliquod horum generum etiam mortem illam violentam referri oportet. Jam vero malam conformationem heic ne quidem attendi poſſe, per ſe liquet. Vulnere vero inflicto & capite abſciſſo vel perfoſſo abdomine, unitatem fuiſſe ſolutam, in propatulo eſt. Quum tamen à ſola illa unitatis diſſolutione tam ſubitanea quidem mors non ſoleat obvenire, niſi ſimul aliud quid diſpereat, ideoque illud quam maxime quoque fuerit attendendum.

Conſtat itaque per capitis abſciſſionem, & etiam iſtiusmodi transfoſſionem, maximam vim ſanguinis & ſubito quidem profundi. In ſanguine vero vitam proprie conſiſtere, jam ſupra itidem & quidem ab ipſomet Opt. Max. Deo fuit obſervatum: quod nempe in illo calidum innatum ſeu ignis naturalis ſtabuletur & hæreat. Sanguine itaque effuſo, ipſum quoque calidum & cum eo ipſam quoque vitam ſimul effundi, neceſſum eſt. Perinde vero eſt utrum omnis ſanguis extra corpus effundatur, an vero intra cavitatem ejus effluat; quum ad calidi vitæque diſperſionem ſufficiat extra vaſa effuſio; utpote quum non niſi eo calido intra vaſa contento vita poſſit conſervari. Quando igitur ad eum modum ſanguis calidumque profunditur & vaſis excidit, etiam tum magna fit unitatis ſolutio; quod videlicet univerſi reliqui corporis vita ab utriusque illius conſervatione ſimul conſervetur; id quod absque continuitate quadam fieri non poteſt. Quum verò ſanguis & calidum illud, quod aliis ſpiritus nomine appellatur, ad eum modum cum aliis partibus non posſit eſſe continuum, quo ſolidæ partes inter ſeſe cohærent, & connectuntur; vaſa quædam tanquam tubuli quidam & ductus per univerſum corpus diſperſa ſunt, per quæ ſanguis & cum eo calidum permeando remeandoque cum ſolidis illis partibus ſuo modo cohæret. Quæ proinde unitas

Digitized by Google

tas quodve mutuum commercium tollitur, ubi vaſis præter naturam reſeratis utrumque illud effunditur.

Præter hæc vero ſanguinis calidique ſubtractione cor pariter & univerſum reliquum corpus ſummam contrahit intemperiem. Cui tum ſimul accedit quod non tantum cum ſanguine profluente calidum pereat, ſed etiam illud quod in corde tanquam foco ſuo reliquum eſt, pabulo denegato, ipſum etiam ſimul neceſſario pereat.

Ut proinde ejusmodi mortis violentum genus & ad intemperiem & ad unitatis ſolutionem, tanquam cauſſas ſuas proximas, ſit referendum. Sane hinc etiam eſt, quod nunquam non alias quoque largam aliquam hæmorrhagiam totius corporis frigida intemperies & hinc non unius generis affectus orientes, tum etiam virium jactura, pallor faciei, quæque hujus generis ſunt alia, ſoleant excipere.

Quî vero fiat, quod iſtiusmodi vulnerationis & magnæ ſanguinis effuſiones non ſemper ſint letales, non eſt hujus loci exponere. Tantum illud obſervetur, quum plerumque mortem inferant, nunquam vero careant ingenti periculo, propterea quoque pro letalibus communiter illas eſſe habendas. Ut nihil ſit cauſſæ, quod in ea patrocinium aliquod ſibi quærant de vulnerationibus iſtiusmodi aliter ſentientes. Quod ipſum alias peculiari fortaſſis diſſertatione, *de eo quod letale eſt in vulneribus corporis humani* uberius conſiderabitur.

Ad II. Samuel. XII. ℣. 15.

Quod h. l. infanti illi ex adulterio cum Bathſeba nato ſcribitur accidiſſe, poteſt duobus modis intelligi vel ita, quod Deus illum percuſſerit, ſeu plaga & letali morbo affecerit, absque ullis mediis concurrentibus, ita ſcilicet ut ſubito & ex improviſo graviſſime ægrotaverit. Vel ita quod morbus ille habuerit cauſſas ſuas, divinitus tamen & mo-

mordo ſupernaturali motas. Utrovis autem modo intelligatur, perinde eſt: quamvis poſteriori tamen ſenſu illud ipſum malimus accipere. Apparet autem vel ex hoc loco, quam frequentiſſimum in morbis inſit τὸ θεῖον, de quo tamen nunc nihil amplius addere volumus, ad ultimum hujus libri caput mox de eo acturi. Obiit autem puerulus iſte ſeptimo morbi die, h. e. critico. Ideoque ægrotavit acuto morbo.

Ad II. Samuel. XIII ✝. 1. & ſeqq.

Habemus h. l. exemplum illius affectus, quem amatorium vel inſanum amorem appellant, quem priſci quidam etiam *Heroicæ paſſionis* nomine dignati fuerunt: de qua ultima denominatione multa habet Guilhelmus Ballonius *lib. de Virginum & mulierum morbis c. 9.* Ipſum vero affectum & ſigna ejus παθογνωμονικὰ inter alios expoſuit Avicenna. Solent autem hæc eſſe: oculi concavi, appetitus dejectus, corpus macilentum, vigiliæ, pulſus ad perſonæ adamatæ præſentiam vel nomen auditum ſubitanea immutatio, quæque alia hinc ſequuntur ſymptomata: Quæ obſervavit Eraſiſtratus in Antiocho Stratonicen novercam depereunte. Hiſtoriam deſcribit Lucianus *lib. de Syria Dea*, tomo III, pag. 700. & ſeqq. Item Plutarch. in *Demetrio*. Similem hiſtoriam geminam à ſe notatam deſcribit Galenus *l. de præcognit. ad Poſth. c. 6.* Et ante illos Hippocrates in Perdicca Phylam perdite amante: quod Soranus in *vita* ejus refert.

Et quidem affectum illum eſſe præcipue animi, extra con-

Sevus criminum ſtimulus libido eſt, que nunquam manere quietem patitur affectum. Nocte fervet, die anhelat, de ſomno excitat, a negotio abducit, a ratione revocat, aufert conſilium, amantes inquietat, lapſos inclinat, caſtis inſidiatur, potiendo inflammat, uſque excæcatur. Ambroſ. *l. 1. de Cain & Abel c. 5.*

controverſiam eſt: ita tamen, ut ipſum corpus ſimul in conſenſum trahatur. Quomodo nunquam non alias quoque alterutro laborante ſimul alterum coafficitur & laborat, pro mutua illa & arcta inter animam & corpus neceſſitudine. Id quod in nullo magis conſpicuum eſt, quam animi affectibus; utpote qui ſemper usque adeo corpus una ita afficiant, ut absque illius perturbatione nunquam fieri poſſint: & prout graviores fuerint, pro eo quoque vehementius corpus percellant.

Quandoquidm vero mens & τὰ πάθη animi, ſanguinis calidiq; miniſterio maxime funguntur, & variis modis pro ipſius operationis affectuumque varietate utrumque illud commovent, atque in corde maxime reſident; propterea quoque hic ipſe affectus Eroticus in nullam aliam corporis partem magis ſuam vim exſerit, quam in ipſummet ſanguinem, & in eo hærens calidum nativum. Quapropter etiam tum ſanguinem tum ipſum cor proprie in affectu illo tanquam ſubjectum laborare certum eſt. Id quod ex ſymptomatibus etiam adhuc magis comprobatur. *Primò* enim vel ſola illa pulſus momentanea alteratio clariſſime docet, cor maxime per affectum illum affici. *Deinde* vigiliæ, ἀνορεξία, nutritio imminuta reliquaque ſymptomata, calorem præternaturalem manifeſto arguunt. Non ſecus videlicet atque curæ ac ſollicitudo ad eum modum corpus ſolent afficere. Quamvis enim ab aliis in cerebrum potius & nervos illius affectus cauſſa conferatur; quum tamen Symptomata illa modo recenſita cordis affectum manifeſto prodant, non poſſumus etiam non cor & ſanguinem pro morbi hujus ſubjectis habere.

Sicut autem idem amantes patiuntur, quod contingere ſolet illis, qui magnis curis aguntur: ſic quoque curatio illorum ad eum fere modum eſt inſtituenda. In qua

Digitized by Google

primo nihil æque prodeſt quam peregrinatio, juxta vulgare illud: *Procul ex oculis, procul ex animo.* Qua de cauſſâ quoque Socrates Critobulo filium Alcibiadis nefario amore proſequenti ſuaſit ἀπενιαυτίσαι apud Xenophontem *lib. 1. Memorab. Deinde* etiam amantibus ſunt alia negotia objicienda, quo habeant quod agant, atque ita amoris ſui obliviſcantur. Nihil enim affectum illum generare aut fovere æque eſt aptum, atque otium. Neque vero dubium eſt, quin, ſi Ammon alia habuiſſet quæ curaret, non usque eo ſororem ſuam deperiiſſet. At vero quum ille degeret in otio, lautitiis & omnium rerum affluentia; non mirum eſt, affectus illius vi illum fuiſſe abreptum. Non ſecus videlicet atq; ipſius pater paulo ante in Bathſebam illicito amore ſimilibus de cauſſis exarſerat.

Ad II. Samuel. XIV. ℣. 25.

Hoc loco agendum eſt de pulchritudine, quæ quid ſit prolixe diſputat Mercurialis *l. de decorat. c. 1. pag. 8.* tandem colligens, quod ſit *diſpoſitio ſeu forma quædam, ex optima corporis conſtitutione orta, ſenſui grata.* Auguſtinus *epiſt.* CL. ita deſcribit: *Quid laudatur in corpore? nihil aliud video quàm pulchritudinem. Quid eſt corporis pulchritudo? congruentia partium cum quadam coloris ſuavitate.* Quatuor ſcilicet ad perfectam omnibusque numeris abſolutam pulcritudinem requiruntur. *Primum* eſt omnium partium adeoque totius corporis concinna conformatio atque ſtatura. Ideoque gigantea proceritas ac pumila brevitas, nimia item vel obeſitas vel gracilitas, faciunt deformitatem. Eadem quoq; ratio eſt ſeorſim ſingularum partium. *Secundum* omnium membrorum apta decensque inter ſeſe proportio. Nec enim omnia corpora juſtam συμμετρίαν obtinent. In aliis videlicet caput cætero corpori, vel corpus capiti, in aliis artus trunco vel truncus

Digitized by Google

truncus artubus non reſpondet: quod non obſcure deprehenditur eosdem homines tum ſtantes tum ſedentes conſiderando. Quo pertinet, quod ex digitorum manus longitudine vulgo argumentum petunt de futura ſtatura puerulorum. Et id non abſurde quidem. Ut tamen conjecturam res ipſa perpetuo non confirmet. *Tertium* cutis lævitas & jucundus color: Quam proinde deturpant cicatrices, rugæ, verrucæ, tubercula, maculæ, & alia quæcunque ἐξανθήματα & ἐκθύματα. Hæc omnia quippe nævos conſtituunt; non ſolæ maculæ: nec omnes maculæ ſeu nævi ſunt ingenitæ notæ ea innatæ: quo ſenſu tamen & pro ſynonymis voces eas accepit in *Nomen d.* Hadrianus Junius. *Quartum* ſeorſim decora & formoſa facies. Qua peculiariter etiam vulgo homines tales diu facit, etiam in S. ſcripturis. Ad eam vero pertinent *primum* æquabiles dimenſiones ejus. Quas inprimis præter alios accurate deſcribit *lib. de Nævis* Ludovicus Septalius: pag. 46, 47, 48, & 59, 60, edit. Medio perinde ut idem faciem primum cum manu, dein cum reliquo cetero univerſo corpore curioſe contendit, 52. ad 55, & à p. 57. ad 66. *Secundo* lineamenta. *Tertio* gratus color. Circa quem plane diverſa immo contraria, ſunt hominum judicia. Quomodo Æthiopibus gratus eſt niger, albo ingratus: aliis gentibus contra. Faciem tamen pulcram optimarum morum indicem non ſemper eſſe docet Claræmont. p. 224. Et vel Abſolom ipſe ſuomet exemplo probat.

II. Samuel. XVII, ℣. 23.

וַיֵּחָנַק

Radix verbi hujus ſimplex eſt חנק ſignificatque *Strangulare*. Ipſum h. l. conſtructum eſt in Niphal paſſivo, quod quibusdam thematis reciprocam ſignificationem adſciſcit. Quæritur ergo an thema חנק h. l. ſignificat paſſivè an vere

terea quoque non maniacorum inſtar & furibundorum in obvios quosvis ſæviiſſe liquet. Quamvis tum in Davide perſequendo & eum occidere conando, tum in familia illa ſacerdotali præter meritum & absque ulla commiſeratione perimenda, ſævum & truculentum ſuum animum ſatis oſtenderit. Quanquam hæc pleraque omnia illo colore texerit, quaſi illi tam David quam Abimelechus, & reliqui ſacerdotes, vel alii ejus fautores, crimen aliquod in regiam perſonam adeoque læſæ majeſtatis commiſiſſent. Idquod procul dubio quoque in cauſſa fuit, ut populus & ſubditi ab eo non deficerent, ſed potius illi operam ſuam, cumprimis in Davide perſequendo, addicerent. Neque vero dubium eſt, quin, ſiquidem Rex mente fuiſſet motâ, ſubditi imperium ejus detrectaviſſent. Ideoque longe alio & ſubtiliori modo cacodæmon animum ejus obſedit.

Quum vero talibus affectibus non laboraverit, *tertiò* non obſcure licet colligere, affectu potius quodam melancholico illum laboraſſe, & magna quadam animi perturbatione, eaque tam vehementi, ut ipſe præ iſtius inquietudine neſciret, quo ſe verteret. Qualis eſſe ſolet hominum deſperabundorum. Præterea affectum illum maxime fuiſſe exacerbatum ab ipſomet maligno ſpiritu, & indies quidem magis magisque, univerſa hujus infauſti regis hiſtoria docet. Quem perinde affectum Græci interpretes plane expreſſerunt, dum τὸ πνίγειν h. l. uſurpant.

Quandoquidem vero talis fuerit iſte affectus, non difficile *ſecundo* fuerit de cauſſis ejus pronunciare. Et quidem affectum illum fuiſſe θεήλατον, & ſpiritu Domini recedente, à ſucceſſore ejus Cacodæmone maxime productum, ipſamet S. hiſtoria commemorat. Ideoque ſaltim primaria cauſſa fuerit ſupernaturalis. Non tamen omnes naturales cauſſas heic eſſe excludendas, tum illa ſuadent

quæ

quæ ſub initium de humore atrabiliario adducta ſunt; quæque illi fuerunt connexa; tum etiam non abſurde ex eo colligitur, quod Muſica adhibita affectus ille fuerit mitigatus. Nec enim eſt, quod quis Muſicâ pravum illum Spiritum pelli poſſe exiſtimet; niſi ſimul invocatio divini Numinis & ejusmodi cantilenæ adhibeantur, quarum auditum ipſemet impurus Spiritus non poteſt ferre. Ut itaque humores iſtiusmodi atrabiliarios inſtrumentum quaſi quoddam fuerint, quibus malignus ille genius uſus animum iſtius Regis perturbaverit. Quanquam & ipſius illius Muſicæ vis, affectu illo divino increſcente, etiam vim ſuam amiſerit; ceu manifeſto colligitur ex iis quæ *cap. XIX. v. 8. 9. 10. & ſeqq.* narrantur. Procul dubio, quod ſuccedente tempore, quum Rex magis Deum offenderet, ſimul etiam magis hoſti illi generis humani in infeliciſſimum illum regem conceſſa fuerit poteſtas. Non quidem de ejusmodi hominibus & eorum plane miſerabili exitu noſtrum eſt judicare; utpote quum arcano Dei conſilio & bene placito piis quoque hominibus tale quid poſſit obtingere, ita ut deſperabundi vel manus ſibi inferant vel alias damnum ſibi contrahant. At vero de Saule quidem hoc ipſum quo minus poſſit affirmari, omnia illa obſtant, quæ in ejus hiſtoria divinitus conſignata leguntur.

Super eſt, ut *tertiò* de muſica ipſa ejusque virtute aliquid dicamus: quam ſolam regi ſolatium attuliſſe, hoc ipſo loco diſerte commemoratur: quamvis deinceps illam vim non amplius ea obtinuerit, fortaſſis quod efficaciam illi ipſemet Deo arcano quodam modo ſubtraxerit; ceu jam tum monuimus Et vero alias quoque in affectibus movendis & ipſomet ſanguine variis modis agitando propemodum ſtupendam vim Muſices eſſe, vel ex illis quæ tantum non quotidie obſervare licet, apparet. Conſtat enim alios

in

in lætitiam effundi, quum ex adverſo alii ſupra modum contriſtentur. Id quod inter alios cumprimis in Tarantiacis ſive iis, qui à tarantula venenatiſſimo phalangii genere commorſi ſunt, luculentiſſime obſervatur. De quo fortaſſis quis dubitaret, niſi res nimis eſſet manifeſta, & in regno cumprimis Neapolitano hodieque eam liceat obſervare.

Quorum aliorumque ſimilium omnium varietatem atque cauſſas non licet alio referre, niſi in ipſos corporis humores. Alii videlicet eorum mobiliores ſunt & ſubtiliores, alii vero craſſiores & ad motum tardiores. Quando itaque Muſica adhibetur, tunc, ſicubi humores facile poſſunt excitari, cito quoque edit ſuum effectum: ſecus, ſin aliter res ſe habeat. Ideoque quod de Muſica ejusque vi, idem quoque de humoribus fuerit affirmandum: quod videlicet inter humores & Muſicam magna quædam affinitas intercedat; ita ut ab hac Muſica illi humores, ab alia alii commoveantur. Quin etiam non tantum humores pro diverſitate Muſices commoventur, ſed quidam quoque quaſi ſiſtuntur & obtorpeſcunt. Ita pueri & infantes in ſomnum aguntur cantillando: quin quidam dormiturientes ipſimet modulantur, ſingen ſich ein. Hinc ſane eſt, quod pro alia humorum pariter & Muſices ratione quidam hilares fiant, quidam autem mœſti & ſubtriſtes. Lætitia vero animi ejusque alacritas ipſum quoque corpus movet & excitat, quum à contrario affectu contraria etiam fiant omnia. Operæ vero pretium eſt legere quæ de Muſices in affectibus animi pariter & corporis concitandis efficacia præter alios Athan. Kircherus ad eum quem diximus modum tradidit, tum in opere *de arte Magnetica*, tum præcipuè in *Arte magna Conſoni & Diſſoni* ſeu *Muſurgia univerſali*, & cumprimis *lib. 9*. Quonam autem hæc omnia

omnia fiant modo, & quî ab humorum eorumque motus varietate diverſimode adeo aſſiciatur animus, vix homini licet proprie definire; ut nos quidem eo debeamus eſſe contenti, quousque noſtram cognitionem extendere nobis fuit conceſſum.

Ad I. Samuel. XVII. ℣. 49.

Si quæratur, quæ proxima cauſſa mortem Goliatho attulerit, videtur utique non eſſe dubitandum, quin ab illo lapide in frontem adeoque in ipſum caput ejus per vim intruſo quam maxime apoplexia fuerit excitata. Quum vero hac de re ſupra ad Abimelechi hiſtoriam jam fuerit actum, non neceſſum eſt illa denuo repetere.

Ad I. Samuel. XXI. ℣. 13.

Quamvis David ſimulaverit amentiam, quum tamen iſta fecerit, quæ homines iſti ſolent, non alienum foret h.l. de affectu illo agere. Quum vero deinceps quoque & quidem ad hiſtoriam Nabuchodonoſoris de hac re iterum agendi nobis detur occaſio, in illum potius locum hæc reſervabimus.

Ad II. Samuel. II. ℣. 23: III, ℣. 27: IV. ℣. 6. Judic. III. ℣. 21, 22.

Quomodo hi homines interfecti fuerint diſerte quidem ſacri Scriptores commemorant. At vero ſi accuratius quæratur, quæ ſive Medice ſive Philoſophice loquendo ſubitaneæ iſtius mortis fuerit cauſſa, adhuc dilucidius id fuerit explicandum.

Et quidem neminem, quocunque tandem mortis genere, violento quoque & ſubitaneo, pereat, absque interventu alicujus morbi exſtingui, jam ſupra fuit annotatum. Quum vero omnium morborum tria ſint ſumma genera; videlicet intemperies, mala conformatio; & ſoluta unitas:

ad aliquod horum generum etiam mortem illam violentam referri oportet. Jam vero malam conformationem heic ne quidem attendi poſſe, per ſe liquet. Vulnere vero inflicto & capite abſciſſo vel perfoſſo abdomine, unitatem fuiſſe ſolutam, in propatulo eſt. Quum tamen à ſola illa unitatis diſſolutione tam ſubitanea quidem mors non ſoleat obvenire, niſi ſimul aliud quid diſpereat, ideoque illud quam maxime quoque fuerit attendendum.

Conſtat itaque per capitis abſciſſionem, & etiam iſtiusmodi transfoſſionem, maximam vim ſanguinis & ſubito quidem profundi. In ſanguine vero vitam proprie conſiſtere, jam ſupra itidem & quidem ab ipſomet Opt. Max. Deo fuit obſervatum: quod nempe in illo calidum innatum ſeu ignis naturalis ſtabuletur & hæreat. Sanguine itaque effuſo, ipſum quoque calidum & cum eo ipſam quoque vitam ſimul effundi, neceſſum eſt. Perinde vero eſt utrum omnis ſanguis extra corpus effundatur, an vero intra cavitatem ejus effluat; quum ad calidi vitæque diſperſionem ſufficiat extra vaſa effuſio; utpote quum non niſi eo calido intra vaſa contento vita poſſit conſervari. Quando igitur ad eum modum ſanguis calidumque profunditur & vaſis excidit, etiam tum magna fit unitatis ſolutio; quod videlicet univerſi reliqui corporis vita ab utriusque illius conſervatione ſimul conſervetur; id quod absque continuitate quadam fieri non poteſt. Quum verò ſanguis & calidum illud, quod aliis ſpiritus nomine appellatur, ad eum modum cum aliis partibus non poſſit eſſe continuum, quo ſolidæ partes inter ſeſe cohærent, & connectuntur; vaſa quædam tanquam tubuli quidam & ductus per univerſum corpus diſperſa ſunt, per quæ ſanguis & cum eo calidum permeando remeandoque cum ſolidis illis partibus ſuo modo cohæret. Quæ proinde uni-

tas

tas quodve mutuum commercium tollitur, ubi vaſis præter naturam reſeratis utrumque illud effunditur.

Præter hæc vero ſanguinis calidique ſubtractione cor pariter & univerſum reliquum corpus ſummam contrahit intemperiem. Cui tum ſimul accedit quod non tantum cum ſanguine profluente calidum pereat, ſed etiam illud quod in corde tanquam foco ſuo reliquum eſt, pabulo denegato, ipſum etiam ſimul neceſſario pereat.

Ut proinde ejusmodi mortis violentum genus & ad intemperiem & ad unitatis ſolutionem, tanquam cauſſas ſuas proximas, ſit referendum. Sane hinc etiam eſt, quod nunquam non alias quoque largam aliquam hæmorrhagiam totius corporis frigida intemperies & hinc non unius generis affectus orientes, tum etiam virium jactura, pallor faciei, quæque hujus generis ſunt alia, ſoleant excipere.

Quî vero fiat, quod iſtiusmodi vulnerationis & magnæ ſanguinis effuſiones non ſemper ſint letales, non eſt hujus loci exponere. Tantum illud obſervetur, quum plerumque mortem inferant, nunquam vero careant ingenti periculo, propterea quoque pro letalibus communiter illas eſſe habendas. Ut nihil ſit cauſſæ, quod in ea patrocinium aliquod ſibi quærant de vulnerationibus iſtiusmodi aliter ſentientes. Quod ipſum alias peculiari fortaſſis diſſertatione, *de eo quod letale eſt in vulneribus corporis humani* uberius conſiderabitur.

Ad II. Samuel. XII. ꝟ. 15.

Quod h. l. infanti illi ex adulterio cum Bathſeba nato ſcribitur accidiſſe, poteſt duobus modis intelligi vel ita, quod Deus illum percuſſerit, ſeu plaga & letali morbo affecerit, absque ullis mediis concurrentibus, ita ſcilicet ut ſubito & ex improviſo graviſſime ægrotaverit. Vel ita quod morbus ille habuerit cauſſas ſuas, divinitus tamen & mo-

mordo ſupernaturali motas. Utrovis autem modo intelligatur, perinde eſt: quamvis poſteriori tamen ſenſu illud ipſum malimus accipere. Apparet autem vel ex hoc loco, quam frequentiſſimum in morbis inſit τὸ θεῖον, de quo tamen nunc nihil amplius addere volumus, ad ultimum hujus libri caput mox de eo acturi. Obiit autem puerulus iſte ſeptimo morbi die, h. e. critico. Ideoque ægrotavit acuto morbo.

Ad II. Samuel. XIII ✝. 1. & ſeqq.

Habemus h. l. exemplum illius affectus, quem amatorium vel inſanum amorem appellant, quem priſci quidam etiam *Heroicæ paſſionis* nomine dignati fuerunt: de qua ultima denominatione multa habet Guilhelmus Ballonius *lib. de Virginum & mulierum morbis c. 9.* Ipſum vero affectum & ſigna ejus τὰ θογνωμονικά inter alios expoſuit Avicenna. Solent autem hæc eſſe: oculi concavi, appetitus dejectus, corpus macilentum, vigiliæ, pulſus ad perſonæ adamatæ præſentiam vel nomen auditum ſubitanea immutatio, quæque alia hinc ſequuntur ſymptomata: Quæ obſervavit Eraſiſtratus in Antiocho Stratonicen novercam depereunte. Hiſtoriam deſcribit Lucianus *lib. de Syria Dea*, tomo III, pag. 700. & ſeqq. Item Plutarch. in *Demetrio*. Similem hiſtoriam geminam à ſe notatam deſcribit Galenus *l. de præcognit. ad Poſth. c. 6.* Et ante illos Hippocrates in Perdicca Phylam perdite amante: quod Soranus in *vita* ejus refert.

Et quidem affectum illum eſſe præcipue animi, extra con-

Sevus criminum ſtimulus libido eſt, quæ nunquam manere quietem patitur affectum. Nocte fervet, die anhelat, de ſomno excitat, a negotio abducit, a ratione revocat, aufert conſilium, amantes inquietat, lapſos inclinat, caſtis inſidiatur, potiendo inflammat, uſuque accenditur. Ambroſ. *l. 1. de Cain & Abel c. 5.*

controverſiam eſt: ita tamen, ut ipſum corpus ſimul in conſenſum trahatur. Quomodo nunquam non alias quoque alterutro laborante ſimul alterum coafficitur & laborat, pro mutua illa & arcta inter animam & corpus neceſſitudine. Id quod in nullo magis conſpicuum eſt, quam animi affectibus; utpote qui ſemper usque adeo corpus una ita afficiant, ut absque illius perturbatione nunquam fieri poſſint: & prout graviores fuerint, pro eo quoque vehementius corpus percellant.

Quandoquidm vero mens & τὰ πάθη animi, ſanguinis calidiq; miniſterio maxime funguntur, & variis modis pro ipſius operationis affectuumque varietate utrumque illud commovent, atque in corde maxime reſident; propterea quoque hic ipſe affectus Eroticus in nullam aliam corporis partem magis ſuam vim exſerit, quam in ipſummet ſanguinem, & in eo hærens calidum nativum. Quapropter etiam tum ſanguinem tum ipſum cor proprie in affectu illo tanquam ſubjectum laborare certum eſt. Id quod ex ſymptomatibus etiam adhuc magis comprobatur. *Primò* enim vel ſola illa pulſus momentanea alteratio clarisſime docet, cor maxime per affectum illum affici. *Deinde* vigiliæ, ἀνορεξία, nutritio imminuta reliquaque ſymptomata, calorem præternaturalem manifeſto arguunt. Non ſecus videlicet atque curæ ac ſollicitudo ad eum modum corpus ſolent afficere. Quamvis enim ab aliis in cerebrum potius & nervos illius affectus cauſſa conferatur; quum tamen Symptomata illa modo recenſita cordis affectum manifeſto prodant, non poſſumus etiam non cor & ſanguinem pro morbi hujus ſubjectis habere.

Sicut autem idem amantes patiuntur, quod contingere ſolet illis, qui magnis curis aguntur: ſic quoque curatio illorum ad eum fere modum eſt inſtituenda. In qua

truncus artubus non reſpondet: quod non obſcure deprehenditur eosdem homines tum ſtantes tum ſedentes conſiderando. Quo pertinet, quod ex digitorum manus longitudine vulgo argumentum petunt de futura ſtatura puerulorum. Et id non abſurde quidem. Ut tamen conjecturam res ipſa perpetuo non confirmet. *Tertium* cutis lævitas & jucundus color: Quam proinde deturpant cicatrices, rugæ, verrucæ, tubercula, maculæ, & alia quæcunque ἐξανθήματα & ἐκθύματα. Hæc omnia quippe nævos conſtituunt; non ſolæ maculæ: nec omnes maculæ ſeu nævi ſunt ingenitæ notæ ea innatæ: quo ſenſu tamen & pro ſynonymis voces eas accepit in *Nomen. d.* Hadrianus Junius. *Quartum* ſeorſim decora & formoſa facies. Qua peculiariter etiam vulgo homines tales diu facit, etiam in S. ſcripturis. Ad eam vero pertinent *primum* æquabiles dimenſiones ejus. Quas inprimis præter alios accurate deſcribit *lib. de Nævis* Ludovicus Septalius: pag. 46, 47, 48, & 59, 60, edit. Medio perinde ut idem faciem primum cum manu, dein cum reliquo cetero univerſo corpore curioſe contendit, 52. ad 55, & à p. 57. ad 66. *Secundo* lineamenta. *Tertio* gratus color. Circa quem plane diverſa immo contraria, ſunt hominum judicia. Quomodo Æthiopibus gratus eſt niger, albo ingratus: aliis gentibus contra. Faciem tamen pulcram optimarum morum indicem non ſemper eſſe docet Claræmont. p. 224. Et vel Abſolom ipſe ſuomet exemplo probat.

II. Samuel. XVII, ℣. 23.

וַיֵּחָנַק

Radix verbi hujus ſimplex eſt חנק ſignificatque *Strangulare*. Ipſum h.l. conſtructum eſt in Niphal paſſivo, quod quibusdam thematis reciprocam ſignificationem adſciſcit. Quæritur ergo an thema חנק h.l. ſignificat paſſivè an ve-

vel

Digitized by Google

rò reciprocè; quandoquidem uterque ſenſus quadrat. Ex locis parallelis conſtare certitudo rei nequit. Thema quippe hoc præterea non occurrit in Niphal, ſed ſemel tantum in Piel Nahum. II, 15. In Talm. Cod. Peſach. exemplum occurrit, in quo tamen utraque ſignificatio itidem locum habet: אם בקשת ליחנק היתלה באילן גדול: *Si vis ſtrangulari* (vel *ſtrangulare te*) *ſuſpende te in arbore magnâ*. fol. 112, col. 1.

Hinc jam interpretum caterva in duas partes ſcinditur. Altera paſſivè vertit: *Et ſtrangulatus eſt*. Et hinc nonnulli argutantur Achithophelem minimè gentium utpote virum gravem & prudentem ſemetipſum ſtrangulaſſe, ſed ſuffocatum fuiſſe אַסְכָּרָא *anginâ*. Hanc autem genus morbi acuti perhibent angentis, tandemque coarctantis fauces, varioſque de eâ conſignant canones, v. g. *qui comedit cibum ſuum abſq; ſale & bibit potum ſuum abſq; aquâ; interdiu periclitatur malo odore oris & noctu propter anginam*. Item: *qui adſueſcit eſui lentium ſemel in menſe, depellit anginam è domo ſuâ* &c. in Maſſ. Berachos fol. 40 col. 1. Hunc morbum familiarem eſſe infantibus die 4. nativitatis eorum ſcribunt Medici Judæorum: Rationes eorundem adducere ſuperſedeo.

Altera claſſis verbum illud reciprocè reddit: *ſtrangulavit ſe*, intelligitque Achitophelem unam ex ſe feciſſe litteram longam. Et ſic plerique omnes. Ipſi Judæi in Lex. Ebræo-Germanico (in quo difficiliores Bibliorum voces linguâ nobis vernacula vertunt) ad h. l. Samuelis verbum ויחנק interpretantur: **Und er der wörget ſich**: tametſi & hoc verbum generale de αὐτοχειρία veneno facta intelligi poſſet. Ut adeò perſtaret Judæorum adſertum, non veriſimile fieri tàm ſagacem virum ſemetipſum ſuſpendio tàm ignominioſo adfeciſſe.

Dua-

Duarum iſtarum verſionum poſterior verbi nempe יחנק reciproca h. l. ſignificatio & ſuſpendii ſenſus firmari poteſt, 1. ex Targum, quod παραφράζει illud in Conjug. reciproca Hithpaël ואתחנק ומית 2. quod derivatur ab eo חָנַק ſignificat certum ſupplicii genus, quo reum immergebant in fimum usque ad genua, & linteum durum tenuiori ac molliori inſertum collo ejus circumligabant, quod teſtes ab utraque extremitate ipſius ad ſe tamdiu attrahebant, dum animam exhalaret, uti deſcribit Jonathan Udſiel Lev. xx, 10. In Talmudh idem verbum de tali coarctatione uſurpatur, quâ peculiari ritu mulieres ac filiæ collari ex filis ſeu ligaminibus confecto collum conſtringere ſolebant, ut tantò carnoſiores & pinguiores in facie adparerent, itemque rubicundiores. Ab eâd. rad. eſt חנקא *laqueus*. Nec dubito quin originem inde petat vox Germ. Henken. Unicum ſaltim derivatum occurrit, quod de morbo uſurpatur unicâ niſi fallor vice, & quidem determinatè מחנק הרחם *ſuffocatio uteri, matricis ſtrangulatio.* Hæc quaſi per ſatyram.

Ad II. Sam. XIX. ℣. 33. ſeqq.

Huc eleganter alludit Hieronymus Epiſt. ad Auguſtinum. p. 347. *Omnia fert ætas, animum quoque: ſæpe ego longos cantando puerum memini me condere ſoles. Nunc oblita mihi tot carmina: vox quoque Mœrim jam fugit ipſa. Et, ut magis de ſcripturis ſanctis loquar, Berzellai ille Gileadites, regis David beneficia, omnesq; delicias juveni delegans filio, oſtendit ſenectutem hæc nec appetere debere, nec oblata ſuſcipere.* Idem procem. in ſecundum librum commentariorum in Amos: *Senectus multa ſecum & bona affert & mala. Bona, quia nos ab impudentiſſimis dominis liberat, voluptatibus: gulæ imponit modum, libidinis frangit impetus, auget ſapientiam, dat maturiora conſilia, & frigeſcente corpore, dormit cum perpetua virgine Sunamite: luxuriamque*

contemnens cum Berzellai, delegat eam filio adoleſcenti Canaham, & non vult tranſire Jordanem, atq; in alienos fines de ſuis finibus, id eſt, regionibus, exire. Quæ autem putantur ſenectutis mala, iſta ſunt: crebræ infirmitates, pituita moleſtiſſima: quam Græcorum alii κόρυζαν, *alii* φλέγμα *nuncupant: caligantes oculi, aceſcentes cibi, tremens interdum manus, nudi gingivis dentes, & inter cibos cadentes. Ad hæc torminibus & aculeis ſtomachi, podagræque, & chiragræ doloribus ſæpe torquetur: ita ut ne ſtilum quidem aut calamum tenere queat: ut ſuis pedibus non poſſit incedere: magnaq; parte vitæ videatur eſſe truncata, & multis membris præmortua. Cum hæc ita ſe habeant: in malorum comparatione tolerabilius ſuſtinebo morbos, dummodo una & graviſſima domina libidine caream. Patitur quidem & ſenectus nonnunquam incentiva vitiorum, nullusque juxta ſanctum martyrem Cyprianum, diu tutus eſt periculo proximus. Sed aliud eſt titillari, aliud obrui voluptatibus. Ibi cum Apoſtolo adoleſcentia loquitur, quæ novit virentis corporis neceſſitates: Non enim quod volo bonum, hoc ago, ſed quod nolo malum illud facio. Et miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Hic autem raro inter emortuos cineres ſcintilla ſublucens reviviſcere nititur, & tamen incendia non poteſt ſuſcitare.* Idem commentario in Eccleſiaſten c. XII, p. 98. c. 3; *Quod gravior ſenum auditus fiat, & nulla inter voces valeant ſcire diſcrimina, nec carminibus delectari: Quod quidem & Berzellai loquitur ad David, nolens transire Jordanem:*

Ad II. Samuel. cap. ult. ℣. 15. & ſeq.

Peſtilentiæ vox duobus modis accipitur. Apud priſcos enim *Primo* non denotat certum aliquod & determinatum morbi genus, ſed generatim quemlibet morbum, promiſcue in quam plures etiam diverſorum locorum homines graſſantem, maximè inſuper lethalem & contagioſum,

tagioſum. Qualis morbus Græcis etiam ſemper denotatur voce λοιμὸς. Hoc quidem loco apud LXX. peſtilentia illa vocatur ſimpliciter θάνατος, plane videlicet eodem ſenſu, quo apud Cyprianum, Paulum Diaconum, aliosque iſtorum temporum ſcriptores, vox *mortalitatis* uſurpatur. *Deinde* vero & apud Medicos præcipue recentiores non quemvis talem morbum nomen illud denotat, ſed illum ſeorſim, qui maxime cum variis maculis & bubonibus, interdum etiam carbunculis, eſt conjunctus. Ex quibus ſignificationibus priori modo h. l. illud vocabulum eſſe accipiendum extra omnem controverſiam eſt. Quod autem de generali iſtiusmodi acceptione apud Veteres uſitata diximus, non opus eſt exemplis demonſtrare, quum vix alia ſignificatione apud alios ſcriptores primi ævi illa vox ſumta reperiatur. Quibusdam etiam κατ᾽ ἐξοχὴν νόσος appellatur, cui latina vox *lues* reſpondet.

Quod ſi jam ulterius quæritur, quænam iſtiusmodi luis proximæ ſint cauſſæ; poſſunt illæ commode in duo genera diſpeſci: ita ut aliæ ſint naturales, aliæ verò ſuperioris conditionis.

Et naturales quidẽ maxime, quin imo tantum non unice in contagio conſiſtunt. Contagiũ vero non uno modo communicatur. Nam (1) fit id ipſum per contagium ſtrictisſime dictum, corporũ videlicet peſtilentia infectorũ contactum. (2) quando miaſmata ab ejusmodi homine vel alio aliquo animali exhalantia ſimiliter alios inficiunt. Id quod iterum non fit uno modo. Vel enim tale quid aliquis haurit & imbibit, ſi prope talem hominem verſetur, aut halitus ab eo exſpirantes proxime recipiat, aut in eodem cum illo conclavi verſetur. Vel aliis communicatur per veſtimenta & lectos, quæ ſimiliter halitus iſtos peſtiferos hauſerunt.

(3) vero iſtiusmodi contagium aliquando diſperſum eſt per aërem late patentem, ita ut inſpiratione non poſſit non ſimul attrahi.

Ex omnibus porro hiſce modis poſtremum illum maxime eſſe pernicioſum & letalem, per ſeſe patet. Quapropter etiam ſi vitium in ipſomet aëre hæret, peſtilentia ſolet maxime ſævire, & longe lateque ſtragem edere.

Quod ſi jam quis ulterius ſciſcitetur, quænam itaque cauſſæ ſint, propter quas regio aëris ita coinquinetur, varia quidem vulgo ſolent afferri, videtur tamen, rem illam non parum eſſe dubiam. Et Hieron. quidem Fracaſtorius, vir doctrina & judicio inſignis, ſubtilius nonnihil de hac re diſſerit, tum in *libris de contagio & morbis contagioſis*, tum in alteris *de Syphilide* heroico carmine conſcriptis. Ita videlicet: quod in uno aliquo loco virtute cœleſtium corporum tale vitium in aëre gignatur, quod deinde ſenſim magis magisque increſcens vim ſuam incipiat exſerere, paulatim autem progrediendo ad alias regiones perveniat, donec certo quorundam annorum ſpatio univerſum orbem peragret, usque dum malignitate ſua mitigata paullatim rurſus evaneſcat & diſſipetur.

Quicquid vero ſit de ingenioſa illa conjectura, non quidem nunc volumus illam rejicere; nec tamen etiam ut multis in eam inquiramus, nunc nobis licuerit. Hoc tamen certum eſt, non carere illam ſuis difficultatibus. Et vero etiam absque tali aëris occulta & abſtruſa inquinatione poſſunt nihilominus cauſſæ vitiati aëris expediri.

Poteſt enim id fieri, (1) quando tempeſtatum ratio ita ſe habuerit, ut aër putredinem quandam contrahat. Tales autem aëris καταστάσεις præ omnibus aliis in noſtris regionibus ſunt auſtrinæ, ſive calidæ & humidæ. Notare *præterea* convenit, aërem pariter & aquam ſicubi perpetuo

tuo non moveantur & à perpetuis ventis non agitentur vitium facillime contrahere. Talibus igitur tempeſtatibus maxime urgentibus, quod ipſe aër multum à bonitate ſua recedat, non eſt mirum.

Nec tamen propterea ſtatim etiam iſtiusmodi maxime ſævientis peſtilentiæ cauſſæ pro ſupernaturalibus habendæ ſunt, utpote quum per maxime naturales res & vitium illud aëris, & ipſa etiam peſtilentia, ſi non omni ſaltem potisſima ex parte posſit corrigi. Et *primo*, maxime quidem huic malo corrigendo conducit ventus ab oppoſita præcipuè mundi regione ſpirans, & validior quidem; *Deinde* magnus quoque aliquis ignis: utpote quorum utrumque putredinem illam aëris, partim illum commovendo & agitando, partim illos ipſos malignos halitus abſorbendo, tollit vel ſaltem mitigat. Et vero peſtilentiæ natura unice conſiſtit in putrefactione. Id quod omnia ſymptomata affectum illum concomitantia luculentisſime monſtrant.

Præter hæc autem alio *inſuper* modo vitium contrahere poteſt aër, videlicet causſis ſupernaturalibus concurrentibus. Quum verò illud ipſum jam ad alteram cauſſarum claſſem pertineat, non poteſt de eo, quando de naturalibus peſtilentiæ causſis agitur, & illæ in ſeſe tantum ſpectantur, tractari.

Quod igitur ſupernaturales horum affectuum cauſſas concernit non ſunt illæ rurſus unius generis. Nam (1) ab ipſomet Deo Opt. M. tum alias horribiles calamitates, tum peſtilentiæ quoque luem ſæpius immitti; tum alia oſtendunt, tum hæc ipſa in qua modo occupati ſumus hiſtoria. An vero plane absq; alterius miniſterio & ſine ullo adhibito medio idipſum Deus faciat, mox exponetur. *Deinde* vero ab ipſo Cacodæmone & mancipiis ejus, ſagis, Veneficis, quique ſunt alii diabolici illius ſodalitii, non raro tales

peſtilentes morbos fuiſſe humano generi illatos, ex hiſtoriis itidem nimis manifeſtum eſt.

Quod vero ſeorſim ad peſtilentiam divinitus immiſſam ſpectat, videtur utique illa non aliunde quam ab aëre proxime produci. Hoc enim modo facillime omnium longe lateq; malum poteſt diſſeminari. Nec alias patet, quomodo ſimul adeo multos, & quidem in diverſis locis degentes, lues poſſit corripere & invadere. Fortasſis etiam per Angelos, eos videlicet quos τιμωρητικὰς & κολάζοντας Theodoretus vocat, vitium illud aëri quaſi imprimitur. Quod ipſum certe cum alia ſuadent, tum etiam hæc ipſa, quam modo illuſtramus, hiſtoria. Similiter clades illa exercitui Sennacheribi illata Angelo adſcribitur.

Plura peſtilentiæ, in quibus τὸ θεῖον maxime fuit conſpicuum, exempla collecta exhibentur ab Hieron. Jordano *cap. 38.* longe elegantiſſimi & lectu digniſſimi libri, *de eo quod divinum eſt in morbis humani corporis.* De univerſo vero hoc argumento, natura videlicet & cauſſis peſtilentiæ, præ aliis operæ pretium eſt legere *Diſputationem* Ampliſſimi noſtri Conringii.

Ad II. Regum. II. ℣. 19. & ſeqq.

Valleſius videtur ita diſſerere, ac ſi ſalis non fuerit nulla vis in aqua iſta corrigenda: & inter cetera hic adducit etiam aquam illam luſtralem, qua hodieque Pontificii in ſacris utuntur.

Verum quicquid ſit de hac re, & licet ſalis multiplex virtus ſit in variis rerum vitiis emendandis; (quod videlicet calefaciat, diſcutiat, aſtringat, ſiccet, cogat ac denſet ſubſtantiam quibus adhibetur) qui tamen correctio hujus aquæ inſalubris ſali poſſit adſcribi, non patet. Nam *primo* exigua

---

In omnibus hiſce ſalis proprietatibus, quas diximus, naturalibus, aut minimum

mum in parte earum proculdubio ſe fundavit Eliſæus Propheta: cum vaſculo aquæ mortiferas certe cujusdam regionis aquas emendaret, efficeretq; ut terra ante ſterilis fœcunda emergeret. Id quod probatu facile erit, modo primum in tribus naturalibus principiis nobis conveniat, adeo certis veriſq; ut nemo illa inficiari poſſit. Primum eſt, quod ex quatuor illis poſſibilibus quatuor primarum qualitatum combinationibus, cujusmodi ſunt calidi cum humido, calidi cum ſicco, frigidi cum humido & frigidi cum ſicco, prima illa conjunctio ex ſententia omnium Philoſophorum medicorumq; ſit cauſſa univerſalis, per quam res naturales pereunt ac corrumpantur.— Secundum principium eſt, quod non omnes mundi provinciæ unam atque eandem qualitatem habeant. Aliæ, uti inquit Hippocrates, humidæ ſunt, aliæ ſiccæ: aliæ calidæ, aliæ frigidæ: aliæ dulces, aliæ amaræ: aliæ crudæ, aliæ coctu faciles: aliæ aſperæ, aliæ blandæ ac molles. Id quod omne natura non caſu atq; incogitanter fecit, ſed potiùs magna cum cura ac providentia, habito reſpectu ad infinitam ſeminum plantarumq; varietatem, quæ ex terra nutriendæ conſervandæq; erant: neque enim omnes eodem atq; pari alimento gaudent.—Tertium principium eſt, quòd plantæ guſtum quendam ac cognitionem habent alimentorum, quæ naturæ ſuæ familiaria ſunt: quodq; ea, licet diſtantia diſſitaq;, ad ſe attrahant, ac viceverſa fugiant contraria — Per hæc tria principia reſpondere poterimus admiraculoſum Eliſæi factum. Si enim terra, quam ſanabat atq; emendabat; dum ſale ejus ſuperficiem adſpergeret, inſipida atq; aquoſa erat: ſale eam ſapidam reddebat ac nutritioni idoneam. Sin propter calorem atq; humiditatem aëris, qui intra terræ cavernas ibi detinebatur, aquæ inde malignæ corruptæq; emergebant; illis, quas diximus, ſalis qualitatibus naturaliter iis remedium quærebat. Ac ſi terra infœcunda erat ob multum, quem habebat, ſalem; per illum ipſum ſalem deſuper ſeminatum priore illo nimio ſale exſiccabatur.— Miraculum vero in eo conſtitit, quod uno ſolo ſalis vaſculo Eliſæus tam ingens terræ ſpatium ac tantam aquarum multitudinem emendabat alterabatq;, perinde atq; deſerti illud erat miraculum, quum ſolis quinque panibus hordeaceis ac duobus piſcibus Deus quinque millia hominum ſaturabat; & ita tamen, ut inde duodecim ſportæ manerent reſiduæ. Quo in facto poſuit natura quidem panem ac piſces, quorum proprietas erat nutrire atq; alere, Deus verò quantitatem, quæ ſaturandis tot hominibus ſufficiebat. Jan. Huarus Scrutin. Ingenior. Cont. Gomeſ. Lib. 1. de ſale cap. 23.

exigua copia ſalis hoc non potuit præſtare; quam tamen à Propheta fuiſſe adhibitam, patet. *Deinde*, ſiquidem aqua illa viva fuit, ſalis virtus non potuit pertingere ad ſcaturiginem ipſam.

Quapropter dicendum potius, ſalem fuiſſe adhibitum loco ſymboli. Quo ſine dubio illud *primum* quoque pertinet, quod Propheta juſſerit ſalem afferri in paropſide nova, h. e. quæ nullum antehac præſtiterat uſum. Accedunt *deinde* ipſa etiam verba, quibus Propheta aquam, dum ſalem illi injiceret, ſanavit: quum tamen verbis nullam vim naturalem temperies rerum immutandi ineſſe conſtet. *Præterea* ſi à Sale naturaliter agente illud ipſum fuiſſet præſtitum, nequaquam tamen fieri potuit, ut ſtatim ab injectione & verborum prolatione iſta correctio ſequeretur. Fuit igitur h. l. ſal ad eum modum uſurpatus, quo duodecim fontes illi amari à Moſe per arboris ſeu ligni injectionem fuerunt correctæ.

Ad II. Regum IV. ℣. 18. & ſeqq.
ut & I. Reg. XVII. ℣. 17 & ſeqq.

De Poſteriori hac Hiſtoria idem ille Valleſius ita diſſerit, quaſi puer ille non fuerit reapſe mortuus, ſed tantum mortui inſtar ſyncope correptus. Quod autem de hac hiſtoria affirmatur, idem quoque de altera priori fuerit affirmandum. Cui etiam accedit, quod plane eodem modo tam ab Elia quam Eliſæo hoſpitarum ſuarum filii fuerint

Huc eleganter alludit Hieronymus *ad Hedibiam* (initio:) *Ora igitur, ut verus Eliſeus ſteriles in me & mortuas aquas vivificet & Apoſtolorum ſale, quibus dixerat: Vos eſtis ſal terræ, meum holuſculum condiat: quia omne ſacrificium quod abſq; ſale eſt, Domino non offertur.*

Hieronym. *ad Euſtoch. epitaph. Paulæ matr. p. 174. c. 1. Intuita eſt & fontem quondam aquis amariſſimum & ſterilem, quem verus Heliſæus ſua condivit ſapientia, & in dulcorem ubertatemq; convertit.*

rint reſuſcitati & in vitam revocati. Et Valleſius quidem modum, quo mortuus reſtitutus fuit, potiſſimum urget; quod videlicet Propheta corpori pueri incubuerit, & univerſum illud corpore ſuo texerit, atque ita calore ſuo pueri calorem refocillarit, quæque hinc porro deducit alia.

Jam vero fatendum quidem eſt *Primo*, in ſyncopticis non tantum vix reſpirationem ſupereſſe, ſed etiam extrema corporis frigere: quod videlicet in quovis deliquio animi, multo maxime vero in graviſſimo illo, ſanguinis cum calidi ex corde ad partes alias fluxu intercepto, ſenſibili calore non poſſint non partes omnes privari. *Deinde* nec hoc negandum, hominis vividi accubitum præ ulla re alia inſignem vim habere alios ſimul calefaciendi. Id quod vel ex exemplo Davidis ſenio jam confecti, & proinde virginis juvenculæ accubitu refocillandi, exemplo maxime illuſtri patet. Ne nunc alia hujus generis adducamus, quæ à Medicis omnis ævi in eum finem ſunt commendata.

Sed etiamſi hæc ita ſeſe habeant; quod ad hunc tamen caſum pertinet, quo minus illa locum hic poſſint invenire, obſtat *primo*, quod ad hominem ſyncope correptum longe alia remedia adhibenda ſint, quam ejusmodi hominis

Fuſe juxta ac pereleganter eandem mecum ſententiam propugnat Schookius *l. de Ecſtaſi, &. l de Sternutat. c. 29.*

Heliſæus cum puerum reſuſcitarit, inſufflavit illi, ut infunderet vitæ calorem. Ambroſ. *inſtit. virg. c.11.*

Hieronymus *commentar. in eccleſiaſten cap. IV.* ad illa verba: *Et quidem ſi dormient duo, etiam calor erit illis, & unus quomodo calefiet?* accommodat ea huic hiſtoriæ addens: *De Heliſæo ſumamus exemplum quod & ipſe contraxerit ſe cum puero, & dormierit, & calefecerit corpuſculum ipſius, & ita vivificaverit reſurgentem.*

Vide de hoc affectu & curatione Valentini Eſpichii *programma in Galeni l. de tumorib.*

Digitized by Google

nis vegeti ſeu valentis accubitus ſive applicatio. Nunquam etiam conſtat ad eum modum quempiam, levi etiam aliquo deliquio correptum, fuiſſe refocillatum: multo minus, graviſſimo iſto affectu correptum, iſta ratione reſtitutum fuiſſe. *Deinde* vero ipſa quoque ratio ſyncopticos curandi longe alia requirit; videlicet talia remedia, quæ intra corpus aſſumta calorem illum cordis tantum non ſuffocatum refocillare, & ſubito quidem posſint; exterius vero frictiones validas cum calidis linteis & iſtiusmodi aquis, quæ propter tenues ſuas partes quas comprehendunt & vehementem cito penetrandi vim ſpiritus appellantur. Quorum neutrum ab ejusmodi appoſitione vel accubatione unquam poteſt exſpectari, nedum præſtari. (3) Ipſe quoque à Propheta in mortui reſuſcitatione adhibitus proceſſus ita ſeſe habet, ut naturales cauſſæ vel nihil vel ſaltem pauxillulum hic præſtitiſſe, palam ſit. Præterquam enim quod *verſ. 32.* puer ipſe mortuus eſſe dicatur, utique precibus in miraculo illo patrando maxime uſum fuiſſe Prophetam, ex *ſeqq.* patet. Dicitur quidem *v. 34.* Prophetam tam diu ſuum corpus ſuper demortuum puerum extendiſſe, & id quidem non ſemel, usque dum corpus ejus incaleſceret. At vero id potius ad modum quendam naturalem quem ſimul adhibere volebat, quam cauſam ipſam pertinere omnino videtur. Accedit autem (4) & hoc, quod, ſiquidem tum hic ab Eliſæo tum alter ab Elia reſuſcitatus puer non vere mortuus fuiſſet, ſed apparenter tantum, vis miraculi multum enervaretur: utpote quum multi ſyncope corripiantur, qui tamen deinceps iterum refocillantur. Et vero apud Iſraëlitas & alios populos tales etiam caſus non plane fuiſſe inſolentes, nulla cauſſa ſuppetit ambigendi.

Ad

Ad II. Regum XV. ℣. 6.

Ferrum ut & alia metalla & lapides omnes non ſupernatare, neminem latet. Et quidem cauſſa ejus rei in pororum defectum recte jam olim retulit Ariſtoteles. Qui quum ligno conceſſi ſint, propterea etiam id non mergi undis, ſimiliter eſt planum. Quum vero hæc hæc ita ſeſe habeant, utique vel hic locus maguum ſuppeditat argumentum ad illos refutandos, qui nullam rem natura vel gravem vel levem eſſe pertendunt: quos inter eſt etiam ipſemet doctiſſimus Schookius in *phyſica generali*. Volunt videlicet iſti effectus illos, quos gravitati & levitati alii & recte quidem adſcribunt, ab eo eſſe, quod unum corpus alteri loco cedat. At vero hoc ipſo admiſſo, oportebat etiam res graves natura ſua aſcendere, leves autem deſcendere: quorum tamen neutrum fieri videmus. Quin etiam ſi gravius aliquod corpus in communem aliquem cum leviori locum fertur vel devenit, leve illud ſtatim loco cedit & ſuſuperiora petit, ſicut iſtud inferiora. Quum itaque hæc perpetuo fiant, quin etiam gravia per vim in altum evecta ſponte ſua corruant, & levia viciſſim ſuperius ferantur; ſententiam illam nullo modo ſubſiſtere poſſe, propalam eſt.

Ad II. Regum IIX. ℣. 15.

Quomodo conditionaliter Propheta Benhadadi mortem prædixerit, non neceſſum eſt nunc à nobis exponi: ideoque duntaxat conſideremus, quomodo à ſuperinjecta illa madida ſtragula fuerit extinctus. Videtur autem ille morbo aliquo acuto e. g. febri ardente aut tali aliquo affectu laboraſſe. Certe quare ſtroma aqua madidum ſibi injecerit non apparet; niſi valde calido affectu laboraverit. Quum itaque ſine dubio aqua illa fuerit impenſe frigida, factum fortaſſe fuit, ut duabus ſumme contrariis qualita-

Digitized by Google

tibus concurrentibus morbi vis ſubito intro rapta, & ex uno morbo planè alius fuerit productus. Potuit enim fieri, ut vel alius affectus vel etiam Carus Regem illum ab imprudenti illa madefactione & refrigeratione corripuerit, vel etiam deliquium animi acceſſerit. Maxime vero conſentaneum eſt, eum laboraſſe morbo acuto, & fortaſſe maligna febri; unde ad æſtũ reſtinguendum quum frigida imprudenter fuiſſet uſus, morbi vis ſubito intro pulſa cor oppresſit. Quidam hujus loci interpretes ſuffocatum eum fuiſſe cenſent. Quod quidem vel de catarrho aliquo ſuffocativo vel apoplexia vel angina aut ſimili affectu poſſet intelligi. Quicquid verò ſit, tali aliqua ratione mortem eum ſibi acceleraſſe, non videtur eſſe dubitandum. Quod ſi verò quis Regem illum plane ſuffocatum eſſe ſtatuendum exiſtimet, potuit etiam fieri, ut angina ille ſublatus fuerit. Quæ omnia tamen ita videntur eſſe affirmanda, ut nihil certi posſit determinari.

Ad II. Regum XX. ℣. 7.
& Eſa. XXXIIX, ℣. 21.

Quonam affectu Rex Ezechias tum laboraverit, non ita plene exprimitur. Laboraſſe illum ex ulcere, duobus iſtis locis diſerte affirmatur. At vero ex ulcere ſolo non temere quis morietur, niſi alia ſymptomata accedant; vel etiam inſuper, ulcus ſit in viſcere aliquo & interna parte corporis, ut propterea vel curationem difficulter admittat, vel ob loci dignitatem ſumme ſit periculoſum. Quod tamen regi non accidiſſe, ex eo manifeſto patet, quod Prophetæ juſſu emplaſtrum ſeu cataplaſma ex ficubus confectum ulceri impoſitum fuit. Id quod non niſi de ulcere externi corporis poteſt intelligi. Præterea malignitatem illud

illud ulcus adjunctam habuiſſe, recte cenſet Valleſius. Et vero maligna illa nunquam non talia ſymptomata ſecum vehunt, quæ vitæ diſcrimen ſolent habere adjunctum.

Quod jam vero ficuum in curatione adhibitorum Medicam vim huc ſpectantem concernit, habent illi præter alias virtutes inſignem facultatem incidendi, emolliendi, maturandi & dicutiendi. Ut proinde ulcus illud licet apertum fuerit, ita tamen adhuc fuerit comparatum, ut iſtiusmodi medelam quam maximè poſtularet. Nec enim alias locum cataplasma ex caricis confectum in ulcerum curatione poterit invenire: quod itidem recte notat Valleſius. Neque vero dicendum, ficus ſymboli tantum loco fuiſſe adhibitos, quod curatio planè eſſet miraculoſa: utpote quum virtus iſthæc illorum medica, quam modo expoſuimus, manifeſta ſit, & jam tum ab antiqua memoria commendata. Quapropter etiam miraculoſæ iſtius curationis vis in eo præcipue videtur conſiſtere, quod ſubito ad impoſitionem iſtius cataplasmatis Rex ſanitati fuerit reſtitutus, ita ut tertio die potuerit templum adire.

Ad II. Chron. XVI. ℣. 12.

Regem Aſam podagricum (ſtricte videlicet voce accepta, nam alias quemcunque partis ejus dolorem notat) fuiſſe factum, non videtur fortasſis eſſe dubitandum. Quamvis enim alii quoque affectus pedes infeſtare ſoleant; hic tamen præ aliis dirus eſt, & maximè homines ſolet vexare. Cui ſortasſis addenda eſt victûs illa ratio, & inter alia generoſisſimum vinum, quo dubio procul inter alios Rex quoque fuerit uſus. Podagram vero vini potores præ aliis affectibus invadere, neminem temere fugerit, præſertim qui in illis locis, ubi generoſa vina naſcuntur, vel paululum fuerit verſatus. Quapropter etiam Regem illum fuiſſe Podogra infeſtatum, ponamus jam quaſi extra controverſiam.

Podagræ autem perinde ut univerſæ artritidis ſedes maxime eſt in ipſis articulis, h. e. locis illis ubi juncturæ ſunt oſſium. Præterea membranoſæ partes & tendines muſculorum, qui in illa loca maxime ſolent implantari, per affectum illum potiſſimum infeſtantur. Hinc enim exquiſitiſſimus ille dolor, & partes illas movendi impotentia. Præterea vero effervefcentia quædam adeſt, unde nunquam non calida intemperies ſolet Podagram comitari. Humor porro, podagræ cauſſa, eſt craſſior & ſiccior: qualem Chemici vulgo tartareum ſolent appellare. Hinc ſane eſt, quod lapilli quidam & calculi morbo augeſcente & ſuccedente tempore in illis locis ſoleant generari. Præterea quum calor adſit & humor inſuper ſiccus, hinc porro fit, ut articuli ipſi juſto fiant ſicciores, & propterea ad motum valde inepti. Quum enim non tantum commiſſuræ illæ oſſium cartilaginibus ſint munitæ, ſed etiam præterea lento quodam humore, inſtar axungiæ cujuſdam, perfuſæ, ut ad motum articuli ſint expeditiſſimi; fit per illum affectum, ut lentitudo humoris ſeu unguinis iſtius tollatur, & propterea quoque ligamenta ipſa fiant juſto ſicciora, & proinde motus partium illarum multum imminuatur.

Licet autem Podagra, inveterata præſertim & diutius perſeverans, miſerum in modum excruciare ſoleat ægrotos; non niſi lente tamen eos perimit. Quin ex podagra ſola quempiam fuiſſe è medio ſublatum, non temere fuit obſervatum. Sicut autem in aliis affectibus, ita quoque in hoc, nunquam non alia ſymptomata ſupervenire ſolent. Præterea vero ipſemet exquiſitiſſimus dolor non tantum vires ipſius corporis proſternit, ſed etiam non raro deliquia animi inducit. Ideoque dolore aucto & inſuper continuato, viribus indies labaſcentibus, quibus etiam pertinaces vigiliæ accedere ſolent, febri quoque ſuperveniente,

atque

Digitized by Google

atque ita ipſa corporis οἰκονομία inverſa & debilitata, ipſa mors tandem graviſſimum & incurabilem illum affectum ſolvit.

Ad II. Chron. XXI. ℣. 15. 18. 19.

Joramum Regem inteſtini affectu divinitus fuiſſe correptum, planum eſt. At vero qualis ille fuerit, non ita exprimitur: niſi quod tandem exitus inteſtini acceſſiſſe commemoretur. Videtur tamen procul dubio talis fuiſſe morbus, qui cum magnis torminibus & cruciatibus eſſet conjunctus. Fortaſſis etiam ſupervenit tandem inflammatio & exulceratio, usque dum tandem inteſtinum ipſum per ſedem exiret. Sunt videlicet inteſtina exquiſitiſſimi ſenſus, idque propter ſubſtantiam ſuam membranaceam.

Et quidem dolor eorum duabus fere de cauſſis oritur. *Primò* enim & frequentiſſime à flatibus occluſis exitumque non invenientibus diſtenduntur. *Deinde* quandoque patiuntur inflammationem: quæ niſi cito tollatur, in exulcerationem deſinit. Ut itaque vel hinc appareat, doloris non unam eſſe cauſſam, ſolutionem videlicet continui, quod multi rentur; ſed etiam intemperiem dolores inducere.

Et flatus quidem ab humorum in inteſtina delatorum per calorem attenuatione & rarefactione fiunt. Præterea ipſum augetur, ſi humores illi in parte quadam juſto diutius commorentur: accedente tum inſuper eorum putredine, unde major flatuum generatio neceſſario oritur. Intemperies vero calida adeoque inflammatio ſæpe fit ab eorundem humorum reſtagnantium obſtructione. Qua de cauſſa etiam in illis inteſtinorum regionibus maximi dolores percipiuntur, ubi illa flectuntur, adeoque ipſa via eſt anguſtior.

Quod autem ad inteſtini exitum pertinet, duplex ejus itidem

Digitized by Google

itidem eſt genus. Etenim *primò*, non raro propter Sphin-
cteris muſculi relaxationem vel debilitatem inteſtinum ſede
ſua prolabitur. Quod etiam interdum fit ſi quis magno
conatu alvina excrementa excernat. Hinc in difficili vel vio-
lento partu fœminis fieri contingit. Pueris accidere quoq;
ſolet ob ſphincteris laxitatem πρόπτωσις inteſtini, perinde ut
urinæ incontinentia.

Deinde idem quoque fieri ſolet in teneſmo: tali vide-
licet affectu, qui cum perpetua deſidendi cupiditate eſt
conjunctus, quum tamen vix quicquam egeratur, ab hu-
morum acrimonia inteſtino ſubinde vellicato & ſtimulato.
Huic autem poſteriori affectui affinis eſt ipſius inteſtini
exulceratio. Quali Titum Pomponium Atticum fuiſſe ex-
ſtinctum, in vita ejus apud Cornelium Nepotem legitur.
Quod ipſum quoq; fortasſis regi huic divinitus contigit.

Et vero quod de dolorifica inteſtini affectione paullo
ante dictum fuit, de dyſenteria quoque maxime debet in-
telligi. Qua regem & quidem per integrum biennium
fuiſſe affectum, non immerito fortasſis poteſt affirmari. Eſt
videlicet Dyſenteria, (prout à recentioribus Medicis vox
illa ſtrictius accipitur,) inteſtini exulceratio, talis, ut quum
incrementum ſumſerit, ipſa ramenta tunicarum inteſtini
excernantur. Quod ipſum non poſſunt non gravisſimi cru-
ciatus comitari. Talis etiam dyſenteria curationem non ad-
mittit. Tanto tamen intervallo temporis dyſenteria non
ſolet durare. Quapropter quod Rex ille, ſive vera dyſente-
ria ſive alio quocunque inteſtini morbo laboraverit, conti-
nuo illo biennio atrocem illum affectum ſuſtinuerit, ſine du-
bio, ſicut ipſe affectus divinitus ipſi in pœnam irrogatus fuit,
ſic quoque ſupra naturales cauſſas & vires fuit factum.

Ad Jobi I. ✠. 16. 19.

Quin inter alias illas quæ Jobum affixerunt calamita-

tes

tes ignis ille cœlitus delabens, & ventus ædes, in quibus liberi ejus convivabantur, diruens, à Cacodæmone ipſo fuerint excitati, videtur plane eſſe extra omnem controverſiam ponendum. Certe nulla apparet ratio, quare à litterali ſenſu recedentes alias interpretationes h. l. venari velimus. Nam Gregorii Magni allegorias plane eſſe ſupra vel potius (ſi verum fatendum eſt) contra ipſum hiſtoriæ ſenſum, res ipſa manifeſto docet. Quandoquidem vero ad N. quoque T. hiſtorias de tempeſtatum cauſſis diſſerendi iterum nobis dabitur egregia occaſio, non alienum fuerit, quæ hic annotanda erant, eousque reſervare.

Ad Jobi II. ℣. 7.

Quo morbo laboraverit Jobus apud interpretes non eſt extra controverſiam poſitum. Origenes nullo non mali genere omnibus membris percuſſum putat, cujus iſta ſunt: *Nullum* (inquit) *dereliquit ſupplicium, neque pœnam, neque dolorem, putredinem, vermes, oſſium diviſionem, nervorum fatigationem, membrorum debilitationem, atq; totius carnalis compaginis paſſionem, atq; dolorem: jacere non poterat; ſedere non valebat.* Atque ita etiam Mercerus Comm. ad ad h. l. ſtatuit: nec alia eſt Pinedæ ſententia, qui hunc verſiculum ita παραφράζει. *Hæc adverſarius accepta poteſtate, & ab angelorum ſanctorum, judicisq; præſentia diſcedens prima quoque hora Jobum invadit, & arte, ſcientiaq; nocendi omnibus corporis humoribus, partibusq; à vero & naturali ſtatu dimotis, totum illius corpus maligno ulcere infecit, & afflixit ejusmodi, ut nulla particula integra & incolumis remaneret à ſummis unguiculis ad usque capitis verticem. Namq; non tantùm uno fœdiſſimo morbo laboravit, ſed penè innumeris letalibus, atq; inſanabilibus; præter Phagedænam enim, & Cacoëthem, quæ per univerſum corpus ſerpebant, illum cruciabant Eriſipeles, cancer, ignis ſacer, lepra fœdiſſima, turpis*

elephantiaſis, moleſtiſſimus & implacabilis pruritus, venerea lues longè turpiſſima & fœdiſſima, vermes mordaciſſimi; pediculi, diræ beſtiolæ motu vehementer ſævientes; viſcerum putredo, dyſenteria, inteſtinorum ulcera, teneſmus, renum dolor acerbiſſimus, pulmonum exulceratorum ſanies; putre, tetrum, amarum ſputum; graviſſimus halitus, pleuritis; linguæ, faucium, tonſillarum phlegmon; angina, aſthma, incubus, vigilia, eſuritio canina, coſtarum dolor, ardentes febres, totius corporis marcor, & atrophia; implacabiles dolores capitis, oculorum, omniumq; molliſſimarum corporis partium: ut, alia omittam, frequentia deliquia, cordis ſyncopen, palpitationem, crebros ſingultus; & occultiores alios Dæmonis ſævitia & arte morbos effectos: quos eò graviores fuiſſe exiſtimare oportet, quò diuturniores; namq; non uno aut altero, ſed pluribus menſibus, forte etiam annis, in illis fuiſſe credere licet.
Veterum plurimi putredine verminoſa carnem ejus laboraſſe exiſtimant: quæ quoque ſententia probari poſſe videtur ex cap. VII. 5. *Induta eſt caro mea vermibus & ramento pulveris: cutis mea rupit ſeſe, & diſſolvit ſe.* Ita ſtatuit Ambroſius: *Rarus Job invenitur in terris, qui & divitias amiſit & filios, & vibicibus corporis exarabatur, cum vermes toto corpore fluerent.* Serm. 8. in Pſ. 115. pag. 654. Hieronymus ad Pammach. adverſus error. Joh. Hieroſolymitani: *Donec Job, tormentorum victor, & teſta radens putridæ carnis ſaniem, miſerias ſuas reſurrectionis ſpe ſoletur: — Illud vero, quod infert: Et rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum: puto quod non loquatur quaſi amator carnium, quas putridas fœtentesq; cernebat: ſed ex fiducia reſurgendi contemnit præſentia, ſolatio futurorum. Rurſum ait, Circumdabor pelle mea. Ubi hic corpus æthereum? ubi aëreum, & ſpiritui, & auræ ſimile? certè ubi pellis, & caro, ubi oſſa, & nervi, & ſanguis, & venæ, ibi carnis ſtructura,*

ſtructura, & ibi ſexus proprietas. Et in carne, inquit, mea videbo Deum. Quando omnis caro videbit ſalutare Dei, id eſt, Jeſum Deum, tunc & ego videbo redemptorem, & ſalvatorem, & Deum meum, videbo autem in iſta carne, quæ me nunc cruciat, quæ nunc præ dolore deſtillat. Iccirco Deum in carne conſpiciam, quia omnes infirmitates meas ſua reſurrectione ſanavit. Nonne tibi videtur jam tunc Job contra Originem ſcribere: & pro carnis veritate, inqua tormenta ſuſtinuit, alterum contra hæreticos habere certamen? Dolet ei, ſi tanta ſit fruſtra perpeſſus: & alia ſpiritualiter reſurgente, iſta carnaliter cruciata ſit, unde inculcat, & exaggerat, & omnia lubricæ confeſſionis arcana manifeſta voce concludit, dicens: Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Is ſi non in ſexu ſuo reſurrecturus eſt: ſi non eisdem membris, quæ jacuêre in ſtercore: ſi non eosdem oculos aperiat ad videndum Deum, quibus tunc videbat vermiculos.

Ad Jobi XXVIII. ℣. 1. & ſeqq.

Quæ hoc capite occurrunt potiſſimum ſpectant ad rem Metallicam & lapidum, & iſtam quidem præcipue. De qua proinde ut ſaltim quædam afferantur, ipſius rei dignitas quam maxime expoſcit.

Et quidem ex univerſa illa Metallica re cumprimis h. l. attingitur locus eorum in quo generantur, quem Metallicæ rei ſcriptores, & quidem præcipue princeps eorum Georgius Agricola, *venam* nominant, noſter autem Lutherus vocabulo Germanis Metallurgis uſitato Gänge. Quo vero tanto clarius illud ipſum pateſcat, non abs re fuerit hic quædam ex unico illo & incomparabili rei Metallicæ ſcriptore adducere.

Scilicet ipſa vox *venæ* duplici ſenſu apud Metallicos accipitur: partim canales ipſos ſeu ductus per terram diſperſos Metalla continentes, partim ipſam illam terram

 metal-

metallicam, ſeu materiam ex qua metalla excoquuntur, denotans. Quod ipſum notatum fuit ab Agricola non uno loco, primis *libb. 3. de ortu & cauſis ſubterraneorum*; ubi tamen, in priori illa ſignificatione voce illa præcipue utitur. Poſteriori vero ſenſu quam maxime vocem illam uſurpat in *Beermanno* ſuo: quo eodem libro plurima de venis iſtis ſcitu apprime digna dilucide exponit. De venarum autem variis differentiis cumprimis idem ille agit *lib. 3. de re metallica*: Sicuti de reliquis omnibus ad venarum illarum naturam & varietatem, inquiſitionem, item & probationem, reliquaque alia pertinentibus, in aliis præſtantiſſimi illius operis libris.

Quod ſi quis vero de ipſorummet metallorum materiali cauſſa ſciſcitetur, duæ ferme de ea ſunt ſententiæ. Et quidem Chemici, quiq; eos hac in re ſequuntur viri longe doctisſimi, quos inter nomen ſuum quondam etiam profeſſus fuit Cornelius Martini, metalla omnia ex ſulphure & argento vivo conſtare aſſerunt: cum aliis argumentis, tum eo quoq; & cumprimis quidem inducti, quod in metallorum liquatione & argentum vivum & ſulphur redoleat. Adverſus quam tamen ſententiam fuſe diſputat idem ille Agricola *lib. 5. de ortu & cauſis ſubterraneorum*. Scilicet, licet utrumque illud ſæpisſimè eodem loco cum metallis reperiatur vel iis adhæreſcat, inde tamen non licuerit hæc ipſa ſtatim pro metallorum communi materia habere. Quod ipſum etiam obſervatum fuit à clarisſimo noſtro Conringio tum aliàs, tum *l. de Hermetica Medicina*. Quapropter nos etiam non dubitamus Agricolæ ſententiam præferre, terram & aquam pro metallorum materia agnoſcentes, quem proinde etiam omnino operæ fuerit pretium *loco indicato* legere. Cui tamen commode jungi poteſt, vel in ejus defectu ſolus adiri, Johannes Mattheſius in *Sarepta* ſua.

Ad

Ad Pſalm. LI.

Multi propter ignorantiam hyſſopi dum neſciunt quam vim habeat, vel ad purgandum pulmonem, vel ut dicitur ad ſaxa radicibus penetranda, cum ſit herba brevis atq; humilis, omnino invenire non poſſunt, quare dictum ſit: Aſperges me hyſſopo, emundabor. Auguſtinus *l. 2. de doctr. Chriſt. c. 16.* Similia tradit *l. eod. c. 41.* Vid. B. Aut. Phyſiol. Paſſion. Chriſti c. 8.

Ad Pſalm. CXIX.

Quamvis h. l. non conveniat inter Interpretes, an voce Hebræa *Patz* aurum purgatiſſimum ſive finum, an vero lapis Topazius intelligendus ſit: tamen quæſtionem illam nunc ſeponentes ipſe locus admonet, ut de auri præſtantia, & quam ob cauſſam illud ab omni ævo & apud omnes ferme gentes in ſummo pretio habeatur, aliquid in medium afferatur.

Et vero Johannes Franciſcus Picus Mirandulanus toto *lib.* ſuo *1. de auro* non potuit hic ſeſe expedire. Unde *lib. eod. cap. 1.* ſcribit: *conveniſſe quidem mortales, ut aurum nimio plus æſtimarent; cur autem convenerint, non conſtare.* Quapropter etiam nihil omnino certi ille concludit, ſed rem tanquam omnino dubiam in medio relinquit.

Ceterum quicquid ſit de Pici argumentis, longe firmiora attulit ille toties jam laudatus Agricola. Scilicet aurum propter ſummam puritatem in maximo eſſe pretio, recte oſtendit *lib. 5. de ortu & cauſis ſubterraneorum, ſub finem.* De eodem *l. 8. de natura foßilium, ſub init.* ita porrò ſcribit: *Auro puro color fulvus, nitor præcellens, maxime polito, natura ſingularis & eximia. Etenim igni liqueſcit & fundi poteſt. Verum tantum abeſt, ut eo conſumatur, ut unum ex omnibus metallis nihil de ſua magnitudine deperdat, ſed quo ſæpius & diutius etiam in magno catino arſerit, & apparuerit ignis colori ſimillimum, eo fiat melius & præſtantius. Qua*

de cauſa ſemper habitum eſt pretioſiſſimum. Hactenus Agricola illo loco.

Conatur quidem Picus *cap. 5. lib. modo adducti* oſtendere, nec puritatem nec diuturnitatem auri proprie cauſam eſſe, ut tanti fiat ab hominibus. At vero quæ adducit argumenta, non ſufficiunt ad id quod volebat evincendum. Licet enim aurum manibus contrectatum nonnihil tingat: tamen illud partim non ab ipſo auro puro eſt, ſed ab aliis metallicis rebus ipſi adhærentibus; partim eſt ab eo, quod aurum purum minus ſit durum quam alia metalla. Immovero longe minus aurum purum digitos inquinat, quàm alia metalla. Præterea tametſi quam maxime tingeret contrectantium manus; inde tamen nequaquam deſumi poteſt argumentum impuritatis. Nihil aliud quippe ex eo licet colligere, atque minus firmiter id eſſe concretum. Duritie igitur aurum à lapidibus quidem ſuperatur, non item puritate: niſi utramque quis per magnum errorem confundat.

Multo minoris ponderis eſt illud quod de lapidibus ſubjungit Picus, quaſi videlicet illi diuturniores ſint auro. Quamvis enim multi illorum valde ſint durabiles, nec facile vim patiantur: nihilominus tamen non eſt, quod propterea auro debeant præferri. Nam & ipſi variis modis poſſunt corrumpi, nec ita multas operationes ferunt ſicut aurum: utpote quod ſemper ad naturam ſuam redeat, nec unquam corruptionem ſentiat, & variis modis pro hominum uſu poſſit ſubigi & præparari.

Quandoquidem vero propter tres ferme cauſſas res in univerſum quævis apud mortales in magno pretio eſſe ſolent,; vel quod pluribus aliis rebus excellant, vel majores uſus afferant, vel rariores ſint: quin pleræque hæ auro quoque competant, non eſt dubitandum. Etenim natura præ-

ra præſtat ceteris, & eſt rarum. Quanquam autem non eſt utile ad ſecandum ſicut ferrum; tamen rebus omnibus affert ornatum. Quibus de cauſsis etiam nobilisſimas quasque nationes ſemper habuiſſe aurum pretioſisſimum, itidem recte aſſerit idem ille Agricola *lib. 1. de pretio Metall. & monetis, ſub initium:* ubi de hac ipſa metallorum nobilitate plura peregregie diſputantur.

Ad Proverb. X. ℣. 26. Jerem. XXXI, 29, 30. Ezech. XVIII, 2.

Quo ſimilitudo illa & vis ejus eo clarius pateſcat, notari poteſt (1) acetum & in univerſum omnia acida nunquam non obſtupefacere dentes. Unde etiam deſumta eſt alia quædam ſimilitudo, ab uvis immaturis petita, apud Prophet. Ezech. *cap. 18. v. 2.* Et quidem illud ipſum quandoque usque adeo dentes offendit, ut quodlibet ſolidius corpus ſeu cibus vel difficillime vel certe non ſine magna moleſtia dentibus admoveri poſſit: quin imo etiam non raro quispiam propter eam cauſſam non commode posſit loqui, quod aëris allapſu ad dentes iſto modo obſtupefactos magna creetur moleſtia.

Si quis igitur iſtius rei cauſſam ſciſcitetur, non poteſt utique id aliunde eſſe, quam quod acida ſimul ita in ipſos dentes penetrent, ut temperiem illorum immutent. Id quod etiam faciunt auſtera. Videtur autem intemperies iſta partim in adſtrictione & ſiccitate, partim in refrigeratione quadam conſiſtere. Et vero vehementi quoque frigore dentes offendi conſtat. Sunt videlicet dentes calidisſimi. Propter quam etiam cauſſam dolores illorum ſolent eſſe atroces; & morſus illis facti non ſolent carere malignitate quadam, ita ut parti admorſæ ἐμπύρευμα quoddam & efferveſcentia quaſi imprimatur: quamquam ſaliva tum fermentationem ſentiens ſimul aliquid conferat.

Acetum

ſuperveniat, ita ut ſupplicii illud genus valde lentum ſit & maxime horrendum.

Ad Proverb XXV, 21. Rom. XII, 20.

Si eſurierit &c. non in maledictum & condemnationem (ut plerique exiſtimant, ſed in correctionem & pœnitudinem: ut ſuperatus beneficiis, excoctus fervore charitatis, ut inimicus eſſe deſiſtat. Hieronym. *dialogor. adver. Pelag. lib. I. pag. 274.* Idem *ad Hedibiam quæſt. I. Neq; verò hoc quod dicitur: hoc enim faciens carbones ignis &c. in malam partem accipiendum eſt, ſed in bonam. Quando enim inimicis noſtris præbemus beneficia, malitiam eorum noſtra bonitate ſuperamus, & mollimus duritiem, iratumq; animum ad mollitiem & benevolentiam flectimus.*

Ad Proverb. XXXI. ℣. 4. 5. 6. 7.

Vinum meracum & generoſum, & quemvis alium generoſiſſimum potum, vim obtinere inducendi oblivionem, vel tali potu inebriati oſtendunt: ut qui non duntaxat illorum quæ paullo ante dicta vel acta ſunt inter pocula obliviſcantur, ſed etiam poſtridie non poſſint ita omnium illorum, quæ pridie tum contigerunt, recordari. Cujus cauſam ab ebrietate dependere certum eſt. Et quidem ebrietatem conſiſtere in humorum in capite facta efferveſcentia, jam ſupra fuit annotatum. Præterea vero cum efferveſcentiâ illâ magna fit collectio humoris ſeroſi in capite. Id quod usque adeo certum eſt, ut illi quibus caput multis humoribus & vaporibus eſt repletum, etiam plerumque fieri ſoleant oblivioſi: ceu videmus cum in aliis, tum in pueris & ſenibus. Ut vel hinc clarius fiat mutuum illud humorum & facultatis ratiocinatricis commercium. Præterea omnia illa medicamenta, quæ ad memoriæ reſtaurationem vel conſervationem commendari ſolent, inter alia vim obtinent ſiccandi. Quo non minus etiam referri de-

bet, quod apoplectici & ejuſmodi aliis affectibus correpti, magna etiam rerum oblivione ſoleant laborare. Illorum vero affectuum cauſſa plerumque eſt ab ejuſmodi humoribus in capite collectis. Hinc etiam procul dubio factum eſt, quod jam priſco ævo vinum propinatum fuerit illis, qui jam jam ultimo ſupplicio erant afficiendi. Quo hoc ipſo loco reſpici aliqui putant: ſive potius mori iſti minime laudando patrocinium quæſitum fuit ex h. l. Quod enim priorem ſententia attinet, de calamitoſis & pauperibus hic ſermonem eſſe, Mercerus & Amama *lib. 3. Antibarb. Bibl.* obſervant.

Ad Eccleſiaſtæ I. ℣. 7. Sirac. XL, 10; vel XLI, 1.

Hujus loci occaſione diſceptare ſolent rerum naturalium ſcrutatores de fluviorum & fontium origine; num videlicet (ceu h. l. aſſeritur) ex mari prodeant, perinde ut in illud tantum non omnes effunduntur. Etenim quidam ſunt, qui ab ipſa terra quaſi abſorpti in mare proxime quidem, & via nobis cognita, non exonerantur. Id quod etiam contingit ipſi in S. litteris maximè commemorato fluvio Jordano. Idem quoque cum de aliis tum de illis fluviis dicendum venit, qui in lacum Mæotidem non pauci & ingentes amnes effundunt.

Scilicet circa exortum pariter & exitum fluminum fontiumque magnæ & notabiles deprehenduntur varietates. De quibus operæ pretium eſt legere quæ inter alios con-

Qui ſcrupuloſius iſta quærunt & diſſerunt, æthereo ſuperlapſu ac mari [illegible] inviſibiliter dicunt extrahi vaporem, his videlicet aſcenſionibus, quas nullo modo ſentire poſſumus: inde conglobari nubes, atq; ita terram imbribus madefactam antris occultioribus inſtillare atq; inſudare tantum, quantum collectum & per diverſos tramites lapſum erumpat in fontes, ſive parvos, ſive gignendis fluminibus idoneos. Cujus rei documenta eſſe volunt, quod marinarum aquarum decoctarum vapor ſinuato cooper-

culo

congeſſit toties nobis jam laudatus Agricola *lib. 3. de Natura eorum, quæ effluunt ex terra.*

Quod ſeorſim vero hanc, quæ h.l. innuitur, quæſtionem concernit, potiſſimum & præ aliis illam more ſuo eleganter tractavit Libertus Fromondus in longe doctiſſimo opere *meteorologico.*

Quod ſi itaque quid demum de hac re proprie ſit ſentiendum, ſummatim comprehendere quis velit: non videtur utique eſſe dubitandum, quin veritati hæc maxime ſint conſentanea, atque eo ſenſu quem verba præ ſe ferunt omnino capienda: hac *primo* tamen addita neceſſaria diſtinctione, quod flumina quidem omnia in mare effundantur, quædam tamen proxime, & aperte: quædam verò non proximè quidem, ſenſim tamen, & viis præterea nobis incognitis. Quorum poſteriores hos fluvios per cavernas & hiatus ſubterraneos tandem mari infundi, quam maxime veroſimile reddunt illa, quæ partim jam attingimus, fusè autem recenſuit Agricola. Quod autem de fluminum ſub terra abſorptione diximus, idem quoque de ipſo mari fuerit intelligendum. Nam & illius altitudo multis in locis non poteſt explorari. Et præterea variis in locis varios & nobis incognitos ſub ipſa terra agit cuniculos.

Deinde vero fontes & flumina quædam non procul à

culo exceptus humorem dulcem guſtantibus exhibet. Et omnibus fere manifeſtum eſt, diminutos fontes inopiam ſentire pluviarum. Atteſtatur & divina hiſtoria, cum Helias tempore ariditatis imbrem poſceret: juſſit enim cum ipſe oraret, ut puer ſuus ad mare attenderet: unde cum videret oriri perparvam nubeculam, pluviam ei ſolicito adeſſe nunciavit, qua mox etiam fugiens irrigatus eſt. Et David dicit: Domine qui advocas aquam maris, & effundis eam ſuper faciem terræ. Auguſtin *imperfecto libro de geneſi ad literam c. 14.*

mari ortum ſuum ſumere, non eſt obſcurum. Quî tamen de illis fontibus & fluminibus, quæ ex magnis montibus & locis à mari longe remotis exiſtunt idem aſſirmari poſſit, quod nempe ex mari itidem originem ſuam ſumant, minus videtur conſtare. Neque vero hæc ita ſtricte poterunt accipi, quaſi non aliæ quoque ſint cauſſæ fontium fluminumque exortus. Scilicet quod de fluminum exitu modo fuit allatum, idem quoque de eorundem ortu videtur ſtatuendum: quod nempe magna pars ab ipſa terra hauſta & per eam quaſi percolata deinceps ad alia loca delata iterum prorumpat.

Etenim ſub ipſa terra varios eſſe fluvios & magnos lacus, vel ex terræ motibus conſtat; utpote quibus ſæpe fluviorum curſu aliò abrepto ſubito illi ſiſtuntur, & ſæpe quoque ſubito magna vis aquæ prorumpit, ubi antehac locus plane ſiccus erat & ſolidus. Ita in vicinia fluvius Ilſa ſub Blockebergo prodit, ubi murmur ſubterraneum ſive potius ſubmontaneum auditur. Debet etiam hic illud attendi, quod (ceu h. l. obſervatur) quum tanti fluvii in mare ſeſe exonerent, non tamen illud fiat majus, niſi tempeſtatibus excitatis. Non videtur autem immenſa illa aquarum vis talis, qualis eſt, poſſe permanere, niſi ſint in profundo maris loca alia, quæ vim illam recipiant, & alio iterum loco quaſi eructent. Non poteſt etiam res aliter ſe habere, quin lacus, maria, & ipſi fluvii nobis incognitos ſub terra habeant canales, per quos aqua ab uno loco in alium defertur. Nec enim aliàs apparet, quomodo lacus Mæotis, qui tamen tot tantosque fluvios recipit, intra fines ſuos ſe poſſit continere: vel etiam lacus Aſphaltites & Sodomiticus Jordanem ſeſe in eos exonerantem recipere, cum tamen eapropter lacus illi nihilo fiant majores: ne quid nunc de aliis hujus rei mirabilibus experimentis dicamus.

Ad

Ad Eccleſ. IX. ℣. 19. vel 21. aut X. ℣. 1.

Huc eleganter alludit Hieronym. *ad Marcell. de accept. munuſc.* ita ſcribens: *Quod autem & matronis offertis muſcaria parva, parvis animalibus eventilandis, elegans ſignificatio eſt, debere luxuriam cito reſtinguere: quia muſcæ morituræ oleum ſuavitatis exterminant.*

Ad Eſaiæ V. ℣. 6.

Notiſſimum eſt, loca inculta & deſertos deſolatosque agros ſentibus & vepribus ſponte ſua ibi luxuriantibus oppleri ſolere. Qua de cauſſa etiam Deus tum hic tum alibi paſſim per Prophetas ſuos talem deſolationem & ſentium vepriumque proventum mortalium peccata vindicaturus nunquam non ſolet comminari. Id quod etiam ſtatim à transgreſſione Adami agro maledicto fuit interminatus. Ut non abſurde fortaſſis quis exiſtimet, absque illa protoplaſtorum transgreſſione fuiſſet, paſſim agris frumenta & omnes ad vitæ ſuſtentationem neceſſarias & fructiferas plantas ſponte ſua fuiſſe prodituras. Nec enim alias, quomodo proventus veprium, carduorum, urticæ ſimiliumque aliarum herbarum in pœnam ſit irrogatus, ratio ulla apparet. Quum itaque deinceps ab illa divina maledictione fuerit talium plantarum ſpontanea productio facta naturalis, merito quæritur: qualisnam vis ſit illa, quæ ejusmodi infrugiferas & ad cibum inutiles ſtirpes ſponte ſua quaſi ex gremio terræ profundit: num videlicet hæc ex nihilo producantur, an vero beneficio alicujus ſeminii.

Et quidem *ex nihilo nihil fieri*, Lucretius juxta cum omnis ævi Philoſophis recte affirmat: loquendo videlicet

Venuſte huc alluſit Hieronym. *ad Euſtoch. de cuſtod. virgin. p. 139. b. Sint tibi quotidiana jejunia, & refectio ſatietatem fugiens. Nihil prodeſt biduo triduoque tranſmiſſo vacuum portare ventrem, ſi pariter obruatur, ſi compenſetur ſaturitate jejunium. Illico mens repleta torpeſcit, & irrigata humus, ſpinas libidinum germinat.*

per obitu uxoris Paulinæ epiſtola vigeſima ſexta: Tale quid & Dominus loquitur ad Prophetas, quod poſuerit faciem eorum quaſi urbem aliquam & lapidem adamantinum, & columnam ferream, ne paverent ad injurias populi, ſed impudentiam ſubſannantium frontis rigore contererent. Ingenia liberaliter educata facilius verecundia quam metus ſuperat: & quos tormenta non vincunt, interdum vincit pudor.

Ad Jerm. VIII. ℣. 7.

Plurimis avium in naturali more eſt poſitum, hieme adventante, quinimo ſub ipſum autumnum, loca illa quæ æſtivis & vernis temporibus incoluerant, aliis mutare: in priores ſuas ſedes Vere ingruente rurſus reverſuris. Quas inter præcipue illud ipſum obſervant eæ, quas h. l. ipſemet Deus per Prophetam adducit. Præterea vero non tantum multa avium genera ſolent ita pro anni temporibus habitacula ſua mutare, ſed etiam (quod adhuc magis admirationem meretur) complura & alias peregrina, hisque noſtris Septentrionalibus regionibus ignota avium genera, loca Septentrionalia ſub fœturæ ſuæ tempus petunt, ad ova ibi excludenda, & cum pullis ſimulatque ad volandum apti fuerint, mox iterum abitura. Quod cumprimis obſervare licet in Sveciæ rupibus & Scotiæ Septentrionalibus Inſulis: utpote quæ loca ab iſtiusmodi peregrinis avibus, pullos ſuos ibi excubatum illa gregatim & immenſo agmine petentibus, usque adeo ſolent oppleri & inſideri, ut apud plurimos res illa vix mereatur fidem. Quod ipſum tum propter calorem æſtivum in partibus Septentrionalibus intenſiorem, tum etiam loci ſecuritatem procul

---

Ciconiæ reditus vexillum veris attollit. Ambroſ. *l. 5. hexaem. c. 14* Et *ib. c. 4: Novit pia avis annunciare adventus ſui teſtimonio veris indicium.* Quo hirundines abeant, Sebiz. *l. 3. de aliment. p. 821. 822, 823.* Coturnices etiam abeunt. Bellon. *l. 2. obſerv. c. 17.*

procul dubio contingit. Hinc ſane nata eſt illa fabula de Britannicis conchis anatiferis: quæ usque adeo multis doctis etiam fuit perſuaſa, ut ab eis res illa admiranda ſit commendata. Unde picturas illam concharum ſuo operi *Botanico* quoque inſeruit Matthias Lobelius. Creditum videlicet fuit, reperiri in rupibus illis Scoticis in Oceanum prominentibus peculiare quoddam arborum genus concharum iſtiusmodi ferax; quæ conchæ deinde ſuccedente tempore, ubi quaſi ad maturitatem pervenerint, ſponte deciderent in ſubjectum mare, ubi illis naturæ vi apertis vivi anates inde prodirent. At vero Claccas (ſic enim proprio nomine ſilveſtrium & marinorum anatum illud genus appellatur) ovis ſuis incubantes nautæ non ſemel deprehenderunt. De admirabili vero copia peregrinarum avium propter fœturam in illa loca è longinquis terris advolantium teſtimonia apud alios oculatos teſtes reperiuntur: nobis autem nunc ſufficiat duntaxat illa commendaſſe, quæ Guilielmus Harveus itidem αὐτόπτης de iis annotavit *Exerc. 10. de generatione animalium.* Seorſim vero *de Ciconiis* elegantem libellum ſcripſit vir doctiſſimus Martinus Schoockius.

Ad Danielis IV.

De affectu hoc Nabuchodonoſoris in pœnam nimiæ & intolerabilis inſolentiæ divinitus ipſi immiſſo quatuor fere ſunt opiniones, quas in unam ſummam collectas inter alios eleganter proponit doctiſſ. Jordanus *lib. de eo quod divinum eſt, in morbis.* Etenim alii Regem illum melancholico quodam delirio fuiſſe affectum cenſent: alii mania & furore correptum: alii ab ipſo Cacodæmone obſeſſum: alii verò hominis figura depoſita in brutum transmutatum fuiſſe.

Ceterum (?) inſania ſeu furore illum fuiſſe corrptum, ex hiſtoriæ narratione non licet colligere. Qui enim in furorem

furorem aguntur, ſolent ſævi & crudeles fieri; ceu in omnibus maniacis obſervatur. Multa quidem illi patiuntur, quæ beluinam naturam ſapiunt: veruntamen ſimul nunquam non furibundæ, & violentæ actiones ſunt conjunctæ.

Nec etiam (2) Dæmoniacum regem illum fuiſſe factum, licet ullo modo colligere: quum illorum hominum mores & actiones longe ſint aliæ. De qua re ad Chriſti facta nobis fuerit agendum. Licet enim maniaci & phrenetici nonnunquam ita horrendis modis ſeſe gerant, ut ab ipſis malignis ſpiritibus illos regi non vana poſſit oriri ſuſpicio; attamen & peculiaria ſymptomata patiuntur οἱ ἐνεργούμενοι, à quibus quæ hic contigiſſe memorantur abludunt.

Multo minus (3) veram metamorphoſin hominis in brutum illi factam fuiſſe, licet affirmare. Ne quidem talem aliquam λυκανθρωπίας, quæ melancholiæ ſpecies eſt, illum fuiſſe paſſum, vero eſt ſimile. Tales enim homines depravatam quidem habent imaginationem; non tamen propterea ita ſeſe gerunt vel illa patiuntur, quæ Rex ille fuit expertus. Neque putandum eſt, diabolicis artibus intervenientibus iſtiusmodi affectum Regi accidiſſe. Quæ enim

 per

Regem laboraſſe lycanthropia putat Hoffman *l.3. inſtitut.c.36. ſ.6.* A quo quod ad rem ipſam pertinet non diſſentit Vall. *c.80. l.de ſac. phil.* Ariſtoteles *7. Eth.1.* dicit talem morbum eſſe inter nationes barbaras maxime; quod ego accipio de tali ecſtaſi vel lycanthropia qualis eſt Livonum & Nerviorum, quod mirifice confirmant loca iſta ab Ortelio *theſ. Geogr.* voce *Nervii* notata. Ut ita illis gentibus iſthæc ſcelera ſint plane hereditaria, ab antiquiſſimis majoribus & gentium conditoribus communicata: quod vel illi delectati fuerint talibus, vel in eis regionibus ſeptentrionalibus maximam poteſtatem habuerit cacodæmon, quod Lactantius voluit.

Digitized by Google

per magicam illam & diabolicam λυκανθρωπίαν hominibus offeruntur, longe aliter ſe habent. Et ita affecti ad paucas duntaxat horas vel dies id patiuntur; nec etiam, nedum per tot integros annos, cum ipſis brutis geſtiunt cohabitare: ceu conſtat partim ex confeſſione, partim ex aliis obſervationibus, in iſtiusmodi hominibus deprehenſis. Quales nefariæ artes multis in locis hodieque nimis ſunt uſitatæ, magiſtratu ad ſcelera illa connivente, videlicet in Lituania, Curlandia, Livonia, aliiſque regionibus. Neque vero huic de vera metamorphoſi opinioni quicquam patrocininatur, quod ipſemet apud S. Prophetam temporibus illis exactis ſe ſibi redditum & ad ſe rediiſſe affirmet. Nam ſine dubio rectius alii mentem ſuam ad ſe reverſam fuiſſe reddunt. Etiamſi quoque vulgari interpretationi quis in hærere malit; commode tamen ita poteſt exponi: quod habitu illo belluino ſepoſito, hominis mores & externum habitum repetiverit. Nec enim cum brutis herbam comedere, & pilos & ungues avium more nutrire, homini & ejus habitui competit. Quomodo hunc locum inter alios quoque noſtro judicio recte exponit Guilielmus Eſtius in *aureis* ſuis *annotationibus*.

Quum igitur tali aliquo affectu, h. e. vel furore ſive naturali ſive dæmoniaco vel metaphormoſi Regem illum

fuiſſe

De lycanthropia iſta digna ſunt quæ ſcribit Voſſ. *l. 3. de idolat. c. 41.* & Caſpar. Peucerus *de divinat. pag. 286. ed. Poſtr.*

Multo minus eſt, quod quis audiat Epiphanium *l. de vit. prophet.* in vita *Danielis* ita ſcribentem: Ἐγένετο θηρίον καὶ κτῆνος, ἦν γὰρ τὰ ἐμπρόσθια αὐτοῦ ὡς βοὸς σὺν κεφαλῇ; καὶ οἱ πόδες αὐτοῦ σὺν τοῖς ὀπισθίοις ὡς λέων. Vid. Bodin. *l. 4. theat. nat. p. 537.*

Digitized by Google

fuiſſe correptum, nequaquam videatur vero conſentaneum. Super eſt, ut (4) conſideremus illam opinionem, quæ primo loco fuit jam tum in medium adducta: videlicet an melancholia quadam Rex ille fuerit divexatus. Et quidem ſi per melancholiam quis duntaxat talem affectum velit indigitare, qui cum magna triſtitia & animi angore ſit conjunctus, hîc ne ille quidem commode poterit locum invenire. Nec enim tale quid vel tacite innuitur. Quin potius uſum rationis regi fuiſſe ademtum, nimis manifeſto apparet. Quod ſi igitur latius vocem illam extendendo, non duntaxat delirium ſed etiam amentiam ipſam quis ſub ea velit comprehere, non multum à veritate aberrabit.

Scilicet accurate loquendo inter delirium & ſtoliditatem ſive amentiam non exiguum eſt diſcrimen. Nam in quovis delirio phantaſia & propterea quoque ipſa ratiocinatio laborat: ita tamen, ut vel per intervalla malum illud mitigetur, & quodammodo rectæ rationis uſus ſimul eluceſcat; vel etiam alias ipſi maniaci quædam à ratione non aliena proferre ſoleant. Quin homines illi nonnunquam nimium à phantasmatibus divexati miros & varios & de omnis generis rebus facere ſolent conceptus. At vero qui ſtolidi & amentes ſunt, vix rationis veſtigium plerumque ſolent oſtendere.

Fatendum tamen eſt, pleroſque omnes hujus generis affectus nonnunquam valde inter ſeſe connexos, & unum in alterius naturam degenerare. Quomodo Maniaci revera in multis rebus plane brutorum in modum agunt. Nec aliò atque ad tales affectus pertinet ille, quem David ſimulavit apud Philiſtæorum Regem Achin *1. Sam. c.21. v.13.* Ita ut non immerito Rex ille potuerit metuere, talem ho-

hominem, qui ita ſeſe gereret, in inſaniam adactum iri.

Quicquid itaque ſit, de his aliisque hujus generis omnibus procul dubio quam maxime ad veritatem illi collimant, qui Regi huic Nabuchodonoſori phantaſiam ita depravatam fuiſſe putant. ut mentis uſu plane depoſito, beſtinos mores & ipſorum etiam brutorum cohabitationem adſciſceret & appeteret. Id quod non niſi per ingentem amentiam & phantaſiæ depravationem potuit fieri. Qualia ſymptomata nonunquam in quibusdam melancholicis quoque ſolent ſeſe prodere. Qui proinde affectus revera ſunt maxime divini, & humana opera, præſertim ſi inveterati fuerint, nunquam poſſunt curari.

Sane in omnibus illis affectibus, in quibus videlicet phantaſia & ipſa ratiocinatio laborat, humores ipſumque habitum corporis ſimul nunquam non affici, liquido conſtat. Prout enim humores aliter atque aliter ſunt temperati, pro eo quoque ipſos ſenſus internos ſimul diverſis modis ſeſe habere, quotidie vel in ebriis obſervare licet. Præterea qui ſunt calidiori corporis temperamento, illos quoque plerumque eſſe ingenioſos, itidem conſtat: quum ex adverſo qui frigidi ſunt, ſtupidi & minus intelligentes eſſe ſoleant. Quæ omnia porro confirmantur, tum morbis illis, quibus ipſa mens tentatur, quales ſunt phrenitis, mania, melancholia, & uno verbo quodvis delirium; tum etiam ipſa curandi ratione. Quando enim & calida intemperies corrigitur & etiam præternaturalis ſanguinis motus ad quietiorem reducitur, ſimul etiam ſenſus interni vel in integrum ſtatum vel ſaltem in meliorem reſtituuntur. Præterea quibus pituitæ copia tum ex reliquo corpore tum præcipue

Ita ex Ruperto Tuitienſi id etiam exponit Voſſius *l. 3. de idolol. c. 41.*

cipue ex capite per idonea media educitur, illis quoque mens antehac quaſi ſopita ſolet excitari. Quin etiam ſicubi humorum atque corporis intemperies & præternaturalis motus vel quies non poteſt corrigi, illos quoque ſibi & rationi ſuæ redditum iri, niſi divinitus auxilium ſuperveniat, nulla poteſt ſpes eſſe. Porro quoque quod de habitu corporis & temperie ejus immutata diximus, idem quam maxime apparet in maniacis & inſanis; utpote quibus univerſa ſanguinis maſſà & propterea univerſi quoque corporis habitus ita incaluit, ut frigidiſſimo etiam aëre nudi abſque ulla jactura ſub dio quoque & in frigidis locis, poſſint degere.

Quale quid procul omni dubio Nabuchodonoſori quoque contigiſſe, ex illis in proclivi eſt colligere, quæ *v. 30.* de eo commemorantur. Hominem ſane qui recte valeat poſſe illud ipſum ſine ſenſibili valetudinis detrimento vel ad exiguum tempus tolerare, nullo modo vero eſt conſentaneum: Quinimo plane adverſatur illis, quæ quilibet noſtrum, ubi vel terra vel mari tempeſtatibus jactatus, aut alias frigori vel injuriis aëris expoſitus fuerit, perſentiſcit. Neque vero quicquam huc facit, quod ille vixerit in Babylonia, h. e. loco calido. Nam & in illis regionibus anni ſunt viciſſitudines: & quo calidiores dies fuerint, eo frigidiores quoque plerumque ſolent eſſe noctes.

Quandoquidem vero iſtiusmodi affectus inveterati humana ope plane ſunt incurabiles, niſi quod ſub finem vitæ plerumque ſoleant ad ſeſe homines mente capti redire; (id quod à ſupernaturali adeoque divina cauſſa proficiſci vehementer eſt veriſimile:) quum igitur hæc ita ſeſe habeant, planiſſime liquet, reſtitutionem illam Nabuchodonoſoris in

Sub obitum ad ſe redire ſolent deliri, motu videlicet illo ſanguis ſopito & mox plane deſituro.

in integrum itidem plane fuiſſe divinam, ſicut ipſemet affectus plane fuit θεήλατος. Ut naturales cauſſæ nec quicquam ad affectum illum inducendum contulerint, nec ad ejus depulſionem.

Ad Daniel. V. ℣. *6*: IIX. ℣. 18: X. ℣. 9.

Quod de affectibus delirioſis temperiem & ſanguinis corporis ſimul immutantibus dictum fuit, idem quoque de affectibus animi eſt aſſerendum; Quin imo absque illis eſſet, τὰ πάθη animi usque adeo miris modis ſanguinem ipſumque corpus non percellerent. Ut conjunctio utriusque, corporis videlicet & animi ipſiusque rationis, adeo ſit magna, ut neutrum altero affecto non ſimul poſſit commoveri: quamvis modus, quo corpus animum & rationem, & hæc viciſſim illud ita ſubito & mutuo afficiant, plane nobis ſit incognitus, nec ullis conjecturis plene poſſit exprimi.

Quod ad hunc vero locum præcipue pertinet, ſane conſtat per ſubitaneum terrorem, metum ac conſternationem ſubito quoque corpus percelli, ita ut actiones ejus non unæ laborent; quorum omnium cauſſam tamen non niſi à motu ſanguinis ad cor per vim quaſi repulſi dependere non eſt obſcurum.

Nam 1. ſubitus ille pallor oris & faciei decoloratio non fit aliunde niſi à ſanguine ſubito ab illis partibus retracto. Id

---

Pallere & contremiſcere ſolent, quibus in publico & prima præſertim vice verba facienda ſunt. Ita Craſſus apud Tullium *l. 1. de orat. p. 272. f.* dicit: *Equidem & in nobis animadvertere ſoleo, & in meipſo ſæpiſſime experior, ut exalbeſcam in principiis dicendi, & tota mente atq; omnibus artubus contremiſcam.* Item alii affectus iis accidere ſolent, de quibus Seneca *epiſt. XI.*

Pallere ſolent ſtudiis invigilantes. Item famelici & qui jejuniis corpus macerarunt. Unde de Sabiniano diacono Hieronymus, *ad Sabinian. p. 231.*

Id quod nunquam quoque non in leviori etiam metu vel terrore ſolet obtingere. Quum ex adverſo per effuſum gaudium & verecundiam, vel etiam iram, partes illæ ſoleant efflorescere, à majori ſanguinis copia ad genas appellente. Non ſemper quidem pallor ille deficientis ſanguinis & caloris eſt indicium; utpote quum graviter concitato animo, & etiam in multis febribus iisque ardentibus & calidiſſimis, facies & ora ſoleant palleſcere: quod nempe calor ille tantus ſit, ut humores ſub genis diſperſos abſumat: in hoc tamen ſimilibusque aliis affectibus à refluente ad principium ſuum ſanguine, adeoque caloris defectu, illum pallorem induci, ex concurrentibus aliis ſymptomatibus cumprimis eluceſcit. Solent enim (2) ſicut reliquæ extremæ corporis partes, ſic facies quoque refrigerari. Refrigerationem vero à caloris eſſe defectu, nemo unquam vel auſus fuit in dubium vocare. (3) Lumbi & crura, quin univerſum corpus contremiſcere & trepidare ſolent.

Quænam vero tremoris cauſſa ſit, de eo (fateor) diverſæ ſunt doctorum opiniones: præſertim quum illi, qui facultatem tam locomotivam quam ſenſitivam nervis & cerebro primario

---

p. 231. a. *Exſanguis, marcidus, pallidus, ut ſuſpicione omni careres, Evangelium Chriſti quaſi diaconus lectitabas. Nos pallorem jejunii putabamus, exſangue os contra inſtitutum ac morem tuum, quaſi confectum vigiliis mirabamur.*

Tremor Corybantum in ſacris Cybeles fuit ab impuro genio excitatus: plane ſicuti hodiernorum. Quakerorum. Unde Hieronymus *ad Marcell.* eam invitans ad rus Bethlehemit. *Quomodo in theatralibus ſcenis unus nunc atq; hiſtrio nunc Herculem robuſtus oſtendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem.* Eraſmus *in ſchol.* addit: *Quoniam anus eſt, &c. Unde tremore corporis, velut ob ſenium repræſentabatur.* Quod in hiſtrionia tamen non concedo: repræſentabatur enim ibi ſacrorum illorum idea. A cacodæmone antea furore perciti Galli ſemet-

primario adſcribunt, in hoc affectu partes illas maxime laborare cenſeant. Ut igitur res eo clarius poſſit exprimi & diffiniri, paucis præmittendum fuerit, quidnam per facultatem ejuſmodi tam vulgo intelligatur, quam intelligi debeat.

Nam vulgo quidem per *facultatem* non niſi pars ejus ſolet denotare: illud videlicet, quod organo ipſi non ineſt, ſed aliunde ei communicatur. Unde *facultas* etiam vulgo à medicis Phyſiologis dicitur *influere*.

At vero rem recte reputantibus apparet, communem iſtam doctrinam de facultatibus earumque influxu minus veritati conſentire. Etenim per Facultatem ſeu δυύαμιν denotari debet omne illud, quod ad actionem aliquam perfecte edendam requiritur. Id vero non unum aliquod, ſed multiplex eſt: & partim quidem in ipſomet inſtrumento ſeu parte organica requiſitum, partim aliunde ad eam delatum. In ipſa jam parte requiritur juſta ejus conformatio, quæ itidem non in uno conſiſtit. Etenim ad eam pertinet juſta & conveniens figura, magnitudo, ſitus, unitas, utpote quum horum uno ſaltem vitiato ipſa quoque actio non pòſſit non vitioſe edi. Quandoquidem vero organo ipſo recte quamvis ſeſe habente nulla tamen actio peragi poſſit, niſi illa quoque quæ aliunde advenire debent adſint; quænam iſta ſint, non minus quoque debet conſtare. Eſt autem illud præcipue influxus calidi cum ſanguine. Eo enim abſente vel denegato, non tantum ſenſus

---

ſemetipſos caſtrabant. Galli ſive ſacerdotes Cybeles erant arreptitii. Lucianus in *Nigrino*, tomo I. pag. 69: *Quemadmodum enim qui Phrygiam tibam audiunt non omnes inſaniunt:* ἀλλ' ὁπόσοι αὐτῶν τῇ Ῥέᾳ λαμβάνονται, *ſed quotquot ipſorum à Rhea corripiuntur, atq; id audito carmine prioris affectus & perturbationis reminiſcuntur*, Vid. ibi Gilb. Cogn. Annot.

ſus & motus partis alicujus perit, ſed etiam vita ipſa periclitatur. Et vero calidi influxum maxime ad ſenſationem pariter & motum eſſe neceſſarium, vel ex ligaturis luculententer & ad ſenſum apparet: ne nunc alia adducamus.

Solent quidem multi vim illam nervis præcipue & cerebro adſcribere; quod videlicet ex illis utraque iſthæc tam ſentiendi quam partes loco movendi vis derivetur. Et quidem ad utramque facultatem, adeoque utrasque actiones præſtandas, cerebrum & nervos ſymbolam ſuam conferre, nemo poterit ullo jure dubitare. At vero ſolis illis facultates illas deberi acceptas, usque adeo non poteſt admitti, ut ne quidem præcipua virtus illis debeatur. Sanguinis enim influxu denegato protinus facultates iſtas cum ipſa vita in manifeſtum diſcrimen adduci, nimis conſtat. Præterea in cerebri & nervorum affectibus nunquam non cor ipſum quoque & ſanguinis motus afficitur & συμπάσχει. Ne nunc illud urgeamus, quod multa cerebro & nervis attribuantur, quæ tamen non injuria ſaltim in controverſiam poſſint vocari.

Quicquid autem de hac re ſit, illud nunc certo eſt conſtituendum, ad facultatem plenam & perfectam plus uno requiri, atque ita minus recte vulgo facultatem influere dici.

Quod igitur jam ad partium tremorem & trepidationem à perterrefactione & conſternatione inductam pertinet, procul omni dubio pars illa trepidabit, quæ ad motum maxime eſt apta. Ad motum vero peragendum unice requiruntur muſculi & eorum contractio, quæ tum fibris muſculorum, tum tendinibus perficitur. Quando videlicet pars aliqua movenda eſt, neceſſum eſt illos muſculos, quorum beneficio motus peragitur, contrahi, fibris muſculorum & tendinum adductis: ex adverſo muſculis

Digitized by Google

oppoſitis remittentibus & extentis. Sicut autem ſe res habet in voluntario & naturali motu, ſic quoque in violento & præter naturali, ſpaſmo videlicet & convulſione. Nervos ſane contractionem ullam pati, contra ipſorummet etiam ſenſuum eſt fidem. Ad id vero ut muſculi contrahantur, requiritur ſpiritus aliquis ſeu ſubtile aliquod, maxime mobile & quaſi flatulentum corpus: quo in fibras illapſo & eos diſtendente breviores illæ fiunt & ad principium ſuum retrahuntur: ſive talis aliquis ſpiritus in ipſis muſculis ſit connatus, ſive aliunde ipſis ſuppeditetur. De qua re non fuerit absque operæ pretio legere *Diſp. de motu animalium* ab Ampl. noſtro Conringio dudum habitam: quamvis in illa reperiantur, quæ poſtea aliter docuit. Quum itaque muſculi vel fibræ maxime moveantur, quin imo ſolæ ad motum peragendum ſint conditæ; illas quoque in tremore maxime affici, non videtur eſſe dubitandum: Et ita quidem, ut ipſe ille Spiritus quaſi vacillantis & titubantis in modum in illos intrudatur: præſertim quum à terrore ſanguis ſubito ad cor remeet, atque ita partes illas quadamtenus ſimul deſtituat. Quod nunc ita paucis aſſertum alias uberius perſequemur.

Ad Amos IIX. ℣. 8. IX. ℣. 5.

Quod h. l. Nilus ille toto orbe notiſſimus fluvius intelligatur, certum eſt. Nec vero quenquam temere fugit, fluminis iſtius beneficio Ægyptum irrigari & fæcundari. Quod nempe certis aliquot anni menſibus ripis ſuis egresſus regionem illam inundet, & ſimul etiam terram reddat fertilem: idque præcipue limo, quo inſtar fimi cujusdam agros opplet. De qua re legi poſſunt, quæ præter alios in unum

---

Nilus æſtivo incremento tumet: Tigris eripitur ex oculis, & acto per occulta curſu, integræ magnitudini redditur. Seneca *Epiſt.* CIV. Vid. Wendelin. *de admirand. Nili.*

Digitized by Google

unum collecta exhibet Wendelinus *lib. de admirandis Nili.* Nec vero illud temere quenquam fugit, nunquam pluere in Ægypto, quapropter pluviæ defectum Nili exundatione abunde ſuppleri. De cujus rei cauſſa variæ exortæ ſunt diſputationes, perinde ut de ipſo incremento Nili.

Et quidem quod ad hoc poſterius pertinet, non amplius hodie dubitandum eſt, quin illud ipſum fiat à continuis iſtis pluviis, quæ in Æthiopia ſub Zona torrida per aliquot menſes effunduntur. Quarum aquarum immenſa vi in Nili fontes & alios fluvios in eum ſeſe exonerantes profuſa, non poteſt non ipſemet Nilus deinde ſupra modum increſcere.

Pluviarum vero carentia non una fit de cauſſa. Poſſit quidem videri, quaſi propterea illis Ægyptus deſtituatur, quod ventos itidem nunquam ſentiat. Verum licet non omnis fortaſſis Ægyptus ventos ſentiret: non tamen propterea plane regionem illam ventis carere, dicendum eſt. Equidem peculiares quosdam ventos, & nocturno cumprimis vel etiam matutino tempore ibi ſpirare, jam olim etiam Theophraſto annotatum eſt, *lib. de Ventis.* Id quod deinceps, perinde ut tantum non omnia alia, ex eo libro translatum eſt in *ſectionem XXVI. problematum.* Ut vel hinc appareat, per injuriam illud opus in Ariſtotelem conferri. Quapropter ventis quidem non plane deſtituitur Ægyptus: licet mitiores ibi ſint, nec de die fere ſentiantur. Cauſſam vero quod nunquam ibi pluat, idem ille modo laudatus Theophraſtus *lib. eodem* duplicem reddit. Quamvis

---

Euphratem æſtate exundare ob nives in Armenia colliquatas, Strabo *l. 16. p. 599.* Sed Tigris & Euphrates non invehunt limum, ſicut in Ægypto Nilus Plin. *l. 18. c. 17. p. 309.* Ægyptum Nilus irrigat &c. Meſopotaniam fertilem efficit Euphrates &c. *M. Tull. l. 2. de nat. Deor. p. m. 73.*

vis enim de pluviis non expreſſe ibi agat, nihilominus tamen doctrina ejus huc omnino pertinet. Scilicet *primo* propterea idipſum fit, quod aër & cœlum iſtius regionis impenſe ſit calidum & fervidum. Ideoque nec aura ibi quoque ut in plerisque aliis locis percipitur: quod vel ob nimium aëris æſtum nullæ fiant tales evaporationes, vel quod ſtatim ſimulatque elevatæ fuerint disſipentur. Ad auram videlicet requiritur refregeratio quædam exhalationum: quæ ubi negatur, non poteſt etiam non quicquid evaporat protinus vel abſumi vel disſipari. Quod autem de auræ disſipatione dictum fuit, idem quoque de pluviarum ſimul productione fuerit affirmandum: utpote quum multo minus adhuc vapores in guttas & aquam posſint mutari, ſi ne in auram quidem coire permittuntur. Hinc ſane quoque fit, quod apud nos quoque tempore æſtivo, ubi ſol maxime calet, & ſi æſtus per aliquot dies imo hebdomadas continuatur, raro ſoleant pluviæ gigni. Nec obſtat, quod Plinius *lib. 21. cap. 7.* aërem Ægypti nebuloſum & roſcidum eſſe ſcribat. Sine dubio enim id de partibus terræ ſuperficiei proximis intelligendum eſt: ita quod licet ibi tales vapores fiant, propter fervorem tamen aëris altius elevari, & in aquam cogi prohibeantur. Præter hanc vero regionis fervidam caliditatem, quæ Ægypto cum nonnullis aliis regionibus communis eſt, attendi *deinde* quoque debet ipſius regionis (ut ita dicam) habitus. Conſtat enim ibi pluvias maxime gigni, ubi loca ſunt edita; quod videlicet in illis nubes cogi & conſiſtere posſint. Ægyptus vero quum talis non ſit, inferior certe plane ſit cava & depreſſa, propterea quoque ubi pedem quaſi figant & coacervari posſint nubes, nullum inveniunt locum. Absque nubibus vero pluviam poſſe gigni, abſurdum eſt.

Ad

Digitized by Google

Ad Jonæ IV. ℣. 6. 7. 8.

Non diſputabimus nunc, qualisnam frutex, qui Jonæ caput ita obumbravit, fuerit: an ricinus, an cucurbita, an hedera. an alius quidam frutex, quum illud extra controverſiam ſit ponendum, fuiſſe fruticem vel denſum, vel potius latifolium, quo videlicet ſufficientem umbram ſub ſeſe requieſcenti potuerit præbere.

Quod autem vermis dicitur illum fruticem læſiſſe vel percuſſiſſe, illud non de quavis ejus parte poteſt intelligi, ſed neceſſum eſt, ut vel præcipua ejus pars atque ita ipſa radix, vel ſaltem ſuperior ejus pars, quæque foliis umbram præcipuè faceret, fuerit læſa. Conſtat autem omnes plantas, ſicubi à vermibus fuerint corroſæ, exareſcere & corrumpi

---

Pro *hedera*, ut vertit non modò S. Hieronymus, ſed & Aquila, Symmachus & Theodotion, LXX. Arabicus uterque & Syrus, & Pagninus vertunt, *cucurbitam*. R. David, & ex eo Arias venenatæ genus herbæ, quod Græci & Ægytii *kikin*, Latini *ricinum* vocant, alii *cucumerem*, alii *platanum* vertunt. Tantæ varietati cauſam dedit Hebræum kikaion, genus virgulti in Oriente notiſſimum, ſed alibi ut ignotum, ita & nomine carens. Unde interpretes maluerunt aliquod virgultum, aliis regionibus notum ſubſtituere, quam ignotum nomen Hebræum ignaris obtrudere ut obſervat Jacob. Tirinus *comment. h. l. Ciceion, quæ lingua Syra & Punica Elkeroa dicitur, eſt genus virgulti vel arbuſculæ, lata habens folia in modum pampini & umbram denſiſſimam, ſuo trunco ſe ſuſtinens. Quæ in Pa' ſtina creberrime naſcitur, & maxime in arenoſis locis: mirumq; in modum, ſi ſementem in terram jeceris, cito conſitum conſurgit in arborem, & intra paucos dies, quam herbam videras, arbuſculam ſuſcipis.* Hieronym. *commentar. in Ion.* addens ſe nomen illud Hebrææ linguæ voluiſſe exprimere, ſed timuiſſe Grammaticos, ne vel beſtias Indiæ, vel montes Bœotiæ, aut iſtiusmodi quædam portenta confingerent.

Digitized by Google

rumpi. Quod ſine omni dubio fit, quia dum pars aliqua primaria ſeu principalis, in qua videlicet vitæ ſtirpis aliquod principium eſt, perditur, & quidem partim per calidi ejus exſtinctionem & exſiccationem, partim etiam ob vulnerationem; quia inquam tali primaria parte vulnerata, & ipſa temperiem ſuam amittit, & ſimul aliis partibus inde provenientibus ſuum alimentum & vita ſubtrahitur.

Porro quod de Euro ſubnectitur, apparet ſane in illa regione ventum illum eſſe ſubtilem & calidum. Id quod etiam ex Theophraſto aliiſque conſtat. Apud nos quoque ventus ille præ aliis eſt penetrantiſſimus, & præterea maximè ſiccus: quam ob cauſam apposite apud nos Dürre cognominatur. Minus quidem apud nos eſt calidus, etiam tempore æſtivo, (nam hieme maxime eſt frigidus;) ſemper tamen plantas quaſi exurit. Id quod ſubtilitate illa & tenuitate ſua præſtat. Quapropter etiam nullus ventus æſtivo tempore tellurem magis & æque arefacit: præſertim ſi, ut fieri ſolet, per aliquot dies ſpiret. Cumprimis ſane calidum in orientalibus plagis eum ventum eſſe oportet, utpote quum alias non ita vires Jonæ potuerit debilitare. Vaſtitudinem belluæ Jonam deglutentis expendens ita ſcribit Auguſtinus *epiſt. XLIX, ad quæſt. 6. Ut omittam commemorare, quanta magnitudo belluarum marinarum, ab eis qui experti ſunt judicetur, venter quem coſtæ illæ muniebant, quæ Carthagine in publico fixæ populo notæ ſunt, quot homines in ſpacio ſuo capere poſſet, quis non conjiciat, quanto hiatu patebat os illud, quo velut janua ſpeluncæ illius fuit.* Ridens deinde paganos qui veſtem Jonæ obſtitiſſe nugabantur. Rondeletius ſane & ipſe habet exempla. Conſtat etiam in India & Guinea à draconibus marinis homines abreptos illico deglutiri.

Digitized by Google

Ad Zachariæ IX. ℣. 19.

Locus hic ab interpretibus non uno modo vertitur. Alii enim hæc verba ita reddunt, quod videlicet *frumentum & muſtum* ſeu vinum *juvenes & virgines faciat facundas* ſeu *hilares*. Alii vero, inter quos B. Lutherus noſter, eo ſenſu verba illa capiunt, quod *frumentum & muſtum faciat ad utriusq; ſexus prolis generationem*. Quamvis autem non parum hæ verſiones inter ſe diſcrepent; nihilominus tamen ſi phyſice hunc locum velimus conſiderare, utraque iſthæc expoſitio commode poteſt admitti.

Ut itaque de priori prius agamus, plenum & laudabilem victum homines reddere hilares, neminem fugit. Penuria certe mœrore animum afficit. Jam vero lætus & defæcatus animus homines etiam reddit affabiles: triſtitia ex adverſo taciturnos & cogitabundos. Nec tantum facundi fiunt, qui cibo ac potu generoſo & præſtanti utuntur; utpote curarum vacui & præterea (ceu in rerum abundantia fieri ſolet) laudabili tali victu repleti: ſed etiam præterea qui plus juſto præſtantioris alicujus potus biberunt, ſolent plus fieri vocales & canori. Qua de cauſſa quoque hunc locum quidem ita reddunt; quod *frumentum juvenes & muſtum cantare faciat virgines*. Procul igitur dubio Propheta reſpicit ad mores adoleſcentum & juvenum, qui hilaritatem ſuam cantillando maxime ſolent declarare. Fortaſſis etiam ad tempus meſſis & vindemiæ reſpicitur, quo videlicet maxima lætitia in agris ſolet videri pariter & audiri. Id quod apud Iſraëlitas quoque obtinuit ut videlicet & choreæ & omnis generis lætitiæ in agris & vineis inſtituerentur. Cujus rei mentio paſſim etiam occurrit in Propheticis libris.

Quod autem naturalem hujus rei cauſſam concernit, maximam partem illa deſumenda eſt ex illis, quæ paullo ante

ante ſunt præmiſſa. Quo videlicet magis curis ſolutus fuerit animus, eo quoque nunquam non homines ſimul cum ipſa lætitia in ſermones vel potius loquacitatem & cantum ſolent effundi: quando vero abundantia cum aliarum rerum tum præcipue alimenti adeſt, vel iis ſe quis repleverit, maxime tum curis ſolemus ſolvi. Præcipue vero generoſus potus vel alius qui palato gratus eſt, illud ipſum præſtat, juxta illud Satyrici: *Fœcundi calices, quem non fecere diſertum?* Fit autem illud cumprimis propterea, quod potus hilariter aſſumtus propter vim ſuam inebriandi cerebrum adeoque ſanguinem ſolito reddat calidiorem, atque ita ſimul ipſam phantaſiam magis moveat. Sanguine autem incaleſcente, tum univerſum corpus, tum etiam lingua & partes ſpiritales ſimul ipſæ ad motum impelluntur. Unde dicacitas vel garrulitas quædam lætitiam nunquam fere non ſolet comitari.

Si quis autem verba iſthæc in altero ſenſu malit accipere, utique & illæ cum ipſa experientia apprime convenit. Nihil quippe aliud tum verbis iſtis Prophetæ denotatur, atq; quod apud Comicum dicitur, *ſine Cerere & Libero frigere Venerem.* Laudabilis videlicet alimenti eaque plenior ſuppeditatio non poteſt etiam non bonum ſanguinem gignere, & quidem etiam in magna copia. Ubi vero inculpabilis eſt ſanguis, ibi quoque genitalis humoris & majorem

---

Hieronymus *ad Amandum c. III. p. 185: Etenim luxuria mater libidinis eſt, ventremque diſtentum cibo, & vini potionibus irrigatum, voluptas genitalium ſequitur. Eſus carnium. & potus vini, ventrisque ſaturitas, ſeminarium libidinis eſt. Unde & Comicus: ſine Cerere &c.* Idem *dialogor. adverſ. Pelag. lib. I, p. 267. C. Sodoma — propter abundantiam panis & per luxuria magnitudinem exceſſit modum libidinis.* Quo pertinet Ezech. XVI, 14. Ubi Luth. alles voll auff. Tremell. ſaturitas cibi.

jorem & præſtantiorem vim gigni neceſſum eſt. Et vero conſtat, homines tali victu utentes, niſi aliis de cauſſis laborent, præ aliis in venerem ſolere agi. Cumprimis autem vinum & quivis alius generoſus potus ad ſeminis generationem & venerem excitandam maxime eſt idoneus: utpote quum talis liquor & ſubito poſſit in ſanguinem & ſemen converti, & plurimum poſſideat calidi atque ſpirituoſi, & pauca habeat recrementitia. Quæ omnia ad ſeminis generationem quam maxime ſunt idonea.

Ut itaque, utram explicationem quis velit admittere hactenus quidem perinde eſſe videatur. Dicimus: *hactenus*. Nec enim Hebraici textus genuinam ſignificationem indagare hujus noſtri eſt inſtituti.

Ad Zachariæ X. ℣. 1. Jer. V. 24.

Pluviis non tantum ſementis ſed omnium in univerſum ſtirpium & productionem & conſervationem promoveri, notiſſimum eſt. Cumprimis autem neceſſaria eſt pluvia ad plantarum augmentationem, idque non uno nomine. Quum enim ad auctionem corporum nihil æque conducat, quam alimentum calidum & humidum, quod videlicet illud & promtiſſime poſſit partibus augendis apponi, & ſimul etiam partes ipſas reddat ad majorem augmentationem aptiores; ideoque cæleſti quoque aqua illud ipſum maxime præſtari, omnino eſt certum. Eſt videlicet illa præ aliis aquis (nam de thermis, ſive calidis è terra ſcaturientibus fontibus nunc non loquimur) calida: quamvis non omnis ſemper vel æque ſit talis. Quod ſi enim ex loco frigido & cum frigidis ventis adveniat, poteſt illa quidem ſimul etiam plantas refocillare, minus benigne tamen, quam ſi ſuavior ſit, & minus frigida. Quam ſane differentiam etiam in ipſiſmet plantis licet obſervare; utpote quæ longe lætius creſcunt, ſicubi iis blandior pluvia fuerit affuſa,

Digitized by Google

quam talis, quæ minus ſit grata. Scilicet talis aliqua pluvia, quæ ex locis meridionalibus & occidentalibus plagis mittitur. Qualis cumprimis eſſe ſolet apud nos circa Majum menſem: quæ propter ſuam blandam tepiditatem & poros terræ ſimul aperit, & ipſas etiam radices plantarum quaſi reſerando & facilius ſubit, & cito quoque per univerſam plantam vim ſuam ſeque ipſam diſpergit. Id quod usque adeo certum eſt, ut ſi talis pluvia veſperi cœlitus immiſſa fuerit, ſtatim ſequenti die virtus ejus in plantis oculis ipſis ſeſe oſtendat. Cumprimis autem maxime fertilis eſt pluvia ſerotina, videlicet illa quæ ſub veſperam & noctem mittitur, (de illa enim quæ pro anni tempore ita vocatur, paullo poſt agemus) quod nempe plantas diutino ſolis æſtu torrefactas & exſiccatas refocillet, & ſubſequente frigiditate noctis per univerſam plantam majori commodo posſit diſpergi. Quæ enim de die & præſertim meridianis horis aſpergitur, poteſt quidem & ipſa non carere ſua utilitate; tamen ſi cito iterum deſinat, & magnus æſtus (ceu fieri ſolet) eam excipiat, fit ut aqua jam terræ & plantis calefactis ſuperfuſa ſalſedinem contrahat, & quaſi lixivii naturam adſciſcat. Hac ſane de cauſſa pluviarum defectus aquæ affuſione ſupplendo quam maxime ſub veſperam & ſolis occaſum illud facere ſolent rei hortenſi & agriculturæ dediti. Quod ſi vero ſerotinam quis illam pluviam velit intelligere, quæ reſpectu partium anni talis ſit, & propterea maxime ad autumnum pertinebit, ſine dubio illud intelligendum veniet de utilitate, quam ſemina tum recens iterum in terram jacta inde percipiunt. Quamvis pro diverſitate regionum ſerotinæ hujus pluviæ magna ſit latitudo; utpote quum in calidis regionibus tum jam magnam partem ſementis tempus ſit peractum, quando in frigidis regionibus meſſis nondum eſt peracta.

Ad

Digitized by Google

Ad Sapient. VII. ℣. 2.

Locus hic de conceptione & prima conformatione fœtus humani usque adeo manifeſto agit, ut non æque id fiat alibi in S. Codice. Videtur etiam præterea non abludere à vulgaribus de illa ipſa re doctrinis. Scilicet communibus opinionibus hactenus receptum fuit, primo omnium ſimulac conceptus factus eſt, ex ſeminis utriusque parentis commiſtione fieri ſpumam quandam ſeu corpus aliquod ſpumeum, & quidem ita, ut lacti illud ipſum non ſit abſimile: inde porro partes ejus in ſanguinem mutari, vel etiam ſecundum alios ſanguinem ex vaſis internis illi miſcellæ affundi: huic porro ſuccedere carnis delineationem, atque poſtmodum reliquarum partium & membrorum conformationem ſeu figurationem: quibus ita factis denique omnia indies magis magisque perfici: quatuor autem iſtas primas (ut ita loqui liceat) conceptus affectiones ſingulas certo dierum ſpatio abſolvi. Unde vulgo hi verſiculi circumferuntur:

Sex in lacte dies, ter ſunt in ſanguine trini,
Bis ſeni carnem, ter ſeni membra figurant.

Qui verſus quid ſibi velint, aliis verſiculis, quos ex Balduino Ronſæo Caſpar Bauhinus adducit *præfat. in theatrum* ſuum *Anatomicum*, edit. 2. ita ſe habentibus exponitur:

Injectum ſemen ſex primis certe diebus
Eſt quaſi lac: reliquisq; novem fit ſanguis: at inde
Conſolidat duodena dies: bis nona deinceps,
Effigiat: tempusq; ſequens producit ad ortum.

 Quam-

Harveus ipſum ſemen maris non miſceri inde colligit, quod in damarum & cervarum à coitu ſectarum uteris nihil ſit inventum, E. virtutem duntaxat ejus utero fuiſſe communicatam. Sed hoc potius ex eo ſequitur, maris ſemen intra uterum, & poſt in vaſa ipſa mulieris recipi & ejus corpus mutare. Unde corporis animiq; prægnantium mirabilis ſæpe alteratio.

Quamvis autem de harum ſive operationum ſive affectionum diebus non conveniat plane inter eos, plerique tamen in hanc fere abeunt ſententiam.

Sunt vero vulgaria illa placita partim incerta, partim illis, quæ ſenſu comperta ſunt, non ſatis conſentanea. Nimirum quid ſemini ſtatim à conceptu fiat, quid ſingulis diebus agatur, de humano quidem fœtu ſive conceptu non poteſt pronunciari: niſi facta ratiocinatione ex illis, quæ tum in aliorum animalium, tum præcipue pulli generatione, utpote quæ præ omnibus aliis maxime poteſt obſervari, colligere licet: niſi quod pullus longe breviſſimo temporis intervallo abſolvatur, quod de aliis animalibus, quæ vivum fœtum pariunt, non ita ſeſe habet. Ideoque quæ in generatione pulli obſervare licet, ſecundum magnam temporis latitudinem de aliorum animalium adeoque ipſius hominis generatione ſunt accipienda.

Ita autem fere res ſeſe habet. Poſteaquam utrumque ſemen commiſtum eſt (nec enim h. l. Ariſtotelem moramur, qui loco fœminini ſeminis ſanguinem maternum ſubſtituit,) calor in illo contentus non poteſt non ſtatim vires ſuas exſerere. Quod autem imbecillior tum ſit ejus vis, & multo præterea atque copioſo humore circumfuſa, & propterea debilitata, primo ſemen quodammodo rarefacit & attenuat, ita ut bulla quædam primo omnium oriatur. Porro bulla illa membrana quadam à calore ſiccante incipit cingi, quæ deinceps & denſatur & etiam multiplicatur. Calor autem intra illam bullam contentus partes heterogeneas indies magis magisque ſecernit, & humidas à ſiccis, craſſas & terreſtres ab aqueis ſegregat. Porro ſine omni dubio inter reliquas omnes partes primo delineatur cor, deinde hepar, & ita ſuccedente tempore reliqua

Digitized by Google

qua viſcera, donec paullatim omnia membra figurationem ſuam accipiant. Solent quidem Galeni ſectatores hepati, tanquam animæ vel facultatis nutritivæ ſedi, primum in conformatione locum attribuere. At vero ſine affectu pulli generationem inſpicienti non poteſt non patere, per injuriam hepati id aſsignari, quod cordi debetur. Neque vero ulla ſuppetit juſta cauſſa ambigendi, qui in hominis generatione res aliter ſeſe habeat, atque in brutorum, ſanguine itidem præditorum, prima conformatione. Accedit ratio longe firmiſſima, partem illam præ reliquis omnibus primo debere delineari, quæ ſimpliciter omnium eſt princeps, & ipſius vitæ calidique nativi ſedes & domicilium. Præterea vero in pulli generatione punctum illud rubicundum, quod primo omnium licet notare, eſſe ipſiſſimum cor ex motu ejus, quem primis ſtatim diebus licet obſervare, manifeſto patet. Proximum tamen â corde locum in partium generatione hepati competere, non volumus inficiari. Porrò vero quod de ſanguificatione dicitur, conſtat ex ovi & pulli inſpectione, puncta illa rubicunda, quorum primum diximus eſſe cor, ſanguinis rudimenta primo omnium præ ſe ferre. Quæ deinde ſingulis diebus & magis increſcunt & ulterius etiam propagines promittunt, vaſorum videlicet & reliquorum viſcerum rudimenta. In quibus omnibus deinceps verus ſanguis quoque deprehenditur. Reliqua deinde membra procedente tempore itidem delineantur, & inter prima quidem oculi, omnium autem poſtremo artus. Quoto vero tempore in homine hæc omnia certo peragantur, non licet certo affirmare. Quinimo ne in pulli quidem generatione res ita ſeſe habet, ut verſus iſti volunt: quod videlicet plaſtica vis & calor ab opere nunquam ferientur, ſed ſemper ſint in labore, donec ad perfectionem opus deducatur. Hoc tamen

men conſtat, quadraginta diebus delineationem & primam conformationem partium corporis humani peragi. Id quod ex abortuum hiſtoria quam maxime probatur: quamvis alii fœtus ſine dubio citius, alii tardius perficiantur.

Non duntaxat autem ad eum modum cum vulgaribus placitis videtur conſentire hic textus, ſed *ſecundo* etiam cum Ariſtotelis illa ſententia de materni ſanguinis ad conceptum concurſu convenire. Verum contra Atiſtotelem hac quidem in parte recte diſputaſſe Galenum, res ipſa omnino docet. Nec enim dici poteſt, ſemen fœmininum dicis tantum gratia generari, quum univerſus partium muliebrium generationi dicatarum apparatus fruſtra illud nequaquam gigni, profecto luculenter demonſtret: id quod *lib. 2. Inſtit. Phyſiolog.* fuſius etiam à nobis probabitur.

Præter hæc autem & 3. hic inſuper mentio temporis partus: de quo tamen quum ad VII. cap. lib. 2. Maccab. agere nobis viſum ſit, de eo in præſentiarum quidem nihil afferemus.

Quod autem ad doctrinam de fœtus conformatione pertinet, cumprimis operæ pretium eſt expendere, quæ poſt Ariſtotelem & Galenum docuit Hieron. Fabricius ab Aqua pendente *lib. de formato fœtu:* & quidem idem argumentum tractaverunt alii, quos inter ad hanc rem pertinentia egregia quoque legere eſt apud Guilhelmum Harveum tractatibus illis, quos exercitationibus ſuis *de animalium*

Similares partes â calore formantur, aliæ mutatione, aliæ ſiccantur, aliæ indurantur, Hieronym. *ad Pammach. adverſu error Joann. Hieroſolym. c.171. f. Villa & pudenda noſtræ nativitatis elementa mutantur in carnes, ligantur membris, diſcurrunt in venas, in oſſa durantur.*

lium generatione ſubjunxit, in quibus haud pauca ſunt ab aliis non ſatis hactenus obſervata & huc pertinentia.

Ad Sapient. XVII. ℣. 3.4.6.15.

Quod ad ſpectra attinet, non deſunt qui plane illa velint negare, pro meris phantaſmatibus ſeu otioſæ phantaſiæ figmentis ea habentes: quos inter etiam quaſi anteſignanum egit magni aliàs nominis Philoſophus Petrus Pomponatius. Quales doctrinas quoque hodie longe plurimi fovent ex atheorum ſchola profecti. Quamvis enim prima fronte videantur iſtæ doctrinæ non adeo periculoſæ: rem tamen recte ponderantibus facile apparet, tanto magis impias iſtas opiniones eſſe cavendas, quanto minoris à quamplurimis ſolent æſtimari.

Quomodo vero iſtiusmodi corpus ſibi adſciſcere poſſint genii, non licet plene nobis aſſequi. Quanquam & non ſemper in ejusmodi ficto corpore ſeſe præbeant conſpiciendos, ſed non raro cadavera intrent & cum iis ſeſe oſtendant. Quandoquidem vero de ipſa re vix quisquam elegantius aliquid conſcripſit Ludov. Lavatero, in tractatu *de ſpectris, lemuribus, variisq; præſagitionibus*; ad illum etiam diligenter & attente legendum quemlibet potius amandare volumus, quam nunc quicquam de ea re addere.

Ad Tobiæ II. ℣. 11.

Cauſſas occœcationis, à fimo hirundinis in oculos Tobiæ ſenioris injecto factæ, recte exponit Valleſius. Procul enim dubio à calido illo fimo oculus ipſe præter naturam incaluit, & quandam quaſi exuſtionem eſt paſſus: unde calida intemperie oborta, affluxio humorum in oculum fuit excitata; quibus deinde exſiccatis & concreſcentibus pellicula oculo fuit ſuper inducta, quam vulgo cataractam ſolent appellare, nos vero vernaculo ſermone

Den

Digitized by Google

den Staar. Neque in Valleſii ad h. l. commentatione quippiam, eſt quod poſſit deſiderari, niſi quod affectum illum oculi albuginem, & quidem talem albuginem, quæ à cicatrice ita vocetur, fuiſſe cenſeat. Habetur quidem in Græco quoque vox λευκωμάτων cap. videlicet VI. v. 9. & cap. XI. ẏ. 8. Secundum aliorum diſtinctionem, vel ſecundum alios ẏ. 13. Verum nihil obſtat quin per λευκώματα etiam intelligantur tales pelliculæ, de quibus modò fuit dictum. Præterea ipſa quoque hiſtoria maxime huic ſententiæ adſtipulatur, dum ſcribitur, λευκώματα ſeu albugines fuiſſe deſquamatas de angulis oculorum ejus: id quod de albugine cicatricis oculi non commode poterit accipi. Demum oculum Tobiæ fuiſſe vulneratum, ita ut ex labiis coëuntibus & coaleſcentibus cicatrix fuerit inducta, minus videtur facto ipſi eſſe conſentaneum: curationi certe adhibitæ plane non congruit.

Pelliculæ autem illæ ſeu cataractæ duplicis generis ſunt, unde etiam vernaculo ſermone der ſchwartze und weiſſe Staar appellantur. Ex quibus pellicula alba curationem admittit, nigra vero nequaquam: quam proinde (albam videlicet) voce Leucomatis denotari, non eſt inconveniens. Solet autem talis pellicula ab angulis ſeu canthis oculorum initium facere, & primo quidem ſeſe prodere ſuffuſione quadam, dum videlicet pupillæ oculi nebula, muſca vel tale aliquid videtur obvolitare, donec pellicula illa creſcente ſenſim viſus adimatur. Unde ſi principio non fuerit obviam itum, tandem manu Chirurgi adhibita açu eſt deponenda

Callionymi fel ad affectus oculorum veteres inprimis commendaverunt, quorum loca collegit Rondeletius *l. 10. de piſcib. c. 12. p. 207. 208.* & Valleſius *p. 247.* Bal. Ronſeus *epiſt. LIX. p. 206.*

nenda: quæ operatio ſi tempeſtive ac dextre peragitur, ut maxime eſt periculoſa, ita multis tamen viſum feliciter reſtituit. De qua cataractæ depoſitione inter alios eleganter quoque ſcripſit doctiſſimus Vir Thomas Fienus *lib. II. opuſculorum Chirurgicorum.*

Ad Tobiæ VI. ℣. [illegible] 13. 14.
VII. ℣. 2. & 3.

Nihil nunc attinet quærere, quodnam piſcis fuerit, cujus partes Angelus tam ſtudioſe Tobiæ juniori commendavit; num videlicet fuerit callionymus, an alius quiſpiam ut recte demum ipſemet Valleſius concludit. Illud tamen conſideratione dignum eſt, num virtus illa partibus piſcis adſcripta naturaliter illis competierit, vel non.

Et quidem quod ad fellis in cataractæ curatione virtutes pertinet, illas naturales eſſe, mox exponetur pluribus. At vero cordis incenſi fumum potuiſſe dæmonem fugare, non caret admiratione. Nec enim ullo modo fuga illa à naturalibus cauſſis poteſt arceſſi. Non enim quicquam moramur ſuperſtitioſas illas fabulas, quæ de hyperico vulgo apud quam multos obtinet, utpote cui & ipſi tantam vim in pellendis malis geniis adſcribunt, ut propterea quoque fuga dæmonum appelletur. Fabulas inquam has & ſuperſtitiones nihil moramur. Nec enim ullo modo veroſimile poteſt eſſe, fumo quodam genium omnis corporis expertem poſſe fugari. Quod autem ad hanc hiſtoriam attinet, ſine omni dubio vis illa fuit plane ſupernaturalis & divina, unde cap. VIII. ℣. 3. Angelus dæ-

Hoc tamen intereſt diſcrimen, quod vera ſuffuſio ſive cataracta ſit interna, Tobiæ autem externa, membrana videlicet ſupra corneam oculi tunicam concreta. Inunctio quoque & talia ophthalmica cataractæ veræ h. e. internæ fruſtra admoventur. Bartholin *de morb. biblic.*

monium illud ſcribitur ligaſſe. Ut itaque cor piſcis & fumus ille ſymboli tantum loco fuerint adhibita.

Quod vero ad fel piſcis pertinet, facultatem illius planè fuiſſe naturalem, jam tum aſſeruimus. Habet illud videlicet propter inſignem ſuam acrimoniam, magnam vim detergendi & exedendi. Qua de cauſſa quoque in [illegible] oculorum affectibus illud magno cum fructu uſurpatur, ſicut etiam in aliarum partium præternaturalibus excreſcentiis eundem ob finem perquam utiliter adhibetur.

Ad Syracidæ III. ℣. 33.

Ignem & flammeum quidem aqua extingui, ne puerum quidem temere lateat. At vero quænam ejus rei ſit cauſſa, non perinde conſtat omnibus. Poſſet videri frigitatem illud ipſum præſtare. Sed id falſi convincitur *primum* ex eo, quod tum non à ſola aqua, ſed etiam ab aliis frigidis rebus flamma deberet extingui: quod tamen eſt contra omnem experientiam. Poteſt quidem ignis in flammam mox erupturus & magnum incendium excitaturus aliarum rerum ſuperinjectione vel ſola compreſſione ſuffocari: at vero non fit illud propter frigiditatem, ſed quod flammæ liber aër prohibeatur, ſine quo flammeus ignis non poteſt conſervari. *Deinde* aqua actu calidiſſima non minus exſtinguit flammam quam frigida: manifeſto argumento, frigiditatem non eſſe cauſſam extinctionis.

Advocanda igitur fuerit altera aquæ naturalis qualitatis,

Eleganter hunc locum accommendat Hieronym[illegible] *ob. Paulina uxor*[illegible] *f. Cæteri mariti ſuper* [illegible] *ſpargunt violas, roſas, lilia, floreſq; purpureos, &* [illegible] *pectoris* [illegible] *conſolantur. Pammachius noſter ſanctam* [illegible] *oſſaq; veneranda eleemoſynæ balſamis rigat: his pigmentis atq; odoribus fovet cineres quieſcentes: ſciens ſcriptum, ſicut aqua extinguit ignem: ita eleemoſyna extinguit peccatum.*

tas, humiditas videlicet. Quæ & ipſa tamen non ſimpliciter illud præſtare eſt idonea, quum alias aër idem quoque deberet efficere, utpote longe adhuc humidior. Quocirca humiditas aquæ id facit ſimul ignem ſuffocando. Id quod non obſcure ex eo colligitur, quod magnus aliquis flammans ignis exiguæ aquæ aſſuſione non tantum non exſtinguatur, ſed etiam inde capiat incrementum. Debet etiam heic obſervari, quod in titionis alicujus extinctione uſu venire ſenſus docent. Primum enim aſſuſa aqua vel alio quodam liquore flamma luxuriare ſtatim prohibetur. Deinde qua parte aqua vim ſuam maxime exeruit, ibi quoque nigricare incipit pruna: quod videlicet eo loco ignis jam ſit diſpulſus.

Quandoquidem vero ignium non ſemper una eſt ratio, hinc etiam fit, quod non omnes ſtatim ab aqua exſtinguantur: quod videlicet aqua ſimplex craſſiorum ſit partium, ita ut ad principium ignis non ſatis ſemper poſſit penetrare. Hinc quæ aqua non poteſt, quam commodiſſime exſtinguit acetum: utpote quod partium ſuarum ſubtilitate ipſius ignis principium magis poſſit penetrare. Cujus generis ignis ſæpenumero eſt cæleſtis ſeu cælitus miſſus, qualis videlicet cum fulmine (niſi potius ille ipſe ſit fulmen) terris ſolet immitti & ædificia vel aliam materiam incendere.

His igitur modis ignis flammeus & quem vulgo ita vocamus interit per σβέσιν. Alio vero modo per alimenti ſubtractionem idem perit: id quod Ariſtoteles μάρανσιν appellat. De qua re & in univerſum de natura & differentiis ignis cumprimis operæ pretium eſt legere Theophraſti librum *de igne*; quamvis ille lacerus & disjectus ad nos pervenerit. Cui ante omnia jungenda ſunt, quæ ampliſſimus noſter Conringius habet *cap. VIII. lib. de calido innato*, &

quas paſſim adduxit *exercitat. de fermentatione.* Quibus ſi & illa quæ à nobis adducta ſunt *lib. 1. Inſtit. phyſiol. cap. 4.* adjungere quis velit, non fuerit fortasſis plane de nihilo.

Tantum nunc illud notaſſe ſufficiat: alium ignem eſſe quaſi nobilem, alium quaſi fixum. Ex quibus ille magis liber eſt & ſui juris, quiq; propterea vel perpetui pabuli ſubminiſtratione ſuſtentandus, vel in denſo aliquo corpore retinendus eſt, ſiquidem ad tempus fuerit conſervandus: hic vero rebus non niſi per miſtionem ineſt, habetque vires obtuſas & contemperatas. Præterea alius ignis eſt actu, alius potentia. Ex quibus illum nemo non facile deprehendit: hunc vero non niſi potentia in actum deducta licet obſervare.

Ad Syracidæ X. ℣. 13.

Dictum hoc Syracidæ πολυθρύλλητον eſt, utpote quo nunquam non teſtimonii loco uti ſoleant, qui de morte & quæ illam ſequuntur ad populum in Eccleſia verba faciunt: quin etiam non alio ſenſu atque quem verba oſtendunt hæc communiter ſolent accipi.

Ceterum ita ruditer acceptum hoc enunciatum an cum ipſa rei veritate conveniat, non immerito dubitaveris. Nec enim tale quid fortasſis unquam ab aliquo fuit obſervatum, niſi admodum raro. Neque vero nullum mihi nunc adducere licet exemplum, præterquam apud Philippum Salmuthum *centur. 3. obſerv. 80.* legitur annotatum, de nobili quodam, qui ob formoſitatem Der ſchöne [illegible] fuit dictus. Hic enim *Magdeburgi moriturus petierat, ut poſt triduum atque in ſepulchro delituiſſet ſandapilam inſpicerent, & qualis tum eſſet cognoſcerent. Factum, & omnia ſerpentibus plena reperta fuerunt.* At vero ſiquidem

Serpentes miraculoſe natos ſub ægrotante putreſcente & fœtente, qui parentes

dem hoc ita ſeſe habuit, potius videtur à ſupernaturali adeoque divina cauſa produxiſſe: fortasſis quod nobilis ille inuſitata ſua pulchritudine ſuperbiiſſet, ut ita aliis documento foret, quam decus & pulchritudo poſſit cito perire & deturpari. Sane ſi ſerpentes (veri videlicet & quos vulgo ita vocamus) cadaver hominis a morte depaſcerent, nullum eſſet dubium, quin illud [illegible] ſaltem obſervaretur.

Res videlicet ita ſeſe habet. Homine jam exſtincto partes omnes per putredinem ſupervenientem ſenſim nunc citius nunc tardius diſſolvuntur, ex qua putredine deinceps ſponte naſcuntur vermes, qui deinde partem quandam corporis depaſcuntur. Non tamen univerſum corpus ab illis abſumi vetat nos dubitare cadaverum poſt multos annos habitum ſuum referentium repertio: quæ quidem ſarcophago vel ipſo cadavere concuſſo facile in cineres collabuntur, quod videlicet humiditate omni deperdita ſolæ partes terreſtres ſuperſtites manſerint. Vermes etiam ipſi ex putredine generati deinceps rurſus pereunt. Non ſecus videlicet ac videmus carnes animalium à nobis in cibum mactatorum, tempore cumprimis æſtivo vel auſtrino, niſi vel ſale vel fumo condiantur, brevi totas vermibus ſcatere. Et vero talis vermium productio in multis aliis quoque rebus per putredinem reſolutis obſervatur.

parentes ſuos verberaverat, ex Hennebergeri Preuſſiſche Land-tafel Schottelius *libro de ſingularibus in Germania juribus cap. III. pag. 97.*

Illis tamen in locis adeo calidis procul dubio citius proveniunt vermes in cadaveribus, quemadmodum apud nos ſi muſcæ majores ea contingant. Idem dicendum de ſerpentibus ſive potius reptilibus. Propterea quoque unctiones cadaverum illis adeo fuerunt uſitatæ.

Ad Siracidæ XII. ℣. 10.

Rubigo videtur omnino ſpecies quædam eſſe putrefactionis: & quo plus aliquod metallum fuerit imperfectius, eo magis quoque citiusque ab ea infeſtatur. Sicut autem alias rerum putrefactio per calorem externum producitur, ita ut illum ſequatur rei diſſolutio & corruptio: ſic quoque cum ipſis metallis res ſeſe habet: niſi quod ratione externi calidi intercedat diſcrimen. Carnes enim plantæ & hujus generis aliæ res à calida quoque tempeſtate poſſunt putredine infeſtari; at metalla non ſolent rubiginem pati à tali cauſſa, ſed ab humido potius, præſertim ſi humido & obſcuro ſint recondita. Videtur autem omnino à circumſtante illo humido, ſive aër ſit, ſive vapor, ſive ipſa aqua, metalli humor aliquo modo diſſolvi. Certe rubiginem paſſa metalla facillime franguntur, & ad vaſa vel alia inſtrumenta inde conficienda non amplius ſunt idonea. Patiuntur autem hoc imperfectiora, quod minus exquiſite ſint miſta; & præterea cum plurimum terræ poſſideant, craſſas habent partes, cum quibus humor minus probe eſt commiſtus.

Ad Siracidæ XXII. ℣. 17, 18

Notiſſimum ſane eſt, inter omnes in univerſum res vix eſſe quicquam, quod cum plumbo gravitatis ratione poſſit conferri: niſi fortasſis argentum vivum velis excipere. Cauſſa vero hujus rei non procul eſt arceſſenda; Sicut enim jam tum alias docuimus, gravitatem & pondus rerum eſſe à terra & aqua inter ſeſe commiſtis: plumpum autem inter omnia alia metalla (ſolo argento vivo rurſus

Rubigo præterea citiſſime occupat ferrum, quod non exercetur. Unde Cato ingenium hominis cum ferro contulit. Quo ſine dubio alluens Hieronym *ad Innoc. de mul. sept. ict. Otium quaſi quædam ingenii rubigo.*

ſus excepto) plurimum habet aquæ, propterea quoque gravitate ſua [illegible] omnia ſuperare nequaquam eſt mirum. [illegible] hujus rei quotiescunque libet facere periculum. Nec duntaxat plumbum omnium fere corporum eſt graviſſimum, ſed etiam æquali pondere cum aliis collatum nihilominus tamen videtur gravius. Cujus cauſſam eſſe, quod plumbum & res aliæ graviſſimæ ſint valde compactæ, jam tum [illegible] oſtendimus. Quo vero compactiorum partium aliquid eſt, eo minus aërem vel tale quid aliud admittit: propterea quoque quoad ſenſum exigua mole, pondere tamen ſemper eſt graviſſimum.

Quod autem porro h. l. mentio fit arenæ quoque et ſalis tanquam rerum præ aliis gravium, non videtur ita crude eſſe accipiendum: quum videlicet neutrum illorum usque adeo ſit ponderoſum, Quapropter fortaſſis dicendum fuerit, Siracidem reſpexiſſe ad illa quæ tum fierent, quod videlicet illæ res hominibus tum ex uno loco in alium eſſent transportandæ, Ut ita mens ejus ſit: nullum onus, licet valde oneroſum & grave, tam eſſe moleſtum, quam ſi quis hominem deſipientem & ſtultum debeat tolerare.

Ad Siracidæ ejusdem cap. [illegible]

Fumus nunquam non luculentum ignem ſeu flammam ſolet proxime præcedere, præterea vero flammam exſtinctam iterum ſubſequi. Quod ipſum non aliunde fieri poteſt, niſi quod ad flammam major vis ignis coacti requiratur quam ad fumum: quamvis accurate loquendo omnis flamma ſit fumus, & quidem fumus aliquis ardens. Ad fumum itaque quando major copia ignis accedit, ſtatim ille flammam concipit.

Præterea vero fumus nunquam non fere ſolet eſſe colore cæruleo. Talis autem color proficiſcitur à corporis pariter

pariter opaci & lucidi commiſtione. Quando itaque lucidi corporis major accedit copia, colore illo poſito lucidus color ſeu ipſa lux accedit.

Fumi porro magna eſt differentia, tum pro rei fumantis tum etiam aëris, quem fumus tranſit, diverſitate. Qui enim ex pingui quadam & fuliginoſa materia exhalat, & crasſior eſt, & etiam magis colorem ſuum quem diximus oſtendit: at vero qui ex ſterili materia prodit, longe minus eſt talis. Ut Fumus ardens ex incenſo ſpiritu vini vel aduſto prodit. Porro qui per frigidum aërem fertur, longe magis eſt coloratus, quam qui per calidum: quod videlicet à frigiditate partes calidæ fumi magis condenſentur & cogantur, quum ex adverſo in calido aëre citius diſſipentur. Et vero à condenſatione particularum exhalantium illud ipſum eſſe vel inde probatur, quod tranquillo aëre magis itidem fumus poſſit conſpici quam ſi ventis agitetur. Hinc autem porro plane eſt, quod tempore æſtivo & quum dies maxime calet, fumus etiam alias magnus parum ſit conſpicuus, nec tam longe poſſit obſervari, quam tempore hiberno & quum gelu omnia rigent. Quinimo ipſe quoque luculentus ignis ſe dat conſpiciendum tempore quo tempeſtas frigida magis eſt quàm calida, propter cauſſas modo allatas.

Ad Cap. XXVII, ℣. 14. 15.

Vulgari quoque noſtra loquendi ratione ad eum modum ſolemus dicere, quando videlicet ſermo eſt de ejuſmodi re, quæ ſtuporem vel magnum terrorem nobis incutit. Et quidem a re ipſa illam loquendi rationem eſſe deſumtam, non eſt negandum. Quin etiam ipſum manifeſto

---

Hinc frigidiore aere & aër per exſpirationem emiſſus videtur, & fumus jumentorum agitatorum & ſaginatorum, ex acervo item fimi prodiens.

feſto obſervare licet in brutis, feris, cumprimis, ad hominis vel alius alicujus rei inſolentis, quæque ipſis ſtuporem injicit, conſpectum.

Quod vero ad cauſſam ejus rei pertinet, videtur ſane res eſſe difficilior expeditu. Quum tamen à ſanguinis motu univerſi quoque corporis partes & earundem partium affectio & motus dependeat, & hoc quoque quin inde cauſſa ejus ſymptomatis ſit petenda, non eſt dubitandum. Conſtat autem per ejusmodi obſtupefactionem ſanguinem ſubito moveri & ad partes internas revocari. Præterea quoque tum videtur etiam ad caput præter ſolitum magis moveri ſanguis. Hinc ſane eſt, quod oculos ſoleamus attollere, bruta quoque erigere aures. Ut ita tum præ aliis partibus caput quoque videatur affici, quaſi videlicet ſenſus & ſenſoria capitis ad rei obſervationem & attentionem excitentur. Quum itaque hoc fit, proculdubio radices quoque pilorum à ſanguinis impetu impelluntur ita, ut quaſi attolantur.

Ad Cap. XXVIII. ℣. 14.

Ignem perexiguum & ſcintillæ inſtar in fomite adhuc hærentem inſufflatione ſuſcitari notiſſimum eſt: modo fomes ſeu ellychnium non ſit nimis rarum, ſed denſum. Si enim rarum fuerit, non poteſt ignis in eo hærere, & ita per fortiorem afflatum ſimul expellitur. Quanto denſius vero fuerit ellychnium, tanto diutius quoque in eo con-

 tineri

Notabile eſt quod de tali pilorum motu in corio vituli marini mortui refert Rondelet *l. 16. de piſcib. p. 457.* Cauſſam erectionis pilorum eleganter dat Fien *l. de virib. imaginat. p 57. & 58.*

Ita galli Calecutiani, à venere præſertim tentati vel irritati ſolent erigere pennas. Setæ certe brutorum manifeſto eriguntur quamvis non in hoc ſolo affectu. Ab ira idem accidere canibus quotidie videmus, item ſuibus, De ichneumone Bellonius *l. 2. c. 28.*

tineri poteſt ignis & per afflatum magis acui & incendi. Cauſſam vero hujus rei in *Inſtit.* noſtris *Phyſiol. lib. 1. cap. 5.* jam tum hanc dedimus, quod per flatus appulſum ipſe ignis intro quoq; cedere cogatur, atq; ita ſimul prohibeatur diſſipari. Quapropter etiam flatu illo ceſſante, majores vires acquiſitas mox prodit; quod videlicet per afflatum illum plures & interiores partes ſui fomitis comprehenderit, atque ita majus etiam robur acquiſiverit. Per ſputi vero vel aquæ affuſionem ſuffocatur, quod etiam per olei & pinguedinis nimiam effuſionem contingit.

Ad Cap. XXX. ℣. 22 & ſeqq. & Cap. XXXIIX. ℣. 21. ſeqq.

Triſtitia & mœrore animi multos confici, nimis eſt notum. Præterea illos, qui curis & ejusmodi mœrore anguntur, raro ſolere vitam longe extendere, itidem ſatis conſtat. Et quidem ipſius corporis vires collabi hoc modo ſenſim, docent omnia illa, quæ circa mœrorem contingunt. Unde etiam univerſum corpus fit torpidius, appetitus debilitatur, & reliquarum quoque facultatum actiones non recte ſeſe habent.

Quandoquidem vero omnes affectus animi in cor & ſanguinem primo & maxime agunt, per mœrorem quoque illud ipſum fieri palam eſt. Videtur autem vis ejus potiſſimum conſiſtere in quadam calidi ſuffocatione: & id quidem propterea, quod ipſe ſanguinis motus in ejusmodi hominibus minus videatur eſſe agilis & excitatus. Quando itaque calidi iſtius virtus hoc modo debilitatur & marceſcit, ipſas quoque corporis facultates & actiones ſenſim ſimul perire neceſſum eſt. Hinc ſane totum etiam corpus paullatim incipit contabeſcere, quod videlicet laudabilis pars ſanguinis paulatim magis magisque conſumatur. Præterea cum mœrore nonnunquam alius quoque affectus

Digitized by Google

affectus ſolet eſſe conjunctus, & interdum quidem tacita quædam indignatio. Quale πάθος ſi ſuperveniat, & quidem ſi ſit diuturnum, ſimul calor quidam hecticus cordi quaſi imprimitur. Illo vero accedente, paulatim univerſi corporis vires extingui, nequaquam eſt mirum. Sane quo validiores & diuturniores ſunt affectus, eo citius quoque hominem peſſundant. Quod exemplis illuſtrare nihil attinet, quum illorum vim ſæpius unusquiſque in ſemet ſoleat experiri. Ita ut ejuſmodi mœror, præſertim qui illis, qui magnas injurias tolerare coguntur, accidit, revera tacita ſit corporis carnificina. Hinc ſane ipſemet Deus populo ſuo refractario ſubinde tales affectus in pœnam fere immiſſum minitatur.

Quod autem de mœrore dictum fuit, idem quoque ſimul de curis & magna ſollicitudine eſt intelligendum. Nec enim curæ abſque aliquo mœrore fere eſſe poſſunt: præſertim ſi de illis rebus inſtituuntur, quæ multis adverſitatibus ſolent eſſe expoſitæ.

Iræ vero vis magis aperta eſt. Et quidem ſi illa fuerit & frequens & nimis vehemens, talia ſymptomata poteſt inducere, quæ exemplo homini exitium afferant. Quum enim affectus ille ſit inſigniter calidus, & ſanguinem fortiter & velociter concitet, non poteſt etiam non aliorum humorum ſubitanea commotio excitari: unde apoplexia & alii tales affectus producuntur, febres quoque & quidem ardentes à nimia ira ſolent excitari.

Ad Cap. XXXI. ℣. 22. & ſeqq.

Nimio cibo & potu repletis varias moleſtias accidere, nimis eſt notum in illa prava vivendi conſuetudine. Cumprimis autem à copioſo cibo ingeſto cum alia tum quæ h. l. recenſentur valetudinis incommoda provenire ſolent. Et quidem (1) qui ita aqualiculum ſuum nimis diſtenderunt,

runt,

runt, ſolent anhelare. Cujus cauſſa præcipue eſt à ventriculi nimia repletione. Quum enim ille ita alimentis copioſe ingurgitatis eſt repletus, non poteſt non magis attolli, atque ita cum alias vicinas partes premere, tum præcipue ſuperincumbens diaphragma anguſtare, ita ut illud libere debitoque modo moveri nequeat: quo facto reſpirationem valde difficilem reddi oportet. Augetur autem hoc ipſum, quando illa quæ in ventriculo continentur incipiunt jam concoqui; quod videlicet tum non tantum ea intumeſcant, ſed etiam ſimul reſolvantur & rarefiant. Quo plus autem hoc ipſum fit, eo magis quoque ventriculum & diſtendi & attolli neceſſum eſt: unde difficilior adhuc neceſſario redditur reſpiratio. Præterea non raro illa quæ aſſumta ſunt, quum varii ſint generis, incipiunt ita in ſeſe agere, ut multa reſolvantur in flatus: vel etiam humores, qui alias ibi fortaſſis jam tum detinentur, incipiunt fermentari: quo utroque facto neceſſario ſymptomata illa ingraveſcunt.

Deinde ventriculo non ita ſupra modum repleto, ſomnum etiam magis recte ſeſe habere, itidem conſtat. Quando enim ventriculo ita ad nauſeam vel ſupra modum diſtento ſtatim quis ſomno opprimitur, non poſſunt non propter plurimas evaporationes in caput, & ipſe ſomnus gravior reddi, & etiam turbulenta ſomnia excitari. Cumprimis autem hoc contingit, quando copioſus cibus cum copioſo potu fuerit ingeſtus, & maxime ſi non uno potus genere quis fuerit uſus: de qua re plura jam à nobis allata ſunt

Hieronym. *l. 2. adverſ. Iovinian. p. 77. f. Sed & ex vilisſimis cibis vitanda ſatietas eſt. Nihil enim ita obruit animum, ut plenus venter &, exæſtuans, & huc illucque ſe vertens & in ructus, vel in crepitus ventorum efflatione reſpirans. Quale illud jejunium eſt, aut qualis illa refectio poſt jejunium, cum pridianis epulis diſtendimur, & gutur noſtrum meditatorium efficitur latrinarum?*

ſunt in *diſſertationibus diæteticis*. Et vero huc omnino quoque pertinet, ut quis tempus aliquod inter potum & ſomnum interponat: & ſi quando pluſculum aſſumſerit, non ſtatim ſomnum petat, niſi ſimiliter (ſi quidem fieri poſſit) ſemihorula præterpropter interpoſita.

Porro ſomnum quoque à nimia ventriculi repletione produci juſto longiorem palam eſt; quod videlicet à copioſis evaporationibus in caput contendentibus factis non poſſit alius effectus induci.

Sobrios *quoque* magis eſſe mentis compotes, neminem profecto fugiet: quin poſtridie quoque rationem non parum illis perturbari, qui pridie nimio potu ſeſe repleverunt, ab experientia nimium docemur.

Quod autem de gravi & inquieto ſomno affirmatur, idem quoque ſimul de alia corporis affectione inebriationem ſubſequente eſt intelligendum. Quibus enim ita ventriculus eſt refertus, propter plurimas iſtas, de quibus jam diximus, exhalationes, gravedo capitis, catarrhus & hinc alii oriundi affectus ſolent induci.

Porro vero inſaturabili, ſeu illi qui plurima alimenta ingurgitavit, choleram & tormina accidere ſcribitur. Quod ipſum duplici de cauſa contingit: partim quod à nimia ingeſtione non poſſint non multæ cruditates provenire; partim quod diverſi generis alimenta devorata aut hauſta, qualitates ſuas exſerendo & in ſe mutuo agendo, non poſſint non vel flatus excitare, vel etiam inflammationem inteſtinorum ſimilesque alios morbos producere.

Nec abs re eſt, quod in ſequentibus ille vitæ recte inſtituendæ ſapiens Magiſter ſuadet, ut quis ſemper habeat quod agat: quod videlicet laboranti & operanti non obveniat ulla infirmitas ſive morbus. Per labores enim, cumprimis manuarios vel etiam alios quibus

corpus movetur & exercetur, calore excitato, quidquid forte crudorum humorum collectum eſt, facile digeritur & ſubigitur. Hinc etiam eſt, quod operarii minus ſoleant, morbis infeſtari. Quin ſi ab ingluvie (ceu fieri ſolet) aliquid collegerint, per operas & labores facile iterum corrigunt.

Quæ deinceps ſubnectuntur de vino & ejus vi cor hominis lætificandi, per ſe ſatis ſunt clara. Genio videlicet indulgendo & animus relaxari ſolet ſepoſitis curis, & à potu liberarius aſſumto ſanguis incaleſcit, atque ita ſolito redditur mobilior. In quovis autem gaudio & lætitia ſanguinem eſſe valde mobilem, omnia quæ lætabundis accidere ſolent commonſtrant. Ut hactenus recte ſeſe habeat conſilium illud Baptiſtæ Mantuani in *Eclogis: Funde merum, bibe: cardiaco hæc medicina dolori eſt.*

Recte tamen hæc omnia intra modum conſiſtere jubentur. Nimium enim vinum, vel alius generoſus potus aſſumtus corpus nimium calefacit & quaſi incendit: unde varii iique graviſſimi morbi, facillime excitantur. Ne quid de corruptelis animo inde obvenientibus dicamus: quæ & ipſa tamen vitia pro humorum temperie tanto magis adaugentur, quanto arctior inter corpus & animum intercedit nexus.

Ad Cap. XXXVII. ℣. 32. & ſeqq.

Quæ h. l. ſobrii & frugalis victus præcepta traduntur, plane conveniunt cum illis modo conſideratis. Notandum autem,

---

Ambroſius l. de Hel. & jejun. c. 12. *Omnes ſibi in vino æquales videntur, nullus inferior. Non pauper diviti cedit, utpote quia pauperem ſe eſſe neſcit. Non infirmus valido, cui omnis in bibendo eſt fortitudo. Non mendicus locupletiori, non ignobiles honorato: ſed cum bibunt illum vigorem habent, qui bibendo ſuperaverit viros. Meritoque ſcriptum eſt: Æqualis vita hominibus, vinum in ebrietate.* (Eccleſ. 31.)

autem, hunc [illegible] duplici modo recte poſſe exponi. (1) quod hæc pertineant ad nimiam repletionem cavendam. Nam inde valetudinem corporis multis modis affligi jam fuit expoſitum. *Deinde* quoque poſſunt intelligi, quod videlicet non quivis cibus (eadem vero potus quoque ratio eſt) cuivis conducat. Quo ſenſu B. noſtrum Lutherum illa verba accepiſſe, [illegible] duorum verſiculorum interpretatio non obſcure oſtendit.

Eſt autem & hoc ipſum rei ipſi maxime congruum. Non paucos enim, ſobrie licet & [illegible] Medicas regulas viventes, facile tamen quibusdam [illegible], ne minem temere fugerit. Quibus proinde nihil æque eſt conſultum, quam illis quibus valetudo ſua offenditur abſtinere: de qua re pluribus egimus in *Diæteticis*. Cauſſam vero hujus non alio licet conferre, atque in temperiem ſingulorum hominum, quam peculiari nomine *ἰδιοσυγκρασίαν* nominare ſolent: cujus tanta vis eſt, ut eadem alimenta aliis bene, aliis autem male conveniant. Quod ſi itaque quis palato ſuo blandíturus non potuerit illis quæ valetudini [illegible] ſunt abſtinere, ut ſymptomata inde provenientia [illegible] plerumque perturbationes [illegible] quoque deliquia animi provenire: prout videlicet aſſumti alimenti temperies hominis temperiei magis minusve fuerit adverſa, vel etiam plus ejus ſit ingeſtum.

Quod ſeorſim vero Choleram concernit, cujus ſupra itidem â Siracide mentio eſt facta, eſt illa affectus vehemens, quique niſi cito occurratur hominem in extremum exitium poſſit conjicere. Oritur videlicet ab humorum nimia fermentatione & [illegible]. Unde magni dolores inteſtinorum cum [illegible] per ſuperiora quam per inferiora dejectione excitatur. Quod ipſum quoque non poteſt

poteſt fieri ſine ventriculi & inteſtinorum violento quodam motu. Et tanto quidem vehementius hominem affectus ille corripit, quanto plus, & præſertim contrarium, humorum in corpore fuit collectum. Quod ipſum ſæpiſſime fit ab illis, quæ diverſarum adeo qualitatum ſunt promiſcue ingeſtis. Inde enim excitata pugna quadam magna fit humorum ebullitio, quæ deinde ſymptomata illa modo adducta concitat.

Ad Cap. XLII. ℣. 13. Eſa. L. ℣. 9. LI. ℣. 8.

Tineas & blattas ex veſtimentis ſponte ſua prognaſci atque veſtes ita plane corrumpi, nemo fortasſis eſt quin fuerit expertus. Nec tamen quævis veſtimenta illis ſunt obnoxia. Quæ enim ex lino conficiuntur, usque adeo à malo iſto ſunt immunia, ut etiam aliæ veſtes lineis pannis involutæ hoc modo poſſint defendi. Infeſtantur videlicet ab illis lanei panni, & pelles pilis nondum privatæ. Deinde non quovis anni tempore vel quovis loco illud ipſum fit. Tempore enim æſtivo in magnis æſtibus quam maxime gignuntur. Præterea ſi pelles ejusmodi vel panni ciſtis vel alio occluſo loco aſſerventur, magis adhuc tineas gignunt. Ad quod proinde præcavendum vel libero & flatibus pervio aëri ſunt exponenda, vel linteis probe involvenda & munienda. Quibus abſinthium vel lavendulam addere ſolent. Generantur autem ex pingui quadam ſubſtantia: qualis pilis omnium animalium ineſt. Qua proinde quum linum careat, à tineis quoque non infeſtatur.

Ad Cap. XLIII.

Longe plurima hoc capite ad naturalem Philoſophiam maxime ſpectantia occurrunt: tum ad ſolis & aliarum ſtellarum naturam qualitates & effectus, tum ad omnis generis Meteorum naturam atque cauſſas intime pertinentia.

Quorum

Quorum tamen nihil nunc attingemus, quod in *annotationibus ad Diſput. Phyſicas Cornelii Martini* magnam partem illud jam ſit factum. Interim tamen non poſſumus non præ omnibus aliis, qui hoc argumentum tractaverunt, etiam atque etiam commendare Liberti Fromondi nunquam ſatis laudatum opus, *meteorologicum*, cumprimis autem poſteriorem ejus editionem, quæ ab ipſomet autore ſuo XLVI hujus ſæculi anno Lovanii prodiit. Quæ enim poſtea Londini in Anglia recuſa fuit, titulum ſuum, quaſi videlicet poſtrema ſit editio, mentitur, quum ex prima typis Plantinianis XX ante alteram annis excuſa expreſſa ſit: niſi quod de Cometis, motu terræ, & pluvia purpurea Bruxellenſi, quædam acceſſerint, alias rariora inventu.

Ad I. Macab. VI. ℣. 8. & ſeqq.

Quanta vis ſit mœroris animi in corpus noſtrum, jam ſupra fuit expoſitum: ut proinde non neceſſum ſit hoc loco ea de re denuo agere. Scilicet tali affectu calidum nativum noſtrum ſuffocari &, ſiquidem vehemens & diuturnus affectus ille fuerit, brevi tempore hominis valetudinem peſſundari poſſe, ex iis quæ ſupra ſunt allata conſtat. Præterea vero non ſimplex aliquis mœror regem illum occupavit, ſed etiam conſcientiæ ſtimulis, furiarum inſtar, ille fuit agitatus. Quales proinde vehementisſimas animi ægritudines & motus ipſum etiam corpus ab integro ſuo ſtatu deturbare & mortem ipſam accelerare, nequaquam debet videri mirum: pæſertim ſi vigiliæ & hujus generis alia ſymptomata accedant: qualia ſeſe fuiſſe paſſum, ipſemet impius ille rex *v. 10.* conqueritur. Sane ſolius pervigilii pertinacis tanta vis eſt, ut ſolum ſufficiat ad graviſſimos affectus inducendos.

Digitized by Google

Ad Cap. idem ℣. 34.

Nullum dubium eſt, beſtias illas viſo illo rubro vino & ſucco mororum, præſertim ſi, ut expreſſe ſcribitur, eo fuerunt conſperſæ, ad ferociam & iram fuiſſe concitatas; quod videlicet ſeſe vulneratas eſſe exiſtimarent, atque ita vindictam ſpirantes eo magis in Judæos hoſtes irruerent. Quod ipſum recte quoque Valleſius notavit, de motu animi inde concitato peregregie diſſerens.

Ad Cap. IX. ℣. 55.

Alcimum ex apoplexia paralyſin linguæ & oris fuiſſe paſſum, locus ipſe minime obſcure indicat. Nec enim aliàs intelligi poteſt, quî non potuerit amplius quid eloqui, aut præcepta de rebus ſuis à morte ordinandis dare. Qualis autem proprie ſit affectus ille, & quibus de cauſſis fiat, ad hiſtoriam Evangelicam exponetur.

Ad II. Maccab. VII. ℣. 27.

Quod h. l. Mater illa filium ſuum novem menſes ſeſe in utero geſtaſſe dicit, non accipiendum eſt tanquam aliquid inſolitum, quum potius nonus menſis maxime communis ſit ad humanum fœtum excludendum.

Notari

In peſtilentia quadam ad Rhenum tempore Karoli IV. graſſante ægrotantes rubrum pannum abominati ſunt Engelhuſ. in *Chron. p. 274.* In Hiſpania taurorum agitatores rubris tunicis indui eadem de cauſſa ſcribit Valleſius *c. 82.* Eodem modo galli Calecutiani rubra veſte irritantur, adeo ut pueros tali veſte indutos adoriantur & perſequantur. Hinc ſine dubio eſt, quod ad variolarum eruptionem & ſanguinis ebullitionem promovendam vulgo ſolent rubrum pannum ob oculos ægrotantibus ponere. At contra ad hæmorrhagiam ſiſtendam rubrum filum ſeri cum carpo & brachiis circumdantq́ fœminæ, præcipue in hæmorrhagia nimia uteri.

Notari autem h. l. tantum paucis debet, de legitimis humani partus terminis jam olim gravisſimas fuiſſe excitatas quæſtiones: ceu vel apparet ex libello *de octimeſtri fœtu*, qui in Hippocratem autorem, perperam tamen, ſolet conferri. Quin usque adeo religioſe dierum computationes inſtituere ſolent, qui has quæſtiones agitant, quaſi videlicet præciſe tempus illud nec antevertendum nec differendum ſit.

Porro quales menſes intelligi debeant, ſimiliter controvertitur. Et quidem plerique ita cenſent, quaſi fœtus ille, qui fine noni Menſis vel principio decimi, facto ſupputationis initio à conceptu, excluditur, maxime ſit naturalis, & propterea etiam maxime vitalis. Quod ſi autem, uti interdum fit, tempus illud præcipitetur, tum ſeptimo menſe ſi naſcatur, ſimiliter non id ita à naturæ legibus abhorrere: at vero qui octavo menſe editur, minus naturalem & minus etiam vitalem eſſe: quod nempe hoc ipſum naturæ debilitatem arguat, & quod ſeptimo menſe nondum potuerit excludi tanquam adhuc imperfectus, nonum vero menſem non expectaverit, in quo videlicet perficiendus foret, quum ſeptimo menſe perfectionem iſtam conſequi non potuerit.

Nonnulli porro ad longe magis abditas cauſſas confugiunt, ſed quas vel recenſere nihil attinet, quum vanis tantum conjecturis de numeris & diebus vel paribus vel imparibus innitantur.

Etenim ſi Dei nos miſericordia non ſuſtentaret, quomodo in ipſo exordio parvuli viveremus, cum effuſi utero de calidis in frigida, de humidis in arida piſcium more jactamur, quos naufragos in hanc vitam quidam velut naturæ fluctus exſpuerit? Ambroſ. *orat. de obitu Theodoſ. Imp. p. 50. edit. Baſ.* Huc referri debet Pſ. XXII, 10. & 11: CXXXIX, 14. Eccleſ. XI, 15.

Neque vero heic ſtetit opinio illa, quin non defuerunt qui eousque ſunt progreſſi, ut octimeſtrem fœtum nec naturalem nec vitalem & propterea quoque non legitimum eſſe non dubitaverint affirmare. Quod ipſum primus publico maxime conatus fuit perſuadere Gentilis de Fulginio, nobilis Avicennæ commentator. Cujus opinio quoque tantum autoritatis apud multos obtinuit, ut talis etiam fœtus (octimeſtris nempe) tanquam non legitimus ab hereditate quoque herciſcunda fuerit repulſus.

Quo igitur quid hac de re in univerſum ſtatuendum ſit certo conſtet, notari debet, (1) verum conceptionis tempus, ſæpisſime, ſi non fortasſis plerumque, latere. Quapropter etiam ſupputationis rationem minus tum quoque certam eſſe oportet. *Deinde* rationes ab arcana numerorum poteſtate vel ſimiles alias plane eſſe futiles & magnam partem ſuperſtitioſas. (3) Porro geſtationis & excluſionis tempus modo eſſe brevius, modo longius idque propter varias ſubinde concurrentes & obvenientes cauſſas. (4) Tamen plerumque nono menſe vel ſub initium decimi fœtum humanum edi, propterea quoque illud tempus maxime eſſe naturale. (5) & illud addendum, octimeſtrem partum minus quidem videri naturalem, nihilominus tamen non raro illum quoque contingere: quin imo apud nos quoque bene multos octavo menſe in lucem edi, qui pro ſeptimeſtribus tamen venditantur; quod videlicet octimeſtris ille nec propterea etiam legitimus vana perſuaſione exiſtimetur. Tametſi vero octimeſtris ille nec naturalis nec etiam vitalis eſſet, pro illegitimo tamen citra ſummam injuriam nequaquam poſſet haberi.

Operæ vero pretium eſt de univerſo hoc argumento legere, qui omnium fuſisſime illud tractavit, Friderici Bonaventuræ

naventuræ doctisſimum opus *de Octimeſtri partu:* Quam rem deinde brevius, eleganter tamen, complexus fuit Henningus Arniſæus disquiſitione *de legitimis partus humani terminis* itidem perdocta. Exſtat quoque elegans ea de re epiſtola Hadriani Spigelii *de incerto partus tempore.* Quibus addi quoque poſſunt illa quæ exercitatione *de partu* habet Guilielmus Harveus. Sed & de eadem hac re multa habentur apud Paulum Zacchiam in Opere *quæſtionum Medico Legalium.* Ut alios nunc non adducamus. Sane non deſunt exempla de partu undecim, duodecim, tredecim, quatuordecim menſium; quin imo non defuere fœtus, qui ad biennium fuere materno utero geſtati. Sed quum ejusmodi exempla plane ſint rarisſima & â conſuetis naturæ legibus plurimum abeuntia, non eſt quod illa quenquam posſint morari.

Ad II. Maccab. IX. ℣. 9.

Quomodo vermium illa productio in impii & ſceleſti illius Regis vivo corpore ſeſe habuerit, non indignum eſt conſideratione. Quamvis enim procul omni dubio morbus ille plane fuerit divinus & θήλατος, nihilominus tamen non plane eſt extra conſiderationem ſive medicam ſive phyſicam.

Nota eſt obſervatio ſingularis & rara de partu 173. dierum vivo, qui legitimus in foro judiciali competente, poſtquam per integrum decennium de illo controverſia fuit agitata, declaratus. Cujus rei rationes ex ſolidis naturæ fundamentis uberius deduxit Fridericus Möllerus. Sereniſſ. Elect. Brandeb. Archiater in caſtro Cuſtrinenſi, Cuſtrini p. 1662. 12.

Pediculi maxime gignuntur in capite, unde propter eam quoque cauſam tam virginibus quam viduis, *quæ ſe Deo voverint, & ſeculo renunciantes omnes delicias ſeculi conculcarint,* crinem deſecari ſive tonderi, in Ægypti & Syriæ monaſteriis, moris eſſe, *vel quia lavacrum non*

Notari autem circa hunc caſum merentur potiſſimum tria. *Primo* enim non deſunt exempla, quorum magnam partem *iib. III. Obſervationum* collecta exhibet Schenkius, quibus tanta copia lumbricorum nec unius generis fuit genita, ut & inteſtina alias partes corroſerint, & perforaverint: unde etiam plane miſerabilem in modum fuerunt exſtincti. *Deinde* phtiriaſis huc pertinet: qua tum alios tum Alcmanem poëtam quondam fuiſſe confectum ab Hiſtoricis annotatur. Quo eodem morbi genere Philippum II. quoque Hiſpaniarum Regem interiiſſe non deſunt qui affirment. Unde in pœnam ob crudeliter habitos Belgas divinitus Regi illum ipſum morbum fuiſſe immiſſum, in *carminibus* ſuis Dominicus Baudius id quaſi exprobrat.

Verum neutro horum morborum genere Antiochum fuiſſe peremtum, ex ipſa Hiſtoria non obſcure poteſt colligi. Quamvis enim σκώληκος voce, quæ in Græco textu occurrit, lumbrici quoque aliquando denotentur; quo tamen h.l. iſto vocem eam accipiamus, per alia accidentia non licet.

Videtur igitur *tertio* non eſſe dubitandum, quin tales vermes hic denotentur, qui ex putredine fuerint producti. Regis videlicet corpus putrefactum fuit, ex quo computreſcente

non adeunt, vel quià oleum nec capite nec ore norunt, ne à parvis animalibus, quæ inter cutem & crinem gigni ſolent, & concretis ſordibus opprimantur, Hieronymus tradit *ad Sabinianum, p. 230. f.*

De morbo pediculari vid. Mercur. lib. 1. de morb. cutan. cap. 7. Minadous lib. 2. de ext. affect. cap. 9. Marcell. Donat. lib. 1. de Medic. hiſt. mirab. cap. 5. Periere hoc morbo Herodes Act. XII. Maximinus, Philippus II. teſte Fam. Stradâ & Grot. lib. 7. hiſt. Belg. p. 331. & 332. aliique imprimis tyranni. Nonnullos quoque refert Cornel. à Lapide ad Act. 23. ubi malè tamen inter eos Neſtorium & Joh. Calvinum commemoravit. Joh. Baſilides, Dirus ille & immanis tyrannus eodem modo interiit, teſte Oderbornio lib. 3. vitæ ejusd.

Digitized by Google

treſcente ipſo adhuc vivo vermes fuerunt geniti: donec putredine increſcente mirabilem tandem & factis ſuis dignum exitum inveniret. Certe de putredine, quam dixi, manifeſto loquuntur iſta verba: *neminem iſtius morbi fœtorem potuiſſe ferre*; quin gravitatem illam odoris redditam fuiſſe ſenſim ita intolerabilem, ut ipſemet eum non poſſet perferre. Nec alio quoque niſi ad corporis putredinem referre licet, quod viventis corporis carnes decidiſſe commemorantur.

Ad ejusd. libr. Cap. XIV. ℣. 42. 45. 46.

Videtur Razis ille ἀυτόχειρ ventrem ſuum infimum & & inteſtina maxime læſiſſe: Nec enim alias commode intelligi poteſt, quomodo inteſtina ſua ambabus manibus comprehendens in turbas projecerit. Videtur autem non tam ex inteſtinorum quamvis letaliter vulneratum læſione interiiſſe, quam à ſanguinis profuſione. Dicitur enim ſanguis ex vulnere proſiliiſſe, & eum deinceps plane fuiſſe redditum exſanguem. Sanguinis autem largum effluxum, calidum nativum ſimul profundendo, mortem inferre, jam dudum ſupra obſervatum.

Quod autem ad inteſtinorum vulnera pertinet, ſane non deſunt exempla nobis etiam obſervata de quibusdam, quibus inteſtinum læſum, vel etiam pars ejus reſciſſa fuerit, qui tamen & ſanitati reſtituti fuerunt, & complures poſtea annos ſupervixerunt. Unde non deſunt hodie inter Medicos, qui ut aliarum nobiliorum corporis partium ita etiam inteſtinorum vulnerationem nunquam ſimpliciter eſſe letalem non dubitant pronunciare. Quam vero in

---

Fœtor corporis varius. Monachi quoque & mendici talem ſolent ſpirare odorem. Unde Hieronymus *ad Marcell. de laudib. Aſel.* tanquam peculiare notat de Aſella: *Et quod impoſſibile &c. non ſucca aſperata cutis.*

in publicum noxia ſit iſtiusmodi doctrina, jam ſupra itidem fuit oſtenſum.

Scilicet *primum* probe diſtingui deberi inter ipſa vulnera: quomodo videlicet ſeſe habeant, quam alte inflicta ſint & penetrent, an ſit ſimplex vulnus, an vero complura ſimul inflicta, quæque ſunt hujus generis alia circa vulnerationem neceſſario obſervanda diſcrimina.

Deinde ea quæ raro fiunt præterque opinionem, nullo modo confundenda ſunt cum illis, quæ utplurimum eveniunt. Etiamſi igitur aliquando vulnus inteſtinorum non ſit letale, hinc tamen non protinus omne illorum vulnus tale eſſe eſt colligendum. Certe ubi pluribus in locis facta eſt eſt læſio, vel etiam pars aliqua læſa non ſtatim incurrat in oculos, vel etiam ſi illa parte ſit læſio ut ad locum affectum non liceat Medico manum admovere, nihil aliud atque mors à tali vulneratione eſt exſpectandum. Verùm de hac re, quum longe graviſſimi ſit momenti, peculiari opera alias agemus.

Ad fragmenta ad librum Eſther XV. ℣. 10.

Deliquium animi in ſanguinis & calidi retractione conſiſtere, jam dudum ſupra fuit oſtenſum. Fit videlicet id tam vehementer, ut motus cordis ad ſenſum ferè tollatur: ita tamen, ut nunc magis nunc minus illud; prout videlicet vel major vel minor deliquii gradus fuerit. Quum autem ſanguinis calidique influxus reliquis partibus per affectum illum denegetur, hinc etiam non poteſt aliter fieri, quin faciei color plane immutetur & ea palleſcat. Jam ſupra autem hac de re commendavimus Diſput. Conringianam *de Syncope*, qua affectus hujus natura & cauſſæ ſatis perſpicue explicantur.

In adjection. ad Daniel. ℣. 26.

Quæ ad hujus loci intelligentiam faciunt, ita clare

expoſuit

Digitized by Google

expoſuit Valleſius, ut nihil ſit quod quis jure poſſit deſiderare. Fit videlicet quandoque, ut per res ejusmodi viſcidas ingeſtas meatus inteſtinorum & vaſa obſtruantur: unde humoribus exitum non invenientibus, & etiam asſumtis intumeſcentibus, mors ſubſequatur. Non abſimile vero huic Danielis facto eſt illud quoque, quod in gliribus & muribus interficiendis nonnulli ſolent adhibere. Sumunt videlicet ſpongiam & illam in fruſta conciſam butyro vel ſimili pinguedine in ſartagine torrere ſolent. Quibus ita devoratis ab animalibus illis, ſimili propemodum modo, quo iſte Draco, ea interficiuntur. Qua etiam de cauſſa qui ejusmodi edulio muribus inſidias ſtruunt, etiam atque etiam cavere ſolent, ne à felibus deglutiatur. Quod ſeorſim vero rupturam attinet, utique non deſunt alia quoque exempla, de illis cumprimis, qui à coli obſtructione & magna inflammatione ſimile quid propemodum ſunt paſſi. Quale exemplum Henricus ab Heer recenſet *obſerv. 2. pag. 54. edit. Lipſienſis.*

Ad Dan. Adject III. ỳ. 46.

Materia quæ igni iſti fornacis augendo præbita fuit, omnis ita ſeſe habet, ut ad flammam nutriendam longe ſit aptiſſima: præcipue vero quæ priori loco commemorantur, Naphtha videlicet & pix. Naphtha vero eſt ſpecies quædam bituminis, & ejus quidem naturæ, ut ſi ſemel ignem conceperit, vix imo non poſſit iterum exſtingui. Fuit autem in Babylonia maxima ejus copia reperta. Ex quali terra quoque conſtructa fuit notiſſima illa turris, cujus rudera hodieque ſuperſunt. Quum enim terræ admixta faciat eam valde glutinoſam & tenacem, hinc etiam ad perennatura ædificia maxime eſt commoda. Qualem etiam Romæ hodieque, & in cryptis quidem maxime ſubterraneis, reperiri, notisſimum eſt. Quæ tamen Romana terra

Digitized by Google

hac parte non poteſt in contentionem venire cum Babylonica & aliarum regionum orientis terra.

Quæ vero hac parte natura eſt Naphthæ, ea quoq; eſt picis, navalis videlicet. illa ſicubi ſemel ignem conceperit, etiam in mediis aquis flammam non amittit neque exſtinguitur. Quod proinde navigiis ſæpe numero eſt exitio.

Si quis autem ulterius quærat, quidnam igitur illud ſit in ejusmodi ſuccis, quod ad flammam nutriendam adeo ſit aptum, ſtatim in promtu eſt reſponſio: deberi hoc pinguibus illorum partibus, quæ videlicet ita ſeſe habent, ut nihil contineant quod igni adverſetur, ſed promtisſime in eum poſſit converti.

Stuppa vero & ſarmenta ſive virgulta arida ut & ſtipulæ talem quidem pinguedinem non continent; quum tamen humidi aquei parum vel fere nihil poſſideant, hinc etiam non adverſantur igni, ſed ſimiliter ſtatim in eum mutantur & faceſſunt.

Nutriri vero omnem flammantem ignem humido quodam & quidem pingui, neminem latere posſit, qui noverit tum ſebo, tum cera, tum etiam oleo candelas & lampadas ſolere nutriri. Præterea quibuscunque rebus tale humidum pingue non ineſt, illæ quoque ad alendum ignem vel plane non ſunt idoneæ, vel non niſi prius præparatæ & alterationem aliam paſſæ. Quod ſane plane eſt ſiccum & exſuccum humidoq; omni privatum, ad ignis nutritionem nihil amplius facit. Quod quam maxime videm' in cineribus: utpote qui nihil aliud ſint, atque reliquiæ terreſtres illarum rerum quarum humidum ab igne depaſtum eſt. Operæ pretium ſane fuerit hac occaſione illa quoque expendere, quæ de ignis per humidum nutritione adverſus Fortunium Licetum diſputavit ampliſſimus noſter Conringius *lib. de Calido innato cap. IIX, in Addendis.*

An-

ANNOTATIONES
AD NOVUM TESTAMENTUM.

Ad Matthæi II. ℣. 1.

De Magis ubi h.l.ſermo eſt, nihil obſtare videtur, quo minus heic etiam in communi ſignificatione vox uſurpetur, quod Deus ſit eorum miſertus. Fuit videlicet olim magia inter artes vulgares habita. *Conſuetudo & ſermo communis, magos pro maleficis accipit: qui aliter habentur apud gentem ſuam, eo quod ſint Philoſophi Chaldæorum: & ad artis hujus ſcientiam reges quoq; & principes ejusdem gentis omnia faciunt. Unde & in nativitate domini Salvatoris ipſi primum ortum ejus intellexerunt &c.* Hieronym. *commentar. in Daniel. cap. II. pag. 570.* Conf. Conringium Supplem. Antiqq. Acadd. ubi meam hanc ſententiam confirmat.

Ad Matthæi IV. ℣. 2. Luc. IV. ℣. 2.

Hominem juxta cum reliquis omnibus animantibus perpetua nutritione & alimenti aſſumtione indigere, quilibet ipſe in ſeſe ſatis experitur. Quin etiam cauſſa iſtius neceſſitatis illa vulgo ſolet afferri, quod animalium corpora in perpetuo ſint defluxu & conſumtione. Ad partium igitur deperditarum reſtitutionem novum alimentum & materiam ſubinde eſſe ingerendam. Et quidem jam tum veteri ævo non defuerunt, qui usque adeo citæ & momentaneæ diſſipationi corpus noſtrum atque animalium obnoxium eſſe putaverunt, ut idem numero homo vel equus non poſſit idem flumen bis ingredi.

Verum talis quidem ſubitanea partium deperditio ſenſibus ipſis reclamat. Ut non ſit opus aliis argumentis illius opinionis ſtoliditatem oppugnare. Nihilominus tamen partes ſine exceptione omnes corporis noſtri perpetuo conſumi, in ſcholis hactenus vulgo fuit tanquam indubitatum receptum: alias videlicet non apparere cauſſas, cur quotidie corpora ſint alenda.

Sed ne hæc quidem opinio cum reipſa ſatis congruit. Conſtat enim (1) partes ſolidas corporis noſtri non ſtatim à vehementisſimo igne conſumi, quasdam etiam vim ignis diutisſime poſſe ſuſtinere. Quod autem talis vehemens ignis non poteſt ſtatim diſſolvere, multo minus illud poterit corporis noſtri ignis ſeu calor, cujus videlicet vis longe eſt blandior, conſumere. Non quidem negandum eſt, etiam illum ipſum corporis noſtri ignem animalem ſeu calidum nativum ſupra modum auctum vim demum acquirere ſolidiores partes colliquandi. Quod ipſum maxime videre eſt in febri ardente, hectica, ſimilibusque affectibus aliis. At vero tum non niſi quasdam partes, quæ videlicet minus firmiter concreverunt, diſſolvi certum eſt: reliquas vero exſiccari quidem à vi illa caloris præternaturalis, conſumi tamen vel colliquari nequaquam poſſe. Fibræ videlicet, tendines, cartilagines, oſſa, tunicæ vaſorum, quin etiam ipſæ membranæ & partes membranaceæ, non niſi interdum & in quibusdam duntaxat locis vim illam experiuntur, ita tamen, ut magis corrodantur, quam ut abſumantur. Ut proinde propter has aliasque ſimiles cauſſas vulgaribus ſententiis nequaquam poſſimus aſſentiri.

Certum tamen eſt, nutritionem neceſſariam eſſe: præterea quoque illa ipſa partes abſumtas & deperditas, iterum reſtitui. Nec enim alias fieri poſſet, quin à perpetua & quoti-

quotidiana alimenti etiam in exigua copia aſſumtione, brevi temporis ſpatio corpus in immenſum augeretur & creſceret, niſi aliquid ſubinde in illo diſſiparetur, cujus locus novo alimento ſupplendus eſſet. Et vero non difficile eſt idipſum illi definire, cui vis & natura ignis eſt perſpecta. Scilicet quum mobilis aliquis ſeu liber ignis, qui nempe ad miſtionem aliorum corporum non pertinet, ſine pabuli ſubminiſtratione ad longum tempus nequaquam poſſit conſervari, hinc etiam noſter nativus ignis tale quid non poteſt non poſtulare. Quæcunque igitur promte in ejus naturam poſſunt commutari, illa quoque ſubinde patiuntur jacturam. Tales autem *primo* & ante omnia ſunt ipſæmet ſanguinis pinguiores partes, in quibus calidum illud maxime ſubſiſtere jam ſupra fuit annotatum. Quo major itaque vis iſtius calidi fuerit, eo citius quoque partes illæ abſumuntur, & propterea quoque ſui reſtitutionem exigunt. *Deinde* proculdubio muſculorum παρέγχυμα, quæque hujus generis aliæ ſunt partes, facile à calore abſumuntur. Id quod ex illis affectibus liquido patet, quorum paulo ante mentionem fecimus. Præterea quoque qui laboribus manuariis & operis corpus ſemper exercent, plerumque etiam ſunt macilenti; quod videlicet à calore illi per motum illum aucto muſculis vel aliis partibus corporis tale quid non poſſit apponi. Non ſemper tamen has partes abſumi patet in obeſis & pinguibus corporibus; utpote quibus non muſculi tantum pleni ſint, ſed etiam multum pinguedinis ex abundanti laudabili alimento gignatur. Quamvis illa corpora minus robuſtum habeant calorem, utpote qui alias tantam pinguedinis collectionem non facile ferat. Quum igitur ſubinde & nunquam non in corporibus quidem ſanis magna pars laudabilis ſanguinis abſumatur, & in ignis nativi ſuſtentationem faceſſat,

 propterea

Digitized by Google

propterea quoque quotidiano alimento eſt opus; & eo quidem magis vel minus copioſo, prout caloris vis major vel minor fuerit.

Præter hanc vero cauſſam & alia *tertio* ſupereſt quotidianæ alitionis necesſitas, corporis videlicet augmentum. Quamvis enim prima & ſecunda ætas longe debiliorem habeat calorem, quam adoleſcentia, juventus aut virilis etiam ætas; quicquid contrarium aſſeruerit olim Hippocrates & Galenus, quique eos ſequuntur alii: nihilominus tamen & frequentius & copioſius utramque ætatem paſcere par eſt, quod videlicet in illis non ſolus animalis iſte ignis ſit alendus, ſed etiam plus inſuper alimenti ſubminiſtrandũ, quo partes in majus augeri & creſcere poſſint. Quamvis tamen hæc nutritionis cauſſa non niſi ad tempus duret, quod videlicet corpus in infinitum non posſit augeſcere; ſed dum calor ad ἀκμὴν ſuam incipit pervenire & in ſummo vigore eſt, ceſſat corporum auctio, adeoque alimentum tum maxime ad ignis iſtius ſuſtentationem convertitur. Quin etiam pro iſtius diverſitate ipſum calidum nativum incipit augeri; præſertim ſi victus ratio ſit calida, qualis pleriſque omnibus Europæis gentibus communi vitio hodie maxime eſt uſitata: quum tamen diæteticis præceptis inſiſtendo potius nimius iſte calor contemperandus & ad mediocritatem quodammodo eſſet redigendus. Quamvis enim ſecundum naturam juvenilis ætas ſit & eſſe debeat omnium calidisſima: nihilominus tamen & hoc ipſum quoque intra modum conſiſtere quam maxime convenit. Certe tum in legitima victus ratione non ita peccaretur, non pauci quoque manerent immunes ab illis affectibus, à quibus juvenes maxime ſolent infeſtari, bona quoque illorum pars è medio abripitur. Præterea calore iſto ſupra modum aucto non poteſt quoque non ipſi corpori aliud incom-

Digitized by Google

incommodum conciliari, quod videlicet tum à caloris illa immodica vi ſolidæ partes juſto citius exſiccentur: quo ipſo non poteſt non vitæ ipſius finis non parum ante diem accelerari.

Quandoquidem vero nutritio nulla peragi poteſt absque materia ſeu cibo & potu, hæc autem adſumi vix poſſunt niſi deſiderium illorum prius fuerit excitatum, propterea quoque alimentorum appetitus isque geminus animalibus inſitus eſt, fames videlicet & ſitis. Et de ſiti quidem jam ſupra fuit actum, de fame vero ejusque natura & cauſſis tempeſtivum eſt pro inſtituti ratione nunc agere. Nimirum eam deſiderium eſſe calidi & ſicci, quum ſitis in oppoſita feratur, vel ita conſtat. Quod tamen non aliter quoque atque de ſiti fuit expoſitum debet intelligi: ut videlicet vel in calidum vel in ſiccum appetitus iſte feratur; quamvis tamen in ſiccum magis quam calidum: perinde ut ſitis maxime humidum appetit: Appetitus autem porro iſtius utriusque ſedes collocata eſt in ventriculo, quod videlicet & pars illa prima ſit officina & quaſi culina concoquendi alimenti, & propterea propter membranaceam ſubſtantiam maxime ſenſu prædita. Neque vero eſt, quod quis cum Arabibus Medicis vel aliis nonnullis etiam hodiernis, acidum quoddam ſeu humorem melancholicum aut ex liene in ventriculum effuſum aut huic inditum famem excitare patiatur ſibi perſuaderi: quum nullo argumento id oſtendere liceat, ex liene præterea ſecundum naturam nihil in ventriculum infundatur, multo minus talis Melancholia unquam in corpore reperiatur. Non quidem negari poteſt, ab humore acido ſi quando is in ſtomacho reperiatur famem præter naturam excitari: quomodo etiam ad appetitum ciendum acetaria menſis ſolent imponi. Verum iſtud quidem plane

eſt

eſt morboſum: ab acidis autem appetitum excitari verum quidem eſt, ut tamen nequaquam inde ad talem humorem, qui ſecundum naturam in ventriculo reperiri debeat, liceat argumentari. Qua de cauſſa vero in aliis appetitus fortior ſit, in aliis imbecillior, præterea cur alii plenius & frequentius alii parcius & minus ſæpe ſint cibandi, non fert hic locus multis exponere, ſed id commodius fiet tum in phyſiologicis, tum in diæteticis.

Quamvis autem nutritionis iſta ſit, quam diximus, ad vitam ſuſtentandam neceſſitas, non deſunt tamen ex omnis ferme ævi hiſtoria exempla de nonnullis, qui per complures dies imo annos ab omni cibo & potu abſtinuerint. Quorum exemplorum magnam copiam Schenkius collegit *lib. III. Obſerv. cap. de Aſitis.* quibus multo adhuc plura addit tum Paulus Lentulus in *hiſtoria Apolloniæ Schreiteriæ*, tum cumprimis Fortunius Licetus in opere *de his qui diu vivunt ſine alimento.* Quo etiam pertinet jejunium illud quadrageſimale quod h. l. deſcribitur, cui geminum eſt tum Moſis tum Eliæ exemplum.

Quamvis autem talia à quam multis obſervata ſint nequa-

Cauſſæ famem augentes: aqua, vigiliæ, &c. vid. Diætetic. *Multos & maxime patrem meum* (ſub perſona Licentii hæc dicuntur) *ſæpe animadverti, eo edaciorem quo refertior curis eſſet. Quid ſibi vult, quod tunc cibum pertinacius appetimus, cum in aliud intendimus animum? Aut quid eſt quod manibus & dentibus noſtris, occupatis nobis, animus imperioſius ſit?* Auguſtin. *l. 2. cont. Academic. c. 4.* *Syſigambis mater Darii dolori ſuccumbit &c. cibo pariter abſtinuit & luce: quinto poſteaquam mori ſtatuerat die exſtincta eſt.* Curtius *l. 10.* Quædam notavit quoque Rondeletius *l. 1. de piſcib. c. 13. p. 21.* Joannis Scoti jejunium apud Buchananum *l. 14. Scotic. p. 515.* Plin. lib. x. cap. ult. *Homini non utique ſeptimo letalis inedia duraſſe & ultra undecimum pleroſque certum eſt.*

nequaquam tamen omnes illæ hiſtoriæ parem commerentur fidem. Et profecto operæ pretium eſt de univerſo hoc argumento expendere accuratum examen, quod inſtituit Ampliſſ. noſter Conringius *lib. de calido innato cap. XVIII.* Summatim videlicet de hac re pronunciando ita habendum eſt, (1) multas hiſtorias falſas eſſe & ſubleſtæ fidei. (2) *Deinde* complures talem longam inediam ſimulaſſe, tantum ut peculiaris ſanctitatis opinionem apud vulgus ſibi conciliarent: ideoque ſæpius hic fraudes & dolos acceſſiſſe. Cujus generis quoque præter alia inſigne exemplum in puella Unnenſi à ſe deprehenſum deſcribit Joannes Wierus libello *de jejuniis commentitiis*, libro ejuſdem *de lamiis* adjuncto. (3) tamen de quibusdam quin revera per longum tempus vel ab omni alimento plane abſtinuerint vel ſaltem parciſſime illud ſumſerint res certa eſt. Ubi hoc *quarto* ſimul notari convenit, tales homines vel miraculoſe tam longi temporis inediam ſuſtinuiſſe, illos videlicet qui alias ſano fuerunt corpore: vel homines illos plane fuiſſe morbidos. Scilicet quo meliori valetudine quis gaviſus fuerit, eo magis quoque cibum ſolet appetere, & propterea tanto gravius quoque ferre poteſt inediam, quod videlicet nunquam non à calore nativo aliquid diſſipetur, quod proinde ſui reſtitutionem poſtulet. At vero qui cum morbis confligantur, præſertim frigidis, corpore præterea multis humoribus referto; præ omnibus aliis diutius ferre poſſunt abſtinentiam: & tanto adhuc magis, quanto plus ipſe appetitus fuerit proſtratus. Appetitu certe dejecto vel etiam reluctante alimenta ingerere nequaquam poſſumus. In talibus itaque corporibus quum inſuper calor imbecillis ſit, & humoribus quoque tantum non obrutus, & præterea pauxillulum à calore illo diſſipetur: non utique mirum

 rum

Digitized by Google

rum eſt, ſi tales vel perexiguo vel etiam nullo alimento vitam ſuam ad longum tempus miſere protrahant.

Quibus ita ſe habentibus in promtu jam eſt definire, quonam quadrageſimalia illa jejunia in hiſtoria ſacra occurrentia referri debeant. Quum videlicet & Moſes & Elias & Jeſus Chriſtus fuerint corpore ſano & recte valente, jejunium illud, quod illi per quadraginta dies ac noctes continuos ſuſtinuerunt, plane miraculoſum fuit; quum fieri non poſſit, ut quis ſalva vita vel ad dimidium tanti temporis à cibo & potu abſtinere poſſit. Hinc eſt, quod de Moſe quidem *Exodi XXXIV, 28.* & *Deuteron. IX, 9, 18.* expreſſe ſcribatur, commoratum illum fuiſſe in monte apud Dominum XL. dies & XL. noctes, nec panem comediſſe nec bibiſſe aquam & binis quidem vicibus. De Elia vero *I. Regum XIX, 8.* illum quum cibum & potum divinitus ſibi ſubminiſtratum aſſumſiſſet virtute illius cibi XL. dies & XL. noctes fuiſſe iter perſecutum usque ad montem Horeb. De Servatore noſtro denique apud Matthæum quidem, quod poſtquam XL. dies totidemque noctes jejunaſſet, eſuriverit; apud Lucam vero, quod XL iſtis diebus, quibus à cacodæmone tentabatur, nihil comederit, ſed poſtquam illi dies finiti eſſent, tum demum illum eſuriiſſe. Quæ omnia videlicet peculiaris ἐμφάσεως exprimendæ gratia à ſacris iſtis ſcriptoribus adjecta fuiſſe nequaquam

---

Nulla refectione interpoſita ultra hebdomadam perpetuaſſe jejunium aliquos cognovimus. Nam & ad ipſum quadragenarium numerum perveniſſe quendam, à fratribus fide digniſſimis nobis aſſeveratum eſt. Auguſtinus *epiſt. LXXXVI, to. 2. col. 390. B. Quod autem ait: panem non manducavit, & aquam non bibit; intelligitur jejunavit: à parte totum: id eſt nomine aquæ omnem potum ſignificante ſcriptura.* Idem Aug. *quæſt. ſuper. Exodum 165.*

quaquam eſt dubitandum; quaſi videlicet hoc voluerint ſignificare: quod jejunium illud fuerit ab iſtis ſanctis hominibus per tantum tempus toleratum, quanto ſanus recteque valens alius quis id ferre non poſſet, atque ita fuiſſe nihilominus illos conſervatos virtute plane ſupernaturali & divina. Claudemus hanc diſſertationem verbis Hyeron. ad Pammach. adv. errores Johannis Hieroſolym. *Quale eſt autem, iccirco dicere Dominum poſt reſurrectionem quadraginta diebus comediſſe cum Apoſtolis, ne phantaſma putaretur: & hoc ipſum, quod comedit in carne, & in membris viſus eſt, in phantaſmate confirmare? Aut verum eſt, quod videbatur, aut falſum. Si verum eſt: ergo verè comedit, & verè membra habuit. Si autem falſum, quomodo res falſas oſtendere voluit, ut reſurrectionis veritatem probaret? Nemo enim falſo verum probat. Ergo, inquies, & nos poſt reſurrectionem comeſturi ſumus? Neſcio: non enim ſcriptum eſt: & tamen, ſi quæratur, non puto comeſturos. Legi enim, non eſſe regnum Dei cibum & potum, repromittens nobis, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt. Moyſes & Elias quadraginta diebus jejunaverunt, ac noctibus, hoc hominum natura non patitur: ſed quod homini impoßibile eſt, Deo impoſſibile non eſt. Sicut qui futura prædicit, non intereſt utrum poſt decem annos, aut poſt centum futura prænunciet, quia una eſt ſcientia futurorum: ſic qui quadraginta diebus poteſt jejunare, & vivere, imo non poteſt jejunare, ſed vivit virtute Dei, & æterno tempore poterit absq; eſca & potu vivere.*

Ad Matthæi IV. ℣. 23. & 24.

Quamvis extra controverſiam ſit, omnes curationes & ſanationes morborum à Chriſto peractas planè fuiſſe ſupernaturales & ſimpliciter miraculoſas: videtur tamen de ipſis illis affectibus non idem eſſe ſtatuendum, h. e. quaſi

Digitized by Google

omnes etiam illi morbi tales fuerint, ut nulla humana ope potuerint curari. Videntur autem hanc noſtram ſententiam illa verba confirmare, quæ affirmant, curaviſſe eum omnem morbum & omnem languorem ſive infirmitatem. Cujus generis videtur omnino eſſe illa curatio, qua Petri ſocrum à febre liberavit. Nec enim ex uſlis indiciis conjectare licet, febrem illam letalem fuiſſe. Quinimo ne malignam quidem eam fuiſſe colligi poteſt. Ut miraculorum vis in ipſa curatione ejusque modo ſæpiſſime fuerit collocata quod videlicet verbo vel etiam manus applicatione in momento homines ſanitati reſtituerit: quod ipſum omnino virtutis ſupernaturalis eſſe oportet.

Etiamſi vero non omnes morbi à Salvatore noſtro curati fuerint in ſemetipſis ſpectati inſanabiles, (quod tamen non dixerim) tamen nihilominus plures tales fuiſſe extra dubium eſt. Pleræque ſane hiſtoriæ curatorum tales ſunt, quales morbos in ſcholis Medicis appellari ſolent divini. Sunt autem omnes illi morbi divini, non tantum qui ab ipſomet Deo immediate immittuntur, ſed etiam qui ab ipſo Cacodæmone: omnes videlicet illi, qui non à cauſſis naturali-

Atque hinc jam patet, quare Chriſtus ſit ille Propheta, quem ſui ſimilem à Deo exſuſcitatum iri Moſes dicit Deut. XVIII, 15. & 18. quò Petrus Act. III, 22. & Stephanus VII, 37. reſpiciunt. Nemo videlicet poſt Moſen tot ſigna & miracula edidit, Deut. ult. 10, 11, 12. Unde Chriſtum talia ſimiliter eſſe patraturum, vulgo quoque Iſraëlitæ cenſuerunt. Id ſane colligitur ex Luc. VII, 16. Joh. VI, 14, VII, 31. Quo etiam pertinet legatio diſcipulorum Joannis ad Chriſtum & Chriſti ad eos reſponſum Matth. X, 3, 4, 5. Ex illa vulgo nota interpretatione loquitur etiam Philippus Joan. I, 45. Unde Chriſtus ad opera ſua provocat Judæis eum interrogantibus Joan. X, 24. 25. item ad ipſiusmet Moſis teſtimonium Joan. V, 46. Quin & gentilibus id non prorſus ignotum teſtatur inclamatio Syrophœniſſæ Matth. XV, 22. Huc itidem reſpicit Martha Joan. XI, 17. Inde Chriſtum vocabant magnum Prophetam.

naturalibus ſed ſupernaturalibus, vel omni ex parte vel quadamtenus ſaltem dependent & oriuntur. De quo argumento præ omnibus aliis Hieronymi Jordani, viri doctiſſimi & optimi, librum jam in *programmate* commendavimus. Sunt autem morbi divini, vel potius habent aliquid divini illi, qui vel ſolito ſolent ſæviora ſymptomata ſecum adducere, vel etiam remediis alias experti uſus fruſtra oppugnantur, imo iis manifeſto exacerbantur, ceu eleganter illud ipſum obſervavit Ampliſſ. noſter Conringius in *epiſtolis* ſuis, ad Jordanum libro & in volumine Epiſtolarum ipſius præmiſſis.

Ne tamen hic fortasſis ſcrupulus alicui injiciatur, non alienum fuerit ab hoc loco paucis illum eximere. Poſſet videlicet quis exiſtimare, quaſi omnes proinde morbi qui ab hominibus curari nequeunt, habeant aliquid divini: quodque propterea omnes illi, qui morte naturali ſive ex morbo decedunt, ſimul tali morbi genere, quod cauſſas ſupernaturales habeat adjunctas, intereant.

Verum *primo* quidem hoc nequaquam negandum eſt,

Non ille debilis, qui aliorum debilitates imperiali ſermone ſanabat. An debilis videbatur cum paralytico præcipiens: Tolle grabatum tuum & ambula. Sanitatis jam mandabat effectum, cum adhuc ille remedium debilitatis oraret. Num debilis Dominus virtutum, cum illuminaret cæcos, inclinatos erigeret, mortuos ſuſcitaret, votis noſtris medicinæ præcurreret effectus: Orans curaret & fimbria mundaret & tactus? Niſi forte debilitatem illam impii putabatis, quando vulnera videbatis. Erant quidem illa corporis vulnera: Sed non erat vulneris illius ulla debilitas, ex quo vita omnium profluebat. Unde & Propheta dixit: livore ejus nos ſanati ſumus. An qui in vulnere debilis non erat, erat in majeſtate? quomodo, quæro, cum Dæmoniis imperaret, & reis peccata dimitteret, aut cum rogaret Patrem? Ambroſius lib. IV. de fide cap. 3.

De morbis omnino quoque ſimul eſt intelligendum, quod Petrus

non paucos talium morborum, quos diximus, vi omnino intercipi. *Deinde* naturales illi morbi propterea tamen nihil habent divini, licet ſint inſanabiles. Poſſunt enim morbi hi ab iſtis præcipue ſymptomatibus facile dignoſci. Naturales etiam morborum cauſſæ ſi tantas vires habeant, ut hominem posſint è medio tollere, itidem, modo quis diligenter attendere velit, non difficulter poſſunt deprehendi, & quidem ex univerſi corporis habitu & temperie. Quod ſi enim ſive ſenio, ſive diuturno languore, ſive morbi vehementia, ſive etiam externis & violentis de cauſsis temperies & habitus corporis ex naturali ſtatu plane receſſerit, non aliter fieri poterit quin mors tandem hominem occupet. Præter hæc tamen *tertio* illud quoque meretur obſervari, non raro morbos ipſos implicatos eſſe, ita ut ſupernatura-

---

Actor. X, 38. ad Cornelium centurionem dicit, Jeſum *ſanaviſſe omnes τοὺς καταδυναστευομένους ὑπὸ τοῦ διαβόλου.* Poteſtas videlicet, ſub quam homines is redigit, non eſt uniuſmodi. Incurvatio ſane ac mutitas etiam diſerte ipſi tribuitur.

Accipiunt enim (Dæmones) *ſæpe poteſtatem & morbos immittere, & ipſum aerem vitiando morbidum reddere, & perverſis atq; amatoribus terrenorum commodorum malefecta ſuadere: de quorum moribus certi ſunt, quod ſint eis talia ſuadentibus conſenſuri. Suadent autem miris & inviſibilibus modis per illam ſubtilitatem ſuorum corporum corpora hominum non ſentientium penetrando, ſeſeq; cogitationibus eorum per quædam imaginaria viſa miſcendo, ſive vigilantium, ſive dormientium.* Et poſt alia: *Aliquando & hominum diſpoſitiones, non ſolum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas cum ſigna quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiſcunt &c.* Auguſtin. *l. de divinatione dæmonum c. 5.* qui tamen poſtremum improbat *l. 2. retract. c. 30.*

Quandoquidem vero hæc ita ſe habent, utique patet de iis juxta ac reliquis à Chriſto patratis miraculis merito uſurpari debere illud Hilarii *lib. II. de Trinit.* (p. 18, 6, 7.) *Omne tempus quod in homine git Dei operibus explevit. De ſingulis non eſt tempus excerere: tantum illud* *in u-*

Digitized by Google

pernaturales ſeu diviniores cauſſæ unà deliteſcant, nec ita ſtatim â quovis posſint deprehendi. Quales affectus frequenter ſunt epileptici & convulſivi, utpote quales etiam Cacodæmon præ aliis ſoleat hominibus immittere.

Ad Matthæi V. ℣. 13.

Salis virtus unice conſiſtit in acrimonia, unde quoque omnes illius facultates ſive in medicum, ſive in culinarem, ſive in alium uſum petantur, dependent: quas omnes nemo clarius perſecutus eſt toties laudato Conringio noſtro peculiari diſputatione. Præterea quo ſiccius ſal fuerit, eo quoque & magis tale eſt, & diutius quoque conſervatur. Qui vero facile diſſolvitur & nimis eſt madidus, nec diu poteſt durare, nec etiam ſalſedinis ratione cum illo poteſt venire in contentionem. Per humectationem quippe ſive potius madefactionem diſſolvitur, atque ita vis illius acris per quam conſtituitur, exhalat & diſpellitur. Eſt videlicet illa poſita in calidis & igneis particulis. Qua de cauſſa quoque ad conſervationem ſalis non in locis ſubterraneis aut alias madidis, ſed ſiccis & calidis is collocari ſolet. Perinde videlicet hac in parte ſeſe res habet atque in aliis, quorum virtus in ſummis & tenuibus partibus hæret. Quamvis etiam in ſale hac quoque ratione magnum ſit diſcrimen. Quo crasſior videlicet ille fuerit ſive (ut cum barbare loquentibus ſcriptoribus & loquamur) grosſior, eo quoque

---

in univerſis virtutum & curationum generibus contuendum eſt, in carnis aſſumtione hominem, Deum vero in geſtis rebus exiſtere. Debebant igitur iſta Judæos convincere, qui nihilominus ad opera ſua provocanti Chriſto audent opponere, quænam opera ſint illa. *Cum ſola geſtorum auditio ad idem rapere debuiſſet* eos, Hilar. *can. II. in Matth. Cum enim ea quæ gereret propria Deo eſſent &c. Dei non intellecta natura eſt*: ceu idem Hilarius Philippi Apoſtoli Patrem videre deſiderantis cum Chriſto ſermonem expendens ſcribit l. VI. col. III,

que diutius poteſt conſervari & virtutem ſuam tueri. Qualis cumprimis ille etiam eſt ſal, qui ex aqua marina conficitur, quo videlicet harengi ſolent condiri. De qua re omni cumprimis lectu digna eſt paulo ante laudata cl. viri diſputatio.

Ad Matthæi V. ℣, 36. 1. Pet. III. ℣. 3.

Poſſet fortasſis videri, quaſi hæc tantum populariter ita dicta ſint, non habito reſpectu exactæ veritatis, quum videlicet capillorum tinctura jam olim non fuerit inſolens: ne quid de noſtris hodierni ævi moribus dicamus. Et ſeorſim quidem nigrum colorem pilis poſſe adſciſci, videtur in vulgus quoque eſſe notum: utpote quum certa quoque illius rei experimenta non deſint. Quomodo e. g. illi ſolent, qui ſive naturæ ſive alio aliquo vitio ante tempus canos gerunt, pectine plumbeo illos ita paullatim corrigere, ut ſenſim canities in contrarium colorem mutetur.

Quicquid autem de hoc aliisque experimentis ſit dicendum, nihilominus tamen Servatoris illud pronunciatum non dubitandum eſt omni ex parte veritati maxime conſentaneum. Licet enim fucus hac in re multum quoque valeat, perinde ut alias ad externam corpori venuſtatem

---

A gentilibus illum morem acceptum retinuerunt Chriſtiani. Unde Eccleſiæ doctorum in eam rem invectivæ inter quos Tertullianus: quem imitatus Cyprianus *l. de diſcipl. & habitu virg.* graviſſime juxta ac prolixe morem illum perſtringit. *Peccatores & apoſtatæ angeli, & oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris & capitis veritatem corruptela ſua impugnatione docuerunt.* Et poſt, ipſo hoc Evangeliſtæ loco adducto: *Dominus tuus dicit: Non potes facere capillum unum album aut nigrum: & tu ad vincendam Domini tui vocem vis te eſſe potiorem: &c* Clemens Alexandrinus-

tem conciliandam multum poteſt: nihilominus tamen *primo* cum omnibus iſtis pigmentis ita eſt comparatum, ut naturalis color non omnino poſſit profligari. Id quod in canitie vera quam maxime apparet: utpote quæ adeo non poſſit omnis exſtirpari, ut ſemper quædam veſtigia remaneant & ſenſim iterum illa increſcat. Nam de adſcititia illa canitie, qua hodie plurimi gaudent, per pulveris videlicet alicujus inſperſionem adſcita, non eſt quod quicquam dicatur, quum illa tantum non ſit momentanea. *Deinde* ſæpe quoque tales artes non ſuccedunt. *Tertio* non niſi cum labore demum talis mutatio poteſt acquiri. Ut ita quidem artificia variis caloribus pilos inficiendi nihil quicquam huic ſervatoris adſertioni obſtent. Alias enim cauſſas hoc loco arceſſere plane ſupervacaneum exiſtimamus: neque recurrendum eſſe ad illud, quod nemo pius unquam negaverit, quod videlicet nihil omnino quicquam abſque primæ cauſſæ concurſu poſſimus agere; utpote quum in omnibus etiam viliſſimis actionibus illa neceſſario ſemper ſupponatur.

Ad Matthæi IIX. ℣ 14. 15.

Quanam febri Petri ſocrus laboraverit perinde eſt, quum ex nullis conjecturis illud ipſum poſſit definiri, etſi Lucas IV. 38. dicat eam fuiſſe detentam πυρετῷ μεγάλῳ. Parum quoque refert qualinam febre correpta fuerit, quum vis miraculi in curatione plane inuſitata conſiſtat, ceu paullo ante monimus.

Eſt autem febris affectus omnium ferme maxime frequens: quamvis natura & cauſſæ ejus usque adeo ſint adhuc impeditæ, ut vix ullus alius ſit morbus, cujus omnium naturam hactenus minus licuerit aſſequi. Certe quæ vulgo in ſcholis de natura atque cauſsis febrium ſolent doceri, ſi quidem veritas (ut omnino par eſt) dicenda ſit, fa-

Digitized by Google

bulis quam veritati longe ſunt propria. Danda tamen nobis fuerit opera, quo generatim ſaltem, quantum quidem ex illis quæ in ſenſus noſtros incurrunt in abdita penetrare licet, natura ejus poſſit innoteſcere.

Et illud quidem (1) tanquam indubitatum eſt ponendum, febrium naturam proprie conſiſtere in calore præternaturali. Qua etiam de cauſſa apud Græcos πυρετὸς, & nonnunquam πυρὸς nomine afficitur: licet πῦρ non quamvis febrem, ſed illam, quam καῦσον ſive ardentem vocamus, proprie denotet.

Deinde notandum eſt, non quamvis calidam intemperiem eſſe febrim, ſed illam, quæ cordis calorem præter naturam auget. Nec enim audiendi ſunt illi, qui aliarum quoque partium febres, calore videlicet cordis non in conſenſum pertracto, ſtatuunt. Quando igitur calor ille eſt talis, ut cordis calorem ſupra modum incendat, febri aliquem laborare recte dicitur. Quum vero porro cor fons & principium ſit totius vitæ, ſedes etiam atque domicilium ſeu focus calidi nativi, ita ut reliquæ omnes partes, nulla excepta, cordi vitam ſuam debeant; hæc autem cum ſanguine ipſis nunquam non quovis cordis pulſu communicetur: non poteſt etiam aliter fieri, quin calida cordis intemperies univerſo quoque reliquo corpori communicetur.

Solet autem (3) Vulgo febris definiri, quod ſit calor accenſus in corde: unde porro à pleriſque omnibus ita ſolet doceri, quod ſit calor aliquis non tantum præternaturalis, ſed etiam diſtinctus à calore ſive calido nativo. Verum *præternaturalis* quidem appellatio illi adhæſit ex Medicorum modo loquendi; utpote quibus præternaturale illud audit, quod ſanitati adverſatur, & uſus actionesque corporis quomodocunque vitiat. Quapropter Philoſophice loquendo calor ille febrilis omnino & quam maxime eſt

Digitized by Google

eſt naturalis, licet à Medicis illo nomine non afficiatur. Num vero propterea ille plane diſtinctus ſit à calido nativo, non æque conſtat: quin imo ſi quid recte colligimus, contrarium potius fuerit affirmandum. Neque vero nunc vacat prolixas diſputationes, quas inter alios tum Ludovicus Mercatus, tum Andreas Cæſalpinus & *lib. 1. quæſt Medicar.* & *lib. 2. Artis Medicæ*, tum & præcipue quidem illi qui in Avicennam commentati ſunt, hac de re inſtituunt, agitare, quum res paucis poſſit definiri. Conſtat videlicet, calore nativo nimio plus aucto protinus illum reddi præternaturalem: & vice verſa, illo præternaturali ad mediocritatem redacto & contemperato, illum iterum reddi naturalem. Ut calor febrilis à naturali non differat, niſi nimia copia, & quod modum excedat. Perinde videlicet ut igne quodam vulgari mediocri & corpus noſtrum reficitur & alia omnia, quibus adhibetur, recte perficiuntur: ſin vero juſto plus capiat incrementum, protinus & nobis & aliis rebus noxius eſt & incommodus. Sicut igitur pabulo illi ſubtracto, vel eo ex parte exſtincto, ſtatim ad mediocritatem reducitur & contemperatur vulgaris ignis: ſic eodem plane modo cum calore febrili ſeſe res habet. Neque vero ipſimet illi, qui tamen alias ſententias defendunt, hoc ipſum poſſunt inficiari. Quum autem ita hoc ſeſe habeat, fruſtra peculiaris aliquis calor introducitur, præterque neceſſitatem.

Quandoquidem vero *quarto* calidum noſtrum nativum verus & naturalis quidem eſt ignis, ceu luculentiſſime demonſtravit Cl. noſter Conringius, ideoque differentiæ quoque & qualitates quæ alias igni competunt, in calido noſtro nativo adeoque ipſo calore febrili deprehenduntur, & quidem quam maxime huc pertinet illa differentia, quæ eſt inter ignem flammeum &

riant. Unde aliæ ſunt continuæ aliæ intermittentes; aliæ acutæ, aliæ chronicæ; aliæ hæc, aliæ illa Symptomata adducunt: quæque ſunt febrium differentiæ aliæ. Quare vero humores alii ſingulis diebus, alii alternis, alii quarto, alii aliis diebus moveantur & effervefcant, difficilius eſt explicatu. Quamvis enim hac de re omnes illi qui de febribus ſcripſerunt tractare ſolent, nemo tamen hactenus repertus eſt, qui omnibus ſatisfecerit. Omnes videlicet rationes & argumenta cuncta ad ἰδιοσυγκρασίας tendunt. Quod quidem omnino non poteſt negari: ita tamen ut fortaſſis non nunquam illud ipſum clarius poſſit exponi. De quibus omnibus tamen, quum nimis prolixum id foret, nunc ſeorſim agere non vacat.

Sexto tamen non abs re fuerit tantum illud hic adhuc obſervare, quod videlicet illi, qui ſemel cum febribus colluctati fuerunt, facile rurſus ab ea posſint tentari: & tanto facilius quidem, quanto gravius & diuturnius cum illa ſunt conflictati. Videtur autem iſtius rei cauſſa non alio referri poſſe, niſi quod per graviorem & diuturniorem febrem quaſi ἐμπύρευμα ſeu fermentum quoddam huic vel illi parti, unde febris primo originem ſumſit, fuerit impresſum. Non ſecus videlicet atque illi, qui parte aliqua quondam vulnus acceperunt, certis temporibus & cumprimis quidem circa inſignes tempeſtatum mutationes inſtantes in eodem loco, licet dudum clauſo & cicatrice obducto, moleſtiam quandam & nonnunquam quoque recrudeſcentiam ſentire ſolent. Quale inſigne & maxime notabile exemplum ipſemet in viro quodam Göttingenſi obſervavi. Hic enim quum ante viginti ipſos annos Wolfenbytteli gladio eſſet punctus & transfixus, per tantum tamen temporis intervallum nihil omnino quidquam moleſtiæ percepit, donec tum demum locus ille de novo exulceratus tot

moleſtias viro illi pepererit, ut totum dorſum ſubinde nomis iſtiusmodi exulcerationibus ſibi per vices ſuccedentibus fuerit defœdatum.

Ubi *ſeptimo* & hoc quoque obſervari meretur, quosdam longe procliviores eſſe in febrim præ aliis, & cumprimis quidem illos, quibus ſanguis eſt calidior & ſubtilior. Illo enim levi de cauſſa φλόγωσιν aliquam paſſo, & vel animo commoto ſtatim febriculam quandam ſentiunt.

Octavo demum nec illud negari debet, ut aliis morbis ita febribus quoque ſæpiſſime ineſſe θεῖόν τι, quod perinde & ipſos ægrotos & Medicos miris modis ſolet divexare.

Ae Matthæi IIX. ℣. 16. 28. & ſeqq.

Quemadmodum malorum geniorum non unum ſed multiplex eſt genus, ita quoque non uno modo homini inſidias illi ſtruunt & nocent. Quod ipſum non incommode ad quatuor claſſes videtur reduci poſſe. Nam (1) obſidet longe plurimos malignus genius clandeſtine & (ut ita dicam) plane ſpiritualiter: dum videlicet animum hominis

Ita Satanas dicitur introiiſſe in Judam proditorem Luc. XXII, 3. & Ioan. XIII, 27. *Poſt buccellam intravit in eum Satanas, quia ante buccellam ſponte peccaverat, & nec humilitate nec clementia Salvatoris flexus eſt ad pœnitentiam.* Hieronym. *Apolog. II. adverſ. Ruff. p. 214.* Introitum illum Satanæ in Judam Didymus. *lib. III. de Spir. S.* (ſub fin.) ita exponit: *Obſervans Diabolus è quibusdam motibus & operationum ſignis, ad quæ potiſſimum Judæ cor eſſet vitiis proclivius, deprehendit eum patere inſidiis avaritiæ: & reperta cupiditatis janua, miſit in mentem ejus quomodo deſideratam pecuniam acciperet, & per occaſionem lucri proditor magiſtri & ſalvatoris ſui exiſteret, argentum pro pietate commutans, & ſuſcipiens precium ſceleris à Phariſæis atque Judæis. Hac ergo cogitationis occaſio, locum tribuit Satanæ: ut in cor ejus*

nis miris modis ab eo quod bonum & honeſtum eſt avocat, & ad omne genus vitiorum impellit. *Deinde* non uno modo corpus affligit: & quidem ſive humores ejus variis modis alterando & perturbando; ſive illa per inſtrumenta ſua & mancipia exhibendo, quæ valetudinem proſternunt & hominem diris cruciatibus affligunt; ſive per eosdem illos miniſtros ſuos, veneficos videlicet & ſagas, mediante ſymbolo quodam, adeoque ex ſe & ſua natura nihil tale quid præſtare valente: quo pertinent inprimis morbi per incantationem illati. (3) Porro quosdam Deo permittente ita invadit & obſidet & quaſi inhabitat, ut iis non aliter quam inſtrumentis ſuis utatur: ita tamen ut corpore duntaxat illorum & partibus ejus abutatur, non autem ipſo animo, ceu fit in alteris illis ſuis miniſtris. Qua de cauſſa quoque tales homines ἐνεργούμενοι & obſeſſi dicuntur; quod videlicet partes corporis ſui & illarum motum non habeant in ſua poteſtate, ſed plane inviti & reluctantes ad illius arbitrium eas moveant. (4) demum quibusdam longe alio modo cohabitat, tanquam comes quidam ſive conſiliarius. Qualem ſpiritum πάρεδρον jam olim vocaverunt, vulgo vero familiarem ſolemus appellare.

Quum verò tot modis humano generi genii illi inſidias

---

ejus introiens, impleret eum peſſima voluntate. Introivit ergo, non ſecundum eſſentiam ſed ſecundum operationem: quia intrare in aliquem, increata natura eſt ejus, quæ participetur à pluribus. Imparticipabilis ergo diabolus eſt, non creator, ſed creatura ſubſiſtens. Hæc eleganter ſane Didymus. Similem in modum intelligi debet illud Petri ad Ananiam, quod Satanas cor ejus impleverit, & Pauli & Elymam, filium diaboli eum appellantis. Minus rectè tamen Didymus Satanæ ſubſtantialem (ut ita loquar) in homine inhabitationem negare videtur, quum tamen plane contrarium miſeri energumeni doceant, & ſimile in brutis ſit obſervatum jam olim.

Digitized by Google

dias ſtruant, facile tamen ſingula illa à ſeſe poſſunt diſtingui & internoſci. Et *primus* quidem modus quum ad animum pertineat, longe plurimum diverſus eſt ab illis aliis: quique ſæpisſime tanto minus obſervari vel attendi ſolet, quanto magis præ omnibus aliis ſumme eſt periculoſus. De quo tamen nunc quidem prolixe agere per inſtituti rationem non licebit. Eſt enim tractatio illa mere moralis, quam ſubinde ſacri ſcriptores ſolent attingere. Operæ quoque pretium eſt legere librum *de ſtratagematibus Satanæ* Jacobi Acontii, ut qui plane ſit hujus argumenti: quamvis non de omnibus, ſed illis tantum fraudibus agat, quibus Eccleſiam Dei Cacodæmon ſolet perturbare.

Quod vero ad *ſecundum* genus pertinet, videlicet morbos corpori noſtro à pravis geniis inferri ſolitos, quum jam ſupra de hac re ſit actum, non opus nunc fuerit denuo de eo ſermonem inſtituere. Pertinent huc videlicet omnes illi morbi, quibus divinum quid ineſſe jam aliquoties dictum fuit. Tantummodo illud diſcrimen obſervetur: non omnes morbos divinos protinus eſſe à malis geniis inductos, nec etiam induci; ſed quosdam ab ipſo Deo in pœnam hominibus immitti, ſive id fiat immediate, ſive (quod veriſimilius videtur) miniſterio alicujus angeli, boni tamen.

Quod vero ulterius ad πάρεδρον Spiritum pertinet, quum is ejusque conſideratio plane huc non pertineat, non etiam eſt, quod de eo nunc aliquid afferatur: præſertim quum ad Acta Apoſtolica commodius illud ipſum fieri poſſit.

Supereſt igitur *tertium* illud, cujus exempla hoc ipſo in capite nobis recenſet Evangeliſta. Quamvis enim tales δαιμονιζόμενοι, quorum videlicet corpus tanquam domicilium quoddam pravus ſpiritus incolit, ab aliis iſtis facile

ab-

Digitized by Google

ab uno quovis poſſint diſtingui: non perinde tamen ſtatim ab aliis morbis, præſertim illis, qui animum ipſum ſimul in conſenſum trahunt, poſſunt internoſci. Et quidem cum furibundis, Maniacis & phreneticis dæmoniaci in multis conveniunt, quinimo nonnunquam res ita videtur eſſe intricata, ut merito de maligni Spiritus concurſu prudenti cuivis ſuſpicio oboriatur. Quinimo fortaſſis non dubitandum eſt, aliquando tale quid omnino in ejusmodi deliriis ſubeſſe. Quomodo mihimet ipſi aliquando in Palatinatu curandus fuit oblatus phremeticus quidam, qui illa ſymptomata patiebatur, ut dæmoniaci quid omnino videretur ſubeſſe. Qualia ſunt cumprimis horrendæ blasphemiæ, quas homo ille complures effundebat. Qui tamen Dei gratia brevi temporis ſpatio ſanitati reſtitutus fuit.

Notari vero cumprimis hic debet, talem Dæmonis in homine inhabitationem ſeu obſeſſionem non eodem ſemper ſeſe habere modo. Quædam enim magis latet minusque eſt firma, quædam ex adverſo manifeſtò prodit, difficiliusque pellitur. Præterea ſymptomata non ſemper eadem miſeri illi homines patiuntur. Quidam enim plane in furorem aguntur, quod contigit etiam duobus iſtis Gergeſenis: quidam longe aliis modis afficiuntur. Nonnulli varios motus & cumprimis convulſivos corporis ſuſtinere coguntur: quidam redduntur ſupra modum ingenioſi &

 docti

Nec ipſi homines quorum rationalis natura eſt, cum dæmon in eis loquitur, ea paſſione cui exorciſta requiritur, ſciunt quid loquantur. Auguſtin. *l. 11. de Gen. ad liter. c. 28.* Perinde videlicet ut per ſerpentem diabolus, per aſinam Bileami Angelus bonus locutus fuit. *cap. eod. & 29.*

Cujus generis etiam eſt ea quæ alibi jam geruntur ac fiunt indicare, vel futura prædicere. Qualia bina in duobus phreneticis exempla notavit Auguſtin. *l. 12. de Gen. ad liter. c. 17.*

Digitized by Google

-docti, ita ut linguis etiam peregrinis & quas nunquam didicerunt, loquantur. Quod proinde quum aliquando phreneticis quoque vel profunde Melancholicis contingat, videtur omnino Dæmon tum concurrere, quum ejusmodi quid ex nulla naturali cauſſa fieri poſſit. Poteſt quidem ingenii acrimonia per ejusmodi affectus corporis aliquando quaſi acui & intendi: at vero tale quid facere & illa loqui, quæ nunquam quis didicerit vel etiam alias & ceſſante paroxyſmo non capit, ſupernaturalem profecto omnino arguit cauſſam.

Solent autem porro qui hoc argumentum tradunt vel attingunt plerique omnes ita cenſere, quod Melancholicus humor maxime aptus ſit ad Cacodæmonis ludibria peragenda & propterea melancholici & ſubtriſtes præ omnibus aliis quoque ad ejusmodi affectus ferendos ſint apti & idonei: quo videlicet etiam pertinet illud vulgare verbium, quo melancholia & triſtitia pulvinar Diaboli eſſe dicitur.

Ceterum quod ad proverbium illud pertinet, utique vereor, ne ſenſus ejus per ejusmodi expoſitionem nonnunquam detorqueatur. Non videlicet quidem negamus, quod talis humor melancholicus, qui videlicet aptus ſit ad affectum ſimul animi quendam inducendi, non ſit incommodus ad maligni genii operationes. At vero cum mœſtitia tali cognomine, ceu expoſitum fuit, afficitur, procul dubio ad id potius reſpicitur, quod ejusmodi homines ſupra modum triſtes & ejusmodi cogitationibus ſeſe macerare ſoliti, facile â Cacodæmone ad deſperationem & ad manus violentas ſibi inferendas poſſint adigi. Quod ipſum quoque experientiæ & hiſtoriis apprime eſt conſentaneum.

Quod vero ad humorem Melancholicum pertinet, de eo ante omnia illud obſervandum venit, talem in corpore ſecun-

Digitized by Google

ſecundum naturam conſtituto & recte valente non reperiri. Quinimo nec illum quidem, qui præter naturam generatur, adeoque cauſſa eſt morborum, quiſquam hactenus probavit. Agnoſcimus quidem & nos humorem aliquem Melancholicum & atrabiliarium, ſed qui longe diverſus ſit ab illo, qualis ex vulgari opinione ſtatui ſolet.

Quamvis autem de humore melancholico res ſit controverſa; concedimus tamen melancholicos præ aliis maxime eſſe aptos, quos ludificet & miſeris modis exagitet malignus genius. Præterea illos, qui mente ſunt mota, magis illi quoque eſſe obnoxios jam tum diximus. Quales cumprimis videlicet ſunt Maniaci & Phrenetici. Quin hujusmodi itaque affectibus ſæpe ſeſe miſceat ille ſpiritus impurus, vetant nos dubitare ea quæ contingunt, cujus ſpecimen itidem jam tum adduximus. Quamvis affectus illos ſeorſim & in ſeſe conſiderando non poſſimus vulgaribus ſcholarum placitis per omnia aſſentiri. Primo enim de humore melancholico jam tum diximus. Deinde nec in Maniacis aut Phreneticis talem humorem, quem deſcribimus, reperiri itidem certum eſt. In Phreneticis ſane bona pars maſſæ ſanguineæ in flavam bilem commutatur. Præterea quoque affectuum illorum ſedem proxime in ipſo ſanguine jam ſupra collocavimus: quæ itidem cum iis quæ vulgo hac de re doceri ſolent, non usquequaque conveniunt. Quidquid autem ſit de his affectibus, utpote quorum conſideratio non niſi ſecundario huc pertinet, cum eis dæmoniacos affectus aliquando conjungi vel alias multum iis eſſe ſimiles, tanquam omnino certum nunc habeamus.

Si quis autem ulterius in horribilium horum affectuum cauſſas inquirat, quomodo videlicet ad eum modum corpora hominum ſpiritus ille invadat, videtur res non

ubivis uno & eodem modo ſeſe habere Nam Deo permittente hæc omnia fieri extra controverſiam eſt, ideoq; de eo nemo, qui ſanas quidem ſententias foveat, ullo modo poterit dubitare. Non examinabimus videlicet jam tum Lactantii, tum aliorum ex priſco pariter & recenti ævo opiniones, qui maligni ſpiritus, & ſecundum illorum doctrinam Antithei, peculiarem vim tum in hunc inferiorem mundum, tum in ipſum corpus noſtrum eſſe cenſent: alias videlicet omnia illorum placita accuratius expenſuri.

Quod vero propius ad noſtram contemplationem pertinet, *primo* plerumque nullo alio quodam concurrente atque ita immediate talis Dæmonis obſeſſio videtur fieri: ſuppoſita tantum Dei, quam diximus, conceſſione. *Deinde* tamen non videntur plane omni vi carere diræ imprecationes & devotiones, quibus interdum etiam ipſi parentes ſuis liberis, ut nempe dæmones in corpora eorum migrent, non dubitant maledicere *Tertio* per incantationem quoque Dæmones in hominum corpora quandoque migrare & quaſi immitti, vel illa non obſcure docent, quæ cis paucos annos Paderbornæ contigerunt: ne nunc alias hiſtorias atque exempla afferre ſit neceſſum.

Quomodo vero porro ſpiritus illi nunc has nunc illas partes magis occupent & inſideant, nobis non licet definire; utpote quibus nec ipſiusmet corporis nec animæ noſtræ intimior conjunctio plane ſit perſpecta. Quapropter etiam fruſtra quis fuerit in horum omnium rationibus inveſtigandis.

Ceterum quomodo δαιμονιζόμενοι curandi & ab impuro hoſpite liberandi ſint manifeſto nos docet praxis hiſtoriarum Evangelicarum. Scilicet ad preces, cumprimis nominis Jeſu invocationem, numquam non Dæmonem coactum fuiſſe cedere, non Evangelica duntaxat ſed univerſa etiam Chriſtia-

Digitized by Google

Chriſtiana Eccleſiaſtica hiſtoria ſufficientiſſime docet. Neq; vero neceſſum eſt ceremonias iſtas,& operoſum ac ſuperſtitionibusque pleniſſimum proceſſum ad Dæmonia ejicienda uſurpare, qui pontificiis exorciſtis eſt in uſu. Multo minus eſt, quod *praxin Exorciſtarum* (quæ vocatur) quis deſideret vel adhibere cupiat; quum ille liber tales ritus & modum procedendi doceat, qui non niſi ab ipſis illis humani generis ἀσπόνδοις hoſtibus, pravis videlicet geniis, potuit proficiſci: utut tantopere eum dilaudent & commendent Pontificii. Quapropter longe ſatius fuerit ab ejusmodi libri lectione abſtinere, quam illum inſpicere, quum ſimplici prece, à caſtis præcipue animis profecta, omne illud negotium quam optime & tutiſſime perficiatur.

Nec tamen Medicina corpori adhibita nullum heic invenit locum, quum non deſint exempla, ſolis illis tales homines quandoque fuiſſe reſtitutos. Ita ut purgante aliquo medicamento Dæmonem fuiſſe ejectum doceat alicubi, niſi fallor, Deſiderius Eraſmus.

Diſcere autem hinc cumprimis illud eſt, quod ſupra jam attigimus, non uno modo nec æque firmiter Dæmones humana ſemper corpora inhabitare. Alias quoque ejusmodi Medicamentis, quæ Melancholicos & bilioſos humores expurgare valent, homines iſtiusmodi multum juvantur. Manifeſto indicio: prout corpus magis fuerit pronum ad affectus mentis & rationis uſum perturbantes, hoc ipſo quoque ſimul hoſpitium illud ad malignum illum ſpiritum magis præparari & reddi aptum.

Ubi tamen etiam atque etiam quemlibet cavere oportet, ne propterea Pomponatii vel aliorum ejusmodi hominum impiis ſententiis ſeſe patiatur ſeduci, quaſi videlicet vel dæmones haberent corpora, licet ſubtiliora eſſent noſtris; vel ac ſi tales genii non eſſent, ſed omne illud

Digitized by Google

quod vulgo de iis doceri ſolet, phantaſmatibus & deliræ mentiſit adſcribendum: quum licet non ex omnibus, ex quibusdam tamen, ſole meridiano clarius, genios illos dari, evinci poſſit.

Quæ vero quamque multiplicia obſeſſis accidere ſoleant, quæque alia ſunt ad illam rem & ejus varietatem pertinentia, passim reperire eſt in longe elegantiſſimo Jordani libro *de eo quod divinum eſt.* Quæ qum ibi ab unoquovis expendi poſſint & debeant, non etiam eſt quod nos nunc illa huc transferamus.

Procul omni vero dubio talia miſeranda ſpectacula Deus aliquando permittit hominibus aliis exhiberi, ut ſiquidem aliis luculentisſimis teſtimoniis & documentis fidem habere nolint, ipſimet tamen ſenſibus ſuis judicibus & quaſi palpantibus diſcant, dari ejusmodi pravos & noſtro generi nunquam non inſidiantes genios. Ut ita nullum ſit dubium, quin hinc quoque argumentum longe maximi roboris adverſus atheos poſſit peti.

Ad Matthæi IX. ℣. priores 8.

Quo Paralyſeos natura & cauſſæ eo rectius poſſint exponi, neceſſario præmittendum eſt, in quonam oppoſitus illi ſtatus, motus videlicet artuum & totius corporis, ſit poſitus, & quibusnam partibus perficiatur. Perinde ut alias quoque nunquam non ſtatus ſive valetudo præter naturam recte & plene exponi vel cognoſci nequit, niſi prius ſanitatem, quæ videlicet morbo oppoſita eſt, habueris perſpectam.

Quod igitur ad facultatem locomotivam pertinet, vulgo quidem ita ſolet doceri, quaſi illa in partes motui inſervientes

---

Paralyſis ſpontanea pro lubitu excitata Fien. *l. de virib. imaginat. p.* 56. ex Avicenna, qui inſpiciendus, & ad eum Gentilis. *Jacebat quondam*

Digitized by Google

vientes influat, ita ut ab influxu illo omnis illa vis ſoleat ſuſpendi. Verum quicquid de hac re ſit, cujus veritas paullopoſt patebit, nobis cum melioribus quibusque Philoſophis plenariæ facultatis nomine illud demum venit, quicquid ad ejus integritatem pertinet & requiritur, ita ut eo vel abſente vel læſo ipſa illa facultas quoq; ſimul vitium capiat. Ut ita talis ejusmodi facultas ſive δύναμις ſit unum aliquid ex omnibus illi inſervientibus compoſitum. Perinde ut de anima quoque Ariſtoteles & multi alii ſunt philoſophati, ceu plenius aliquando oſtendemus in *Lexico Ariſtotelico.*

Quo autem quæ ad facultatem ejusmodi aliquam pertinent eo diſtinctius ſimul & clarius posſint proponi, ante omnia notandum eſt, quamlibet ejusmodi corporis animati

dam paralyticus in lectulo, & ſic erat cunctis artubus diſſolutus, ut nec pedes ad ingrediendum, nec manus movere poſſet ad precandum, & tamen profertur ab aliis; & reſtituitur priſtinæ ſanitati, ut portaret lectulum, qui dudum portabatur à lectulo. Hieronym. *ad Ruſticum.*

Paralyſis non recte Germanice vocatur Gicht. Hæc enim eſt Arthritis. Ideoque quæ de doloribus paralytici vulgo pro concionibus in Eccleſia ſolent afferri, prorſus ab hoc affectu ſunt aliena, ad articulorum dolores pertinentia. Similiter paralyſis confundi ſolet cum contractura, quæ ſpaſmi eſt ſpecies, affectus paralyſi plane contrarius. Solent etiam paralyticum incuſare, quod intemperantia malum illud ſibi conciliaverit. Quales inculpationes tamen in miſerum illum hominem ſunt injurioſæ, quum prorſus nihil de eo conſtet. Quaſi vero in difficillimum illum ſimilesque morbos non etiam incidant temperantiſſime viventes: aut quaſi illo laborantes præ aliis ſemper enormiter peccaverint. Quaſi item de aliis non recte quoque pronuntietur, quod de cæco nato Joann. IX, 3. Jeſus diſcipulis reſpondebat; morbos eos iis obtigiſſe, ut opera Dei manifeſta fierent in eis. Nec obſtat, quod peccatorum ipſi remiſſorum fiat mentio.

mati facultatem in duobus conſiſtere: partim in inſtrumentorum ſive partium organicarum, quarum miniſterio actio & opus illud peragendum eſt, recta & legitima conſtitutione; partim vero in eo quod aliunde in partes illas inſtrumentarias influit & iis communicatur.

Facultas itaque loco motiva conſiſtit tum in partium motui dicatarum juſta conſtitutione, tum etiam in illius, quod influere debet, recta itidem habitudine. Partes autem moventes ſunt muſculi, qui præcipue porro conſtant ex fibris. Debent itaque muſculi illi *primo* debitam habere temperiem ſingularum ſimilarium partium, quæ eos conſtituunt. *Deinde* iidem illi muſculi debent recte eſſe conformati. Ad conformationem vero pertinent quantitas, ſitus, figura, numerus. *Denique* iidem illi muſculi debent ſuam convenientem habere unitatem ſive continuitatem: ut videlicet nec illi ſint disjuncti, qui uniti eſſe debent, quod fit per quamvis vulnerationem & dislocationem; nec etiam illi ſint conjuncti quos disjunctos eſſe oportet. Hæc itaque in muſculis ipſis moventibus requiruntur.

Quandoquidem vero porro nullius partis motus fieri poteſt absque contractione pariter & remisſione; ita videlicet, ut dum muſculi moventes ſive agentes contrahuntur & ad principium ſeu caput ſuum retrahuntur, oppoſiti muſculi rurſus remittantur & quaſi laxentur: hinc utique etiam alios illos tum iſtum non impedire oportet. Præterea articuli ipſi adeoque ipſa offa motui illi non obſtare debent. Ut ita univerſa illa pars, quæ movenda eſt, ad obſequium promta & expedita eſſe debeat.

Quamvis autem hæc omnia ita recte ſeſe habeant, nihilominus tamen eo ipſo facultas non abſolvitur, nec motus inſtitui poteſt, niſi illud quod influere debet ſimul etiam

Digitized by Google

ſiam promtum & expeditum habeat aditum: quum ſolo illo denegato facultas protinus laboret & motus impediatur. Quod proinde quum fiat in ligatura vel alia quavis obſtructione vel etiam magna aliqua intemperie, quin imo in ipſa morte; hinc utique apparet, parte licet recte conformata & conſtituta, influxu tamen alterius requiſiti denegato, facultatem vitiari vel etiam intercidere.

Ceterum quidnam illud ſit, quod influere debeat, de eo acriter controvertitur. Sunt autem tres ſummæ de hac re ſententiæ: aliis ſoli cerebro & inde provenientibus nervis, aliis cordi & inde productis vaſis, aliis denique utrique & cordi & cerebro, facultatem illam influentem attribuentibus. Quo igitur noſtram ſententiam explicemus, ſingularum iſtarum ſententiarum robur ad experientiam & rationem, paucis tamen, nos examinare par eſt.

Ariſtoteles itaque, quum nullos nervos, quos hodie quidem ab Eraſiſtrati usque ævo ita vocamus, agnoverit, cordi ut facultatem ſenſitivam ita quoque locomotivam eatenus adſcribit, quatenus illud primum ſenſorium conſtituit. Præterea quamvis genuinum ſanguinis motum non habuerit perſpectum, adeoque venarum & arteriarum verum uſum pariter ignoraverit; nihilominus tamen ſanguinis & calidi influxum tum ad alias facultates tum locomotivam quoque neceſſariam eſſe judicavit.

Galenus ex adverſo & cum eo potisſima â compluribus ſeculis Medicorum ſchola à nervis & cerebro facultatem tum ſentiendi tum loco movendi partibus communicari cenſent. Scilicet ſive in ventriculis, ſive in ſubſtantia cerebri (hac enim de re acriter inter ſeſe contendunt Galeni ſectatores recentiores) ſpiritum quendam animalem, ab officio ſuo ita dictum, generari, qui deinde per ſpinalem medullam & alios nervos tum in ſenſoria tum muſculos deferatur,

dias ſtruant, facile tamen ſingula illa à ſeſe poſſunt diſtingui & internoſci. Et *primus* quidem modus quum ad animum pertineat, longe plurimum diverſus eſt ab illis aliis: quique ſæpiſſime tanto minus obſervari vel attendi ſolet, quanto magis præ omnibus aliis ſumme eſt periculoſus. De quo tamen nunc quidem prolixe agere per inſtituti rationem non licebit. Eſt enim tractatio illa mere moralis, quam ſubinde ſacri ſcriptores ſolent attingere. Operæ quoque pretium eſt legere librum *de ſtratagematibus Satanæ* Jacobi Acontii, ut qui plane ſit hujus argumenti: quamvis non de omnibus, ſed illis tantum fraudibus agat, quibus Eccleſiam Dei Cacodæmon ſolet perturbare.

Quod vero ad *ſecundum* genus pertinet, videlicet morbos corpori noſtro à pravis geniis inferri ſolitos, quum jam ſupra de hac re ſit actum, non opus nunc fuerit denuo de eo ſermonem inſtituere. Pertinent huc videlicet omnes illi morbi, quibus divinum quid ineſſe jam aliquoties dictum fuit. Tantummodo illud diſcrimen obſervetur: non omnes morbos divinos protinus eſſe à malis geniis inductos, nec etiam induci; ſed quosdam ab ipſo Deo in pœnam hominibus immitti, ſive id fiat immediate, ſive (quod veriſimilius videtur) miniſterio alicujus angeli, boni tamen.

Quod vero ulterius ad πύθωνα Spiritum pertinet, quum is ejusque conſideratio plane huc non pertineat, non etiam eſt, quod de eo nunc aliquid afferatur: præſertim quum ad Acta Apoſtolica commodius illud ipſum fieri poſſit.

Supereſt igitur *tertium* illud, cujus exempla hoc ipſo in capite nobis recenſet Evangeliſta. Quamvis enim tales δαιμονιζόμενοι, quorum videlicet corpus tanquam domicilium quoddam pravus ſpiritus incolit, ab aliis iſtis facile

ab

ab uno quovis poſſint diſtingui: non perinde tamen ſtatim ab aliis morbis, præſertim illis, qui animum ipſum ſimul in conſenſum trahunt, poſſunt internoſci. Et quidem cum furibundis, Maniacis & phreneticis dæmoniaci in multis conveniunt, quinimo nonnunquam res ita videtur eſſe intricata, ut merito de maligni Spiritus concurſu prudenti cuivis ſuſpicio oboriatur. Quinimo fortaſſis non dubitandum eſt, aliquando tale quid omnino in ejusmodi deliriis ſubeſſe. Quomodo mihimet ipſi aliquando in Palatinatu curandus fuit oblatus phremeticus quidam, qui illa ſymptomata patiebatur, ut dæmoniaci quid omnino videretur ſubeſſe. Qualia ſunt cumprimis horrendæ blasphemiæ, quas homo ille complures effundebat. Qui tamen Dei gratia brevi temporis ſpatio ſanitati reſtitutus fuit.

Notari vero cumprimis hic debet, talem Dæmonis in homine inhabitationem ſeu obſeſſionem non eodem ſemper ſeſe habere modo. Quædam enim magis latet minusque eſt firma, quædam ex adverſo manifeſtò prodit, difficiliusque pellitur. Præterea ſymptomata non ſemper eadem miſeri illi homines patiuntur. Quidam enim plane in furorem aguntur, quod contigit etiam duobus iſtis Gergeſenis: quidam longe aliis modis afficiuntur. Nonnulli varios motus & cumprimis convulſivos corporis ſuſtinere coguntur: quidam redduntur ſupra modum ingenioſi &

Nec ipſi homines quorum rationalis natura eſt, cum dæmon in eis loquitur, ea paſſione cui exorciſta requiritur, ſciunt quid loquantur. Auguſtin. *l. II. de Gen. ad liter. c. 28.* Perinde videlicet ut per ſerpentem diabolus, per aſinam Bileami Angelus bonus locutus fuit. *cap. eod. & 29.*

Cujus generis etiam eſt ea quæ alibi jam geruntur ac fiunt indicare, vel futura prædicere. Qualia bina in duobus phreneticis exempla notavit Auguſtin. *l. 12. de Gen. ad liter. c. 17.*

doςti, ita ut linguis etiam peregrinis & quas nunquam didicerunt, loquantur. Quod proinde quum aliquando phreneticis quoque vel profunde Melancholicis contingat, videtur omnino Dæmon tum concurrere, quum ejusmodi quid ex nulla naturali cauſſa fieri poſſit. Poteſt quidem ingenii acrimonia per ejusmodi affectus corporis aliquando quaſi acui & intendi: at vero tale quid facere & illa loqui, quæ nunquam quis didicerit vel etiam alias & ceſſante paroxyſmo non capit, ſupernaturalem profecto omnino arguit cauſſam.

Solent autem porro qui hoc argumentum tradunt vel attingunt plerique omnes ita cenſere, quod Melancholicus humor maxime aptus ſit ad Cacodæmonis ludibria peragenda & propterea melancholici & ſubtriſtes præ omnibus aliis quoque ad ejusmodi affectus ferendos ſint apti & idonei: quo videlicet etiam pertinet illud vulgare verbium, quo melancholia & triſtitia pulvinar Diaboli eſſe dicitur.

Ceterum quod ad proverbium illud pertinet, utique vereor, ne ſenſus ejus per ejusmodi expoſitionem nonnunquam detorqueatur. Non videlicet quidem negamus, quod talis humor melancholicus, qui videlicet aptus ſit ad affectum ſimul animi quendam inducendi, non ſit incommodus ad maligni genii operationes. At vero cum mœſtitia tali cognomine, ceu expoſitum fuit, afficitur, procul dubio ad id potius reſpicitur, quod ejusmodi homines ſupra modum triſtes & ejusmodi cogitationibus ſeſe macerare ſoliti, facile â Cacodæmone ad deſperationem & ad manus violentas ſibi inferendas poſſint adigi. Quod ipſum quoque experientiæ & hiſtoriis apprime eſt conſentaneum.

Quod vero ad humorem Melancholicum pertinet, de eo ante omnia illud obſervandum venit, talem in corpore ſecun-

ſecundum naturam conſtituto & recte valente non reperiri. Quinimo nec illum quidem, qui præter naturam generatur, adeoque cauſſa eſt morborum, quisquam hactenus, probavit. Agnoſcimus quidem & nos humorem aliquem Melancholicum & atrabiliarium, ſed qui longe diverſus ſit ab illo, qualis ex vulgari opinione ſtatui ſolet.

Quamvis autem de humore melancholico res ſit controverſa; concedimus tamen melancholicos præ aliis maxime eſſe aptos, quos ludificet & miſeris modis exagitet malignus genius. Præterea illos, qui mente ſunt mota, magis illi quoque eſſe obnoxios jam tum diximus. Quales cumprimis videlicet ſunt Maniaci & Phrenetici. Quin hujusmodi itaque affectibus ſæpe ſeſe miſceat ille ſpiritus impurus, vetant nos dubitare ea quæ contingunt, cujus ſpecimen itidem jam tum adduximus. Quamvis affectus illos ſeorſim & in ſeſe conſiderando non poſſimus vulgaribus ſcholarum placitis per omnia aſſentiri. Primo enim de humore melancholico jam tum diximus. Deinde nec in Maniacis aut Phreneticis talem humorem, quem deſcribimus, reperiri itidem certum eſt. In Phreneticis ſane bona pars maſſæ ſanguineæ in flavam bilem commutatur. Præterea quoque affectuum illorum ſedem proxime in ipſo ſanguine jam ſupra collocavimus: quæ itidem cum iis quæ vulgo hac de re doceri ſolent, non usquequaque conveniunt. Quidquid autem ſit de his affectibus, utpote quorum conſideratio non niſi ſecundario huc pertinet, cum eis dæmoniacos affectus aliquando conjungi vel alias multum iis eſſe ſimiles, tanquam omnino certum nunc habeamus.

Si quis autem ulterius in horribilium horum affectuum cauſſas inquirat, quomodo videlicet ad eum modum corpora hominum ſpiritus ille invadat, videtur res non

 ubivis

Digitized by Google

ubivis uno & eodem modo ſeſe habere. Nam Deo permittente hæc omnia fieri extra controverſiam eſt, ideoq; de eo nemo, qui ſanas quidem ſententias foveat, ullo modo poterit dubitare. Non examinabimus videlicet jam tum Lactantii, tum aliorum ex priſco pariter & recenti ævo opiniones, qui maligni ſpiritus, & ſecundum illorum doctrinam Antithei, peculiarem vim tum in hunc inferiorem mundum, tum in ipſum corpus noſtrum eſſe cenſent: alias videlicet omnia illorum placita accuratius expenſuri.

Quod vero propius ad noſtram contemplationem pertinet, *primo* plerumque nullo alio quodam concurrente atque ita immediate talis Dæmonis obſesſio videtur fieri: ſuppoſita tantum Dei, quam diximus, conceſſione. *Deinde* tamen non videntur plane omni vi carere diræ imprecationes & devotiones, quibus interdum etiam ipſi parentes ſuis liberis, ut nempe dæmones in corpora eorum migrent, non dubitant maledicere. *Tertio* per incantationem quoque Dæmones in hominum corpora quandoque migrare & quaſi immitti, vel illa non obſcure docent, quæ cis paucos annos Paderbornæ contigerunt: ne nunc alias hiſtorias atque exempla afferre ſit neceſſum.

Quomodo vero porro ſpiritus illi nunc has nunc illas partes magis occupent & inſideant, nobis non licet definire; utpote quibus nec ipſiusmet corporis nec animæ noſtræ intimior conjunctio plane ſit perſpecta. Quapropter etiam fruſtra quis fuerit in horum omnium rationibus inveſtigandis.

Ceterum quomodo δαιμονιζόμενοι curandi & ab impuro hoſpite liberandi ſint, manifeſto nos docet praxis hiſtoriarum Evangelicarum. Scilicet ad preces, cumprimis nominis Jeſu invocationem, numquam non Dæmonem coactum fuiſſe cedere, non Evangelica duntaxat ſed univerſa etiam

Chriſtia-

Chriſtiana Eccleſiaſtica hiſtoria ſufficientiſſime docet. Neq; vero neceſſum eſt ceremonias iſtas, & operoſum ac ſuperſtitionibusque pleniſſimum proceſſum ad Dæmonia ejicienda uſurpare, qui pontificiis exorciſtis eſt in uſu. Multo minus eſt, quod *praxin Exorciſtarum* (quæ vocatur) quis deſideret vel adhibere cupiat; quum ille liber tales ritus & modum procedendi doceat, qui non niſi ab ipſis illis humani generis ἀσπόνδοις hoſtibus, pravis videlicet geniis, potuit proficiſci: utut tantopere eum dilaudent & commendent Pontificii. Quapropter longe ſatius fuerit ab ejusmodi libri lectione abſtinere, quam illum inſpicere, quum ſimplici prece, à caſtis præcipue animis profecta, omne illud negotium quam optime & tutiſſime perficiatur.

Nec tamen Medicina corpori adhibita nullum heic invenit locum, quum non deſint exempla, ſolis illis tales homines quandoque fuiſſe reſtitutos. Ita ut purgante aliquo medicamento Dæmonem fuiſſe ejectum doceat alicubi, niſi fallor, Deſiderius Eraſmus.

Diſcere autem hinc cumprimis illud eſt, quod ſupra jam attigimus, non uno modo nec æque firmiter Dæmones humana ſemper corpora inhabitare. Alias quoque ejusmodi Medicamentis, quæ Melancholicos & bilioſos humores expurgare valent, homines iſtiusmodi multum juvantur. Manifeſto indicio: prout corpus magis fuerit pronum ad affectus mentis & rationis uſum perturbantes, hoc ipſo quoque ſimul hoſpitium illud ad malignum illum ſpiritum magis præparari & reddi aptum.

Ubi tamen etiam atque etiam quemlibet cavere oportet, ne propterea Pomponatii vel aliorum ejusmodi hominum impiis ſententiis ſeſe patiatur ſeduci, quaſi videlicet vel dæmones haberent corpora, licet ſubtiliora eſſent noſtris; vel ac ſi tales genii non eſſent, ſed omne illud

quod vulgo de iis doceri ſolet, phantasmatibus & deliræ mentiſit adſcribendum: quum licet non ex omnibus, ex quibusdam tamen, ſole meridiano clarius, genios illos dari, evinci poſſit.

Quæ vero quamque multiplicia obſeſſis accidere ſoleant, quæque alia ſunt ad illam rem & ejus varietatem pertinentia, pasſim reperire eſt in longe elegantiſſimo Jordani libro *de eo quod divinum eſt.* Quæ qum ibi ab unoquovis expendi poſſint & debeant, non etiam eſt quod nos nunc illa huc transferamus.

Procul omni vero dubio talia miſeranda ſpectacula Deus aliquando permittit hominibus aliis exhiberi, ut ſiquidem aliis luculentisſimis teſtimoniis & documentis fidem habere nolint, ipſimet tamen ſenſibus ſuis judicibus & quaſi palpantibus diſcant, dari ejusmodi pravos & noſtro generi nunquam non inſidiantes genios. Ut ita nullum ſit dubium, quin hinc quoque argumentum longe maximi roboris adverſus atheos poſſit peti.

Ad Matthæi IX. ỽ. priores 8.

Quo Paralyſeos natura & cauſſæ eo rectius poſſint exponi, neceſſario præmittendum eſt, in quonam oppoſitus illi ſtatus, motus videlicet artuum & totius corporis, ſit poſitus, & quibusnam partibus perficiatur. Perinde ut alias quoque nunquam non ſtatus ſive valetudo præter naturam recte & plene exponi vel cognoſci nequit, niſi prius ſanitatem, quæ videlicet morbo oppoſita eſt, habueris perſpectam.

Quod igitur ad facultatem locomotivam pertinet, vulgo quidem ita ſolet doceri, quaſi illa in partes motui inſervientes

---

Paralyſis ſpontanea pro ſubitu excitata Fien. *l. de virib. imaginat. p. 56.* ex Avicenna, qui inſpiciendus, & ad eum Gentilis. *Jacebat quondam*

vientes influat, ita ut ab influxu illo omnis illa vis ſoleat ſuſpendi. Verum quicquid de hac re ſit, cujus veritas paullo poſt patebit, nobis cum melioribus quibusque Philoſophis plenariæ facultatis nomine illud demum venit, quicquid ad ejus integritatem pertinet & requiritur, ita ut eo vel abſente vel læſo ipſa illa facultas quoq; ſimul vitium capiat. Ut ita talis ejusmodi facultas ſive δύναμις ſit unum aliquid ex omnibus illi inſervientibus compoſitum. Perinde ut de anima quoque Ariſtoteles & multi alii ſunt philoſophati, ceu plenius aliquando oſtendemus in *Lexico Ariſtotelico.*

Quo autem quæ ad facultatem ejusmodi aliquam pertinent eo diſtinctius ſimul & clarius poſſint proponi, ante omnia notandum eſt, quamlibet ejusmodi corporis animati

dam paralyticus in lectulo, & ſic erat cunctis artubus diſſolutus, ut nec pedes ad ingrediendum, nec manus movere poſſet ad precandum, & tamen profertur ab aliis, & reſtituitur priſtinæ ſanitati, ut portaret lectulum, qui dudum portabatur à lectulo. Hieronym. *ad Ruſticum.*

Paralyſis non recte Germanice vocatur Gicht. Hæc enim eſt Arthritis. Ideoque quæ de doloribus paralytici vulgo pro concionibus in Eccleſia ſolent afferri, prorſus ab hoc affectu ſunt aliena, ad articulorum dolores pertinentia. Similiter paralyſis confundi ſolet cum contractura, quæ ſpaſmi eſt ſpecies, affectus paralyſi plane contrarius. Solent etiam paralyticum incuſare, quod intemperantia malum illud ſibi conciliaverit. Quales inculpationes tamen in miſerum illum hominem ſunt injurioſæ, quum prorſus nihil de eo conſtet. Quaſi vero in difficillimum illum ſimilesque morbos non etiam incidant temperantiſſime viventes: aut quaſi illo laborantes præ aliis ſemper enormiter peccaverint. Quaſi item de aliis non recte quoque pronuntietur, quod de cæco nato Joann. IX, 3. Jeſus diſcipulis reſpondebat; morbos eos iis obtigiſſe, ut opera Dei manifeſta fierent in eis. Nec obſtat, quod peccatorum ipſi remiſſorum fiat mentio.

Digitized by Google

iam promtum & expeditum habeat aditum: quum ſolo illo denegato facultas protinus laboret & motus impediatur. Quod proinde quum fiat in ligatura vel alia quavis obſtructione vel etiam magna aliqua intemperie, quin imo in ipſa morte; hinc utique apparet, parte licet recte conformata & conſtituta, influxu tamen alterius requiſiti denegato, facultatem vitiari vel etiam intercidere.

Ceterum quidnam illud ſit, quod influere debeat, de eo acriter controvertitur. Sunt autem tres ſummæ de hac re ſententiæ: aliis ſoli cerebro & inde provenientibus nervis, aliis cordi & inde productis vaſis, aliis denique utrique & cordi & cerebro, facultatem illam influentem attribuentibus. Quo igitur noſtram ſententiam explicemus, ſingularum iſtarum ſententiarum robur ad experientiam & rationem, paucis tamen, nos examinare par eſt.

Ariſtoteles itaque, quum nullos nervos, quos hodie quidem ab Eraſiſtrati usque ævo ita vocamus, agnoverit, cordi ut facultatem ſenſitivam ita quoque locomotivam eatenus adſcribit, quatenus illud primum ſenſorium conſtituit. Præterea quamvis genuinum ſanguinis motum non habuerit perſpectum, adeoque venarum & arteriarum verum uſum pariter ignoraverit; nihilominus tamen ſanguinis & calidi influxum tum ad alias facultates tum locomotivam quoque neceſſariam eſſe judicavit.

Galenus ex adverſo & cum eo potiſſima à compluribus ſeculis Medicorum ſchola à nervis & cerebro facultatem tum ſentiendi tum loco movendi partibus communicari cenſent. Scilicet ſive in ventriculis, ſive in ſubſtantia cerebri (hac enim de re acriter inter ſeſe contendunt Galeni ſectatores recentiores) ſpiritum quendam animalem, ab officio ſuo ita dictum, generari, qui deinde per ſpinalem medullam & alios nervos tum in ſenſoria tum muſculos deferatur,

ratur, atque ita facultatem tum ſentiendi tum locomovendi partibus omnibus largiatur atq; impertiat.

Quidam præterea inter ipſos nervos ita diſtinxerunt, ut molles ſenſui, duros vero motui dicatos eſſe ſtatuant. Verum iſtud quidem diſcrimen abs re eſſe introductum facile eſt oſtenſu, quum unus idemque nervus & ad motum faciat, prout ipſa pars in quam inſeritur vel ſenſus, vel motus, vel utriusque eſt particeps. Conſtat etiam illos demum nervos eſſe duriores, quibus longius eundem eſt, quo videlicet hoc modo inter proceſſus cumprimis & dura oſſa eo tutius inveniant iter.

Quo itaque, num Ariſtotelis, an Galeni, an vero utraque ſententia locum inveniat eo clarius pateat, notari debet 1. calidi & ſanguinis influxum usque adeo eſſe neceſſarium, ut illo denegato & præcluſo, vel etiam impedito ipſa facultas quoque locomotiva actutum vel laboret vel plane tollatur. Manifeſtum id eſt ex fortibus ligaturis: ne nunc alia in re nimis adeo manifeſta adducamus. *Deinde* nec illud negari poteſt, cerebrum & nervos recte quoque debere eſſe conſtitutos, atque ita & ipſa qnoque omnino ad hanc rem multum conferre. An vero illud per aliquem ſpiritum fiat, an vero minus, fortaſſis non ita facile eſt definitu. Quicquid tamen fit, aliquid ab iis conferri, extra controverſiam debet poni: niſi plane fruſtra partes illas eſſe conditas quis velit exiſtimare: id quod citra magnam abſurditatem maximamve in creatorem injuriam pronunciari nequit. Et nobis quidem illorum ſententia maxime videtur vero eſſe conſentanea, qui cerebrum & nervos calorem ſanguinis contemperando officium ſuum peragere cenſent. Quod ipſum nunc prolixe perſequi non licet. Cumprimis autem operæ pretium fuerit hac de re legere tum Cl. Conringii diſputationem *de motu animalium* pridem heic habitam

Digitized by Google

bitam, tum Cl. Jordani *de Paralyſi* itidem diſputationem, quam ad ſententiam Magiſtri illius ſui potiſſimum conſcripſit. Fortaſſis etiam non tam ad motum quam ſenſum potius & cerebrum & nervi faciunt; ceu alias prolixius & luculentius oſtendemus. Ne tamen nunc diverſas illas ſententias examinare opus habeamus, ponamus tantisper, ad facultatem locomotivam quoque nervos ſymbolam ſuam conferre. Quandoquidem vero hæc ita ſeſe habent, in promtu nunc eſt (3) colligere: quod ad facultatem illam, quæ influere dicitur, pertinet, & à corde & à cerebro illam communicari; ita tamen ut cordi primæ partes omnino debeantur.

HIS IGITVR ad eum modum conſtitutis, non ita difficile jam fuerit paralyſeos naturam & cauſſas exponere. Quod ut eo melius fieri poſſit, , notare prius convenit facultatem illam locomotivam tribus modis, perinde ut omnes alias quasvis corporis noſtri actiones, vitiari & lædi: (1) ſi imminuitur, (2) ſi depravatur, & (3) ſi plane tollitur. Per paralyſin autem facultas illa motrix vel imminuitur vel etiam tollitur, prout nempe ipſe affectus magis vel minus fuerit gravis. Nam depravatus motus plane huc non pertinet, ſed fit quando muſculi convelluntur.

Quum autem ex illis, quæ jam tradita ſunt, conſtet, motus præcipuum inſtrumentum eſſe muſculum, etiam illum proinde per paralyſin maxime affici oportet. Conſtat videlicet ipſis ſenſibus docentibus per paralyſin muſculos ita relaxari, ut contrahi nequeant. Quo ipſo illorum officium tollitur vel ſaltem impeditur. Quum porro muſculorum motui quidem dicata pars ſint fibræ, illas proinde quoque maxime in hoc morbo affici itidem planum eſt. Et quidem ipſas illas fibras juſto flaccidiores & etiam humidiores reddi; non difficile eſt oſtenſu, quum il-

lud in ejusmodi morbo affectis non obſcure deprehendatur: tamen ut primarium vitium aliunde quoque proficiſcatur.

Et vero illud quod influere debet, in affectu illo non habere liberum & juſtum acceſſum, maxime colligitur ex omnibus paralyticorum ſymptomatibus. Et quidem ipſummet ſanguinis calidique influxum non recte ſeſe habere, *primum* ex pulſu, qui in parte paralytica remisſior eſt, non obſcure colligitur. *Deinde* magis etiam adhuc illud confirmatur ἀτροφίᾳ partis affectæ. Præterea tamen ipſos quoq; nervos tum ſimul pati quandam alterationem vero valde eſt ſimile: id quod vulgo obſtructionem ſolent vocare: quamvis nobis quidem non tam nervi quædam obſtructio quam potius ejus intemperies videatur eſſe incuſanda. Cumprimis autem illud quoque heic *tertio* meretur attendi, quod pars ſive latus paralyſin paſſum ſit etiam frigidius, & frigore quoque quam maxime offendatur, calidis ex adverſo præcipue juvetur. Id quod pro ſanguinis, calidique libero atque ſufficienti influxu denegato, me quidem judice, non parum quoque militat: quamvis etiam in nervorum intemperiem id quoque quodammodo posſit referri.

Præterea & illud *denique* cumprimis hic attendendum, tum quod paralyſis apoplexiam plerumque excipiat, vel in eam deſinat; tum quod vel integrum aliquod latus vel brachium aliquod integrum aut pedem ſoleat occupare: quorum cauſſam tum in vaſorum ſanguinem vehentium tum in nervorum quoque obſtructionem pariter & intemperiem poſſumus conferre: quamvis omne negotium tamen tandem ad vaſa ſanguinem vehentia unice redeat.

Demum nec illud nunc negligendum venit, paralyſin eſſe inter illos affectus, qui difficillime curantur: & tanto quidem difficilius, quanto ipſe affectus fuerit diuturnior

Cujus

Cujus quidem cauſſam tum in humorem vaſis & nervis accumbentem, tum in ipſas illas partes diuturnam intemperiem paſſas referre oportet. Scilicet quod alias de conſuetudine recte affirmari ſolet, idem quoq; de ejusmodi affectibus chronicis non incommode pronunciatur: videlicet longi temporis mora fieri, ut intemperies illa in partibus quaſi figatur, & ita illis inprimatur, ut ipſis quaſi domeſtica & naturalis fiat. Humores præterea paralyſin inducentes ſaltem plerumque ſunt pituitoſi & viſcidi, qui propterea pertinacius partibus adhæreſcunt: accedente inſuper, ceu fieri ſolet, in parte præcipue jam debilitata, ſubinde novo humorum affluxu.

Quamvis autem talis & tam pertinax affectus ſit paralyſis, idque propter allatas rationes; nihilominus tamen & ſupernaturalem quandoque accedere non poteſt negari. Quales paralytici fortasſis etiam fuerunt quidam ex illis, qui Chriſto fuerunt oblati. Quod tamen nec certo ita nunc licet definire, nec etiam de omnibus promiſcue poteſt affirmari: utpote quum ſolus momento & verbo quidem factus curandi modus ad miraculi vim oſtendendam ſatis ſuperque ſufficiat: Ex divina autem cauſſa paralyſin paſſus fortasſis fuit ille, qui XXXVIII, annos ad piſcinam Bethesdam decubuerat, cujus apud Johannem c. V. ſit mentio. Quicquid vero ſit, talem aliquem affectum, etiam ex mere naturalibus causſis productum, ad eum modum curare, plane & ſimpliciter eſt divinum.

Ad Matthæi IX. ℣. 30. & ſeqq.
Marci V, 25. Lucæ IIX, 43.

Quamvis quonam profluvio ſanguinis mulier hæc laboraverit à nullo Evangeliſtarum exprimatur, procul omni tamen dubio fuit profluvium illud muliebre, quod alias menſtruum ſolet appellari Et vero tali perpetuo proflu-

Digitized by Google

vio, vel ſaltem quod juſto frequentius & diutius duret, hodieque etiam mulieres quandoque tenentur. Quod etiam, niſi corpus plethoricum fuerit & copioſo alimento reficiatur, non poteſt non corporis valetudinem plane peſſumdare & aliis morbis gravisſimis dare occaſionem: quin, ſi nimia fuerit hæmorrhagia, intra paucas horas ægrotantem è medio tollere, profuſo cum ſanguine calido nativo, vitæ unico autore & conſervatore.

Quod autem ad cauſſas ejus naturales pertinet, proximas videlicet, commode ad duas ſpecies illæ redigi posſunt, ita ut altera ſit in ipſo ſanguine, altera vero in vaſis.

Et *primo* quidem ſanguis ſi ſeroſior fuerit & dilutior, etiam ad fluxum numquam non magis eſt aptus & expeditus. Quin imo propter hanc ipſam cauſſam multum ſeri craſſis & fibroſis rubicundis ſanguinis portionibus neceſſario debet permiſceri, ut per exilia cumprimis vaſa motus inſtitui posſit, quum aliàs facile in illis hærere & ſubſiſtere posſit. Præterea vero ſanguis ejusmodi tenuior & ſeroſior nonnunquam ſponte ſua quaſi effervеſcere ſolet: unde concitato impetu qua data porta exitum quærit & profluit. Quod ipſum ſæpenumero in aliis quoque hæmorrhagiis obſervare licet: præcipue ſi pertinaciores fuerint. Quin imo iſta fermentatio usque adeo nonnunquam eſt vehe-

Speravit in eo illa, quæ fluxu ſanguinis laborabat, & continuo ſanata eſt: ſed quia fidelis acceſſit, & tu cum fide vel fimbriam ejus attinge. Nam ſecularium fluxus voluptatum modo torrentis exundans verbi ſalutaris calore ſiccabitur: ſi cum fide accedas tamen: ſi pari devotione divini ſermonis extremam ſaltem fimbriam comprehendas, ſi tamen procidas ante Domini pedes. Ubi ſunt pedes verbi, niſi ubi eſt corpus Chriſti? O theſauris omnibus opulentior fides. O virtutibus corporis omnibus fides fortior. O Medicus omnibus ſalutarior. Simul ut acceſſit, mulier virtutem ſenſit, medicinam impetravit. Et ſi oculum lumini admoveas, illum

vehemens, ut non facile poſſit ſopiri, niſi vi quadam adhibita. Præterea quoque quando ſemel ita excitatus eſt, tanto cum impetu ad illam partem, ubi exitum invenit quandoque fertur, ut etiamſi in alia & remota parte vena aliqua à chirurgo aperiatur tamen fluxus ille ad priorem illam partem feratur. Quale inſigne exemplum ante tres & amplius annos heic quoque in juvene quodam Studioſo mihi fuit obſervatum. Accedit etiam hoc, quod ejusmodi tenuis & ſeroſus ſanguis non raro quoq; ſit acris: quo ipſo ſimul non poteſt non ſibimetipſi eo citius vaſculorum orificia aperire: præſertim ſi ejusmodi, ceu fieri ſolet, ebullitio inſuperaccedat. Præterea vero hæc omnia cumprimis auget plethora & juvenilis ætas de quibus mox pluribus dicetur.

Præter hæc autem *ſecundo* loco ipſa quoque vaſa ſunt conſideranda. Quod ſi enim illa natura ſunt patula, nemini non liquet, ſanguinis effluvium loge facilius poſſe contingere, quam ſi ductus illi ſint adſtrictiores, nec ita facile reſerari poſſint. Quamvis enim per univerſum corpus, dum quidem vivit & valet, vaſa facillime pateant & hient; nihilominus tamen non eodem modo hoc ſeſe habet in omnibus corporibus. Procul autem dubio corpora illa vaſis ejusmodi magis ſunt prædita, quæ frequenter & facili de cauſſa patiuntur hæmorrhagias, ex quocunque loco demum fiant. Quod ſi jam priores illæ modo recenſitæ cauſſæ inſuper accedant, non poteſt non utique effluxus ille ſanguinis eſſe major.

Cumprimis autem multum huc confert, ſi ſanguis non tantum ſit ſeroſior & tenuior, ſed inſuper quoque in magna copia

illuminatur antequam ſentias, & operatio lucis prævenit apparatum. Paſſio inveterata, paſſio immedicabilis, quæ & artis omnem vicerat excogitationem & pecuniarum ſubminiſtrationem, ſolo fimbriæ curatur attactu. Ambroſ. *lib. 3. de Virginibus pag. 100.*

copia in corpore reperiatur. Hæc videlicet eſt illa plethora jamjam memorata; quæ ſecundum naturam maxime reperitur in juvenili ætate: & tanto quidem adhuc magis, quanto pleniori & calidiori victus ratione iſta ætas ſolet uti. Per calidam autem rationem victus non tam intelligi debent cibi actu calidi, quam præſtantes & generoſi potus, qui noſtris Europæis gentibus longa ſive conſuetudine ſive vitio hodie ſunt comunes. Sane propter plenam illam rationem victus fit etiam, quod juvenes præ aliis ætatibus hæmorrhagiis quoque ſæpius ſoleant tentari. Nec etiam aliunde magnam partem eſt, quod eadem illa ætas phthiſi usque adeo ſoleat eſſe obnoxia. Quæ omnia adhuc augentur frequentibus & validioribus corporis commotionibus & exercitiis, utpote per quæ ſanguis jam tum natura ſua fervidus magis magisque incaleſcit. Cui calori contemperando quum adhuc generoſi potus aſſumuntur, neceſſum eſt & calorem magis adhuc augeri, & corpus majori ſanguinis copia repleri, & ipſummet etiam ſanguinem fieri ſeroſum. Quando vero ad eum modum vaſa diſtenta ſunt & turgent, non mirum eſt hæmorrhagias provenire.

Quod jam vero ſeorſim ad fœminas ſpectat quamvis illa minus quidem ſecundum naturam ſint calidæ quam mares, nihilominus tamen illæ ipſæ præ altero ſexu frequentiores & quidem ſecundum naturam patiuntur hæmorrhagias. Et vero quare per loca muliebria ſtatæ ſanguinis effuſiones in illis fiant de eo nunc nihil quidquam volumus

---

Auguſtinus epiſt. 67. de Gabiniano miraculis ad Chriſtianiſmum converſo: *Jam tum poſt feſta omnia receptionis ſuæ in paralyſin ſolvitur multis ac pene omnibus membris & etiam lingua. Tum ſomnio admonitus confitetur per ſcriptorem, ob hoc ſibi dictum eſſe accidiſſe, quod ſymbolum non reddiderit. Poſt illam confeſſionem redduntur officia omnium membrorum, niſi linguæ ſolius.*

volumus addere, quum ad Leviticum id jam ſit factum. Tantum duas illas modo adductas cauſſas paullisper uberius adhuc contemplabimur. Etenim *primo* quum totum corpus fœminarum ſecundum naturam eſt humidius quam in maribus, tum etiam ipſemet ſanguis iſtius ſexus ſecundum naturam eſt ſeroſior & dilutior: ut igitur hac quidem de cauſſa ad effluxum magis ſit aptus. *Deinde* vero vaſa & interni quidem corporis, cumprimis autem circa uterum, magis in illis patent, & quidem propter illam cauſam, quam ſupra jam ad Leviticum dedi. Quum vero & ipſemet ſanguis & vaſa, cumprimis autem circa illa loca, ſecundum naturam in fœminis ſaltem plerisque ita ſeſe habeant, non utique mirum eſt tam frequenter diuturniori ejusmodi profluvio fœminas tentari & affici. Quibus & hoc *tertio* addi debet, quod per ejusmodi effluxum ipſe uterus & vicina loca magis fiant laxa, quo ipſo hæmorrhagia multum adhuc promovetur. Adjungendum *quarto* per diuturniorem & frequentiorem ſanguinis ad partes illas affluxum, ipſum illum ſanguinem aſſueſcere etiam ad eum locum præ alio magis ferri. Id quod de aliis quoque hæmorrhagiis paullo ante notamus. Quin imo plane idem obſervare eſt in quibusvis inundationibus aquarum, utpote quæ cum impetu ad illum locum ferantur & ruant, ubi ſemel aggere vel alio clauſtro rupto porta data eſt. Sed & *quinto* & cumprimis quidem hic adverti debet loci declivis & propendens ſitus. Quum igitur ſanguis ad inferiora illa loca primum cœpit ferri, non poteſt, utique non eo ipſo adhuc profluvium illud augeri, quo facilius per inferiora & propendentia loca exire poteſt, quam ſi ipſi ſuperius ad ſit adſcendendum.

Quibus omnibus ita ſe habentibus non poteſt utique non profluvium tale præ omnibus aliis parti illi maxime

Digitized by Google

accidere. Quando igitur diuturnitas inſuper accedit, facile fieri poteſt, ut natura quoque & propter pure naturales cauſſas tale muliebre profluvium curationem amplius non admittat. Fortasſis tamen in hac muliere θεῖόν τι accesſit, præſertim quum Marcus & Lucas hoc inſuper addant, multa illam perpeſſam fuiſſe à multis Medicis, & omnem ſuam ſubſtantiam curationi impendiſſe, ſine ullo tamen ſucceſſu vel fructu: quod videlicet ars dextre licet adhibita, ſine & vi ſua privata fuerit, & à Chriſto demum miraculoſe curanda foret mulier. Id quod de plurimis aliis à Chriſto ſanatis itidem dicendum. Quamvis non ſimpliciter tamen hinc illud ſequatur, quod ſupernaturalis aliqua cauſſa adfuerit, & h. l. ſolus modus curandi miraculi vim ſatis ſuperque oſtendat, de quo eleganter Hilarius *can. 9. in Matth. Eſt in ſimplici intelligentia* (expoſitione litterali) *magna virtutis dominicæ admiratio: cum poteſtas intra corpus manens rebus caducis efficientiam adderet ſanitatis, & usque in veſtium fimbrias operatio divina procederet.*

Ad Matthæi IX. ℣. 27.

Facultas videndi, perinde ut alia quævis corporis viventis, in duobus conſiſtit: tum in organi juſta & legitima conſtitutione, tum in illius quod aliunde advenire debet libero influxu.

Et oculus quidem quamvis omnis viſus gratia ſit conditus, non tamen æqualiter quoad omnes ſuas illi rei inſervit. Sunt autem quæ viſum proxime præſtent, *primum* tunicæ. Quas nec juſto calidiores aut frigidiores eſſe oportet. Cumprimis autem recte ſeſe habere debent circa partem illam qua viſio peragitur: ille vero locus eſt circa pupillam. Debent videlicet tunicæ illæ ita ſeſe habere, ut ſpecies transmittere poſſint. *Deinde* huc maxime ſpectat pupilla ipſa; quæ eſt foramen aliquod illius tunicæ, quam

uveam

Digitized by Google

uveam appellant Anatomici. In qua pupilla quidem præter alia hoc quam potisſimum requiritur, ut & figuram ſuam rotundam exacte obtineat, nec ſit vel conſtrictior vel juſto plus dilatata. *Tertio* loco attendi debet Iris, circulus videlicet ille variis coloribus inſtructus, qui pupillam ambit. *Quarto* non minus requiruntur humores in ipſo oculo incluſi, aqueus videlicet, vitreus & cryſtallinus: ita tamen ut potisſimæ partes cryſtallino debeantur, minimæ, vero aqueo, utpote quum illius humoris alius fortasſis ſit uſus quam ſpecierum viſibilium illuſtratio. Quibus ſi *quinto* loco nervum opticum addere quis velit, nihil à veritate alienum dixerit: quamvis illius proprius uſus minus forte hactenus videatur eſſe compertus: præſertim quum ejus officium in eo potium vulgo conſtituatur, ut ſpiritum animalem, præcipuum nempe ſenſus inſtrumentum vel potius opificem, advehere dicatur.

Et vero præter oculum recte conſtitutum aliud quoque inſuper requiri, paullo ante ipſimet ſumus fasſi. Et quidem ſanguinis calidique influxum neceſſarium eſſe omni vacat dubitatione, utpote quum à ſolo illo vita omnis dependeat: ſenſum autem absque vitali facultate recte ſeſe habere poſſe plane eſt abſurdum. Præter hæc autem cerebrum & nervos eximium quoque quid conferre, è ſuperius traditis non poteſt amplius jam eſſe obſcurum. Num vero talis aliquis ſpiritus adeoque integra facultas videndi, ſaltem illa quæ aliunde communicari debet, unice cerebro & nervo optico jure merito attribui poſſit, vehementer eſt ambiguum. Quinimo à ſolis illis partibus facultatem iſtanc non derivari, vel ex eo clarum eſt, quod de ſanguinis calidique influxu modo fuit dictum. Aliquid tamen & quidem nequaquam exiguum quid à cerebro per nervum opticum oculo ſubminiſtrari, itidem extra omnem

Digitized by Google

controverſiam eſt ponendum. Docet videlicet hoc, tum quod oculi illa parte corporis ſint collocati, ubi cerebro quam maxime ſunt vicini; tum nervus uterque opticus, qui præ omnibus aliis in capite quidem contentis multo maxime eſt conſpicuus & omnibus aliis major: cumprimis etiam attendi debet ipſamet ejus in oculi poſticam partem inſertio. Fortaſſis autem ad oculi temperiem quam maxime illorum uſus facit, præſertim quum omnia illa quæ de ſpiritus animalis in cerebro generatione traduntur, multis adhuc dubiis & difficultatibus ſint expoſita. Sane cerebri pariter & nervorum præcipuum officium in ſanguinis fervore contemperando conſiſtere, paullo ante jam aſſeruimus, videturque quam maxime vel ex eo poſſe colligi, quod omnia ſenſoria ſolo tactu excepto in capite ſint collocata: facultatem autem ſenſitivam partis temperiem maxime requirere, omnia illa luculente docent, quæ tam ſecundum quam præter naturam ſenſibus accidere ſolent. Quod ſeorſim vero ad oculum ſpectat, utique propter copioſas membranas eſt ille natura calidior: quicquid in contrarium vulgo ſoleat doceri. Pro nobis videlicet quam maxime facit, quod leviſſima de cauſſa & vel per levem aliquam confricationem oculus non tantum præter naturam cito incaleſcat, ſed etiam inflammationem quandam patiatur atque illum morbum, quem ὀφθαλμίαν vocamus. Quum igitur ad eum modum oculi conſtitutio & temperies ſeſe habeat, fortasſis vel propter hanc quoque cauſſam major illi nervus obtigit, & ita quidem in illum implantatus, ut calor ejus eo magis potuerit ad mediocritatem redigi.

Facultate jam viſoria recte ſeſe habente, dato objecto non poteſt non viſio fieri, ſi videlicet etiam diaphanum & reliqua hujus generis externa requiſita recte ſeſe habeant,

qualia

Digitized by Google

qualia ſunt juſta diſtantia inter objectum & ſenſorium, quæque hujus generis ſunt alia. Non diſputabimus vero nunc, viſione per emiſſionem radiorum an receptionem ſpecierum fiat: quorum utrumque jam tum olim non defuerunt qui defenderint. Quanquam nobis quidem viſionem omnem per ſolam receptionem fieri, veroſimile quam maxime videatur. Quod enim ex oculo effluxit nec ad illud remeat, non poteſt utique ab oculo ipſo percipi, niſi fiat per longam aliquam continuationem oculi & radii viſivi vel hujus reciprocum motum. Quod ipſum tamen plurimis difficultatibus eſt expoſitum, & præterea minus commode locum poteſt invenire, præſertim quum inde hoc quoque inter alia incommodum ſequeretur, quod tum oculus non eſſet verum ſenſorium viſus, nec etiam res viſibiles ab ipſo oculo perciperentur.

Quicquid autem demum de hac re ſit ſtatuendum, ſatius fuerit modum ipſum viſionis diſtinctim & clare definire, qui quidem ita ſeſe habet. Quando res viſibilis objicicitur oculo, (ceteris videlicet requiſitis paribus,) neceſſum eſt ſpeciem aliquam iſti ſimilem in ipſo interno oculo repræſentari, utpote quum res ipſa ab oculo non poſſit percipi. Licet etiam ſpeciem illam intra ipſum demum oculum generari quis exiſtimet: nihilominus tamen eum oportet affirmare, ab ipſo illo externo viſibili objecto illam produci: atque ita tum duplex iſtiusmodi quædam ſpecies eſſet conſtituenda, altera videlicet quæ ab ipſo objecto externo per quandam emanationem in ipſum oculum immiſſam, ſimilem ſui alteram ſpeciem produceret: quod quidem ne neceſſarium quidem eſt vel affirmare vel etiam fieri, quum ſufficiat ſpeciei iſtiusmodi intra oculum receptio. Quando igitur talis aliqua ſpecies ab oculo recipitur, neceſſum eſt illam per pupillam ſive foramen uveæ

Digitized by Google

tunicæ recipi. Pupilla vero porro quum cincta ſit iride, hæc autem connato quodam lumine gaudeat, quum pupilla inſtar opacæ ſpecus ſeſe habeat; per iridem circumſtantem pupilla illuſtratur. Porro poſt puplliam collocati ſunt tres illi humores, aqueus nempe, vitreus & Cryſtallinus: quorum officium procul omni dubio eſt, ſpeciem illam intra opacam ſpecum receptam & ab Iride colluſtratam quaſi refringere & inſuper majorem reddere: ita tamen, ut præcipuæ partes heic ſint humoris cryſtallini, à quo proximus eſt vitreus. Non quidem negare volumus, aqueum quoque humorem ad refractionem ſpecierum receptarum ſymbolam ſuam conferre: ſolum tamen vel ſaltem præcipuum id ejus humoris munus eſſe, non ſine cauſſa quis dubitet, propterea cumprimis, quod & humor ille de novo regenerari poſſit, & præterea illo per vulnus oculo inflictum effluente, viſus tamen nihilominus fieri poſſit. Quapropter etiam fortasſis non abſurde quis humorem illum ad oculi quoque contemperationem multum facere, affirmare poſſit. Fit itaque revera viſio in camera quadam obſcura, ceu Mathematici loqui ſolent: id quod primus omnium obſervavit Johannes Keplerus magni nominis Mathematicus. Sane ex omnibus aliis quoque quæ circa viſum obſervari ſolent, deprehendere eſt, oculum in tenebris conſtitutum, modo res viſibilis illuſtretur, longe melius videre, quam ſi ipſemet in loco ſit lucido. Id quod ſane usque adeo certum eſt, ut etiam in ſolis radiis collocati, quando rem accurate contemplari volumus, vel manu oculum veluti tecto quodam munire ſoleamus, vel etiam pileum capiti imponere & oculis à ſuperiori parte obtendere, quo ita radiis ſolis ab oculo excluſis & magis remotis eo melius viſio fieri posſit. Nec aliunde etiam eſt, quare illi qui oculos prominentes habent, minus acute

Digitized by Google

acute videant præ illis quibus iidem magis ſunt orbitis ſuis incluſi. Quodnam vero proprium ſit viſus objectum, color videlicet an lux an utrumque, deinceps conſiderabimus.

QUOD JAM vero ad vitia viſus ſpectat, ſunt illa itidem in triplici potiſſimum differentia. Vel enim viſus diminuitur, vel depravatur, vel plane tollitur. Et priores quidem ſpecies læſionis viſus quum ad nos nunc ita non pertineant, de ultima tantum adhuc diſtinctius aliquanto fuerit agendum, adeoque in genere definiendum, quænam cœcitatis ſint cauſſæ. Quæ quidem in duas iterum claſſes recte diſpeſcuntur, ita ut aliæ ſint externæ, aliæ vero internæ.

Ad externas *primo* pertinet vulnus & diſſectio oculi, non quævis quidem, ſed illa quæ pupillam & vicinas illi partes ita lædit, ut illarum uſus tollatur. *Deinde* ſæpe etiam cœcitatem inducit illa ὀφθαλμίας ſpecies, quam χύμωσιν appellant; quando videlicet non adnata tantum ſed cornea quoque membrana ita ſanguine perfunditur, ut ipſe oculus quaſi obtegatur. Id quod quandoque fit poſt oculi vulnera, vel etiam vehementem confricationem, cumprimis ab acribus & pruritum excitantibus rebus irritatam. *Tertio* viſus itidem tollitur per ſuperinductam pelliculam, quam nonnulli cataractam, nonnulli ſuffuſionem vocant, Germani den Staar/ de qua jam ſupra ad Tobiæ hiſtoriam fuit actum.

Internæ vero cauſſæ h. e. in ipſo oculo interius deliteſcentes, *prima* ſunt humorum concretio, vel etiam corneæ tunicæ ab omni ſua parte tanta exſiccatio. ut pelluciditas illi omnis pereat. Quæ vitia albugo & ſuffuſio vera vocantur. Poteſt etiam *deinde* fieri, ut aliæ etiam cauſſæ cœcitatem aliquando inducant. Quo etiam referre ſoleot plenariam obſtructionem nervi optici. Sed quum illæ

Digitized by Google

illæ minus ſint manifeſtæ, non poteſt ita certum quid de iis ſtatui. Hoc ſane conſtat, cœcitatem nomentaneam & ad breve tempus durantem aliquando à calida quoque intemperie induci. Quod contingere ſolet aliquando in ardenti febre, item à nonnullis venenis aſſumptis, quæque ſunt hujus generis alia.

Ex quinque autem illis modo allatis manifeſtis cœcitatis cauſſis (momentanea enim illa non eſt, quod in ſeſe quidem magnopere attendatur) ſola illa curationem admittit, quam tertio loco collocavimus, videlicet cataracta: quamvis non omni tempore, nec etiam in omnibus hominibus. χύμωσις vero, aut pupillæ diſſectio, vel hinc nata cicatrix, aut albugo completa, aut ſuffuſio vera, ſimpliciter omnem humanam quidem medicam vim excludunt.

Quanam vero de cauſſa homines iſti à Chriſto curati cœcitatem contraxerint, nemo unquam poterit divinare: ideoque fruſtra quoque fuerit illi ſcrutationi quicquam temporis vel operæ impendere, quum noviſſe ſufficiat, homines iſtos fuiſſe lumine captos, ita ut iſte quidem ſenſus illis plane fuerit denegatus: plane ſicuti nemo unquam diffinire poterit, quanam cœcitatis ſpecie Apoſtolus Magum Elyman percuſſerit; quum naturales quoque cauſſæ divinitus ſubito excitari & morbum aliquem inferre poſſint.

Fortasſis etiam non abſurde quis affirmaverit, ejusmodi affectus ab ipſo quoque Cacodæmone & hodie infligi & illis ipſis quoque à Chriſto ſanatis cœcis fuiſſe inflictos. Sane cum alia hoc ipſum ſuadent, tum etiam non tantum

Cæcitas miraculoſa Gabiniani |ob! fidei Chriſtianæ ſymboli profeſſionem & baptismum dilatum refertur ab Auguſtino. *epiſt. LXVII.*

Digitized by Google

tantum quod de mutitate à Dæmone introducta ſubjungitur, ſed etiam quod apud Matthæum XII, 22. Dæmoniaci cœci & muti mentio fiat. Tantum hoc diſcriminis obſervetur, quod illi expreſſe dicantur Dæmoniaci h. e. ab ipſo maligno ſpiritu obſeſſi. Ut itaque talis cœcitas, qualem videlicet nunc conſideramus, ſive proprie ſive minus, proprie dicta arcano quodam modo â Dæmone fuerit inducta: Certe quandoque illud fuiſſe factum hodieque fieri, quam maxime illud ſuaſerit, quod de incurvata muliere illa apud Lucam XIII, 11. quam Chriſtus ſabbato ſanavit, ipſemet Servator diſerte affirmet, fuiſſe illam tot annos vinctam à Satana: nequaquam ita locuturus, niſi etiam arcano modo à malignis geniis multi morbi hominibus immitterentur.

Ad Matthæi IX ỳ. 32.

Ad locutionem omnia illa requiruntur, quæ alias ad vocem edendam neceſſaria ſunt. Et quidem pulmones, præcipue vero aſperam arteriam, hic præcipuas partes obtinere, neminem latet; ita tamen ut aliæ quoque partes aliquid conferant. De qua re digna ſunt lectu, quæ præter alios libro *de voce* conſcripſit Hieronymus Fabricius Aquapendentius. Omnes videlicet partes ſpiritales (quæ vocantur) ſive reſpirationi inſervientes uſum quendam hic præſtant. Quo præter aſperam arteriam & pul-

Miraculi vis conſiſtit *primum* in eo, quod illico verbo prolato fuerint curati. *Deinde* non minus id quoque miraculoſum eſt, quod ſtatim libere in aëre & luce verſari potuerint citra viſus oblæſionem. Quo pertinet etiam, quod infantes ſtatim à partu nequaquam in clara luce ſunt locandi, quum viſus privatio inde poſſit oriri.

Alius elinguis & mutus, & ne hoc quidem habens unde roget, magis rogat, dum rogare non poteſt. Hieronym. *ad Pammach. ſup. ob Paulina uxor. p. 163. b.*

monem pertinet etiam ipſum pectus, diaphragma, quin etiam ipſemet infimus venter: utpote quum nec reſpiratio inſtitui nec vox ulla edi poſſit, niſi partes omnes hæ tam dilatationem quam contractionem quandam poſſint pati: de qua re alias commodiori loco fuſius. Quod autem de aſpera arteria diximus, idem ſub latitudine quadam de aliis quoque proxime illi adhærentibus eſt intelligendum. Quæ inter primum quaſi locum obtinet nervus recurrens vocatus. Et vero tantum illum ad vocis inſtitutionem conferre, Galenus jam olim notavit, ut alterutro illo nervo præciſo in vivo aliquo animali vox exigua reddatur, utroque vero, plane animal fiat mutum, experimenta in canibus adducens; quod etiam multis diſputare nunc nequaquam eſt neceſſum. Sane diaphragmatis & pulmonis etiam liberum motum neceſſario ad vocem requiri, vel illa ſymptomata ſatis ſuperq; docent, quæ hypochondriaci quidam patiuntur. Cujus generis quoque eſt cholera ſicca, quam vocant, item incubus, quæque ejus generis ſunt alia.

Præter hæc vero ad locutionem multo major adhuc apparatus exigitur. Per locutionem autem intelligimus vocem quam alias articulatam vocant, Et quidem ad illam recte formandam præter illa modo recenſita vocique inſervientia inſtrumenta potiſſimum requiritur recta conſtitutio palati & faucium. *Primo* enim liber & expeditus uſus linguæ hic ſumme eſt neceſſarius. *Deinde* dentium rectus

Labiorum & oris conſtitutio, varium motum libere admittens, maxime quoque eſt neceſſaria. Dentium minor eſt uſus, nec niſi anteriorum duntaxat. Quorum alterni abſentes ac præſentes, vel unus & alter, plus voci articulatæ formandæ incommodant, quam omnium abſentia.

rectus habitus non minus exigitur. *Demum* quoque membrana illa in faucibus collocata, quam gurgulionem ſeu uvulam nominant, multum quoque hic præſtat.

Et lingua quidem quam maxime eſſe debet legitime temperata, cumprimis autem juſto nec humidior nec ſiccior. Nimia ſane ejus humiditas vocem reddit valde indiſtinctam: qualem videlicet præcipue edere ſolent tum pueruli fari incipientes, tum ebrii. Poteſt etiam quandoque in cauſſa eſſe ligamentorum linguæ præternaturalis conſtitutio, ita ut lingua minus promte, prout par erat, in omnem partem flecti & impelli poſſit. Quod vulgo, die Zunge ſey nicht recht gelöſet / appellare ſolent. Et vero tale vitium quandoque fit à nimia ſiccitate vel duritie ligamenti iſtius, quod anterius ſub lingua collocatum eſt. Quod vitium vulgo quidem omnibus infantibus recens natis ita connatum eſſe perhibetur, ut ab obſtetricibus digiti vel etiam unguium applicatione illud ſolvendum & rumpendum eſſe exiſtiment: perperam tamen, quum non niſi rariſſime illud ipſum contingat.

Dentes porro quantum ad locutionem faciant, non poteſt itidem eſſe obſcurum, quum in edentulis illud ipſum ſatis ſeſe prodat. Requiritur autem in dentibus potiſſimum poſitus, ut videlicet nec nimis inter ſeſe diſtent, nec etiam alium vitioſum ſitum obtineant.

Quod poſtremo ad uvulam pertinet, utique illa hoc quam maxime præſtat, ut clara & perceptibilis vox evadat: quum in illis, qui membranæ ejus exulcerationem & ablationem paſſi ſunt, vox reddenda per os per nares effundatur. Unde ſimultum fit, ut articuli ipſi vocum valde difficulter posſint intelligi.

His omnibus jam recte ſeſe habentibus, pro animi lubitu vox articulata ſive locutio efformatur. Cujus quidem

omnis ratio non caret multa admiratione: & tanto quidem magis, quanto plus diverſiſſimæ ſunt ipſæ voces ſeu ſyllabæ earumque prolatio. Ad aliam videlicet pronunciationem requiritur fortis aëris impulſus, ad aliam remiſſior: in aliis lingua attollitur, in aliis deprimitur, in aliis ad latus vocem impellit, in aliis inflectitur, in aliis contrahitur, in aliis extenditur. Dentes etiam modo diducuntur, in aliis autem adducuntur. Quam omnem rem nemo fortaſſis melius perſecutus eſt eodem illo paullo ante laudato Fabricio Aquapendentio, cujus *de locutione ejusq; inſtrumentis* liber de hoc ipſo negotio cumprimis lectu dignus eſt.

Partibus autem locutioni inſervientibus neceſſario adhuc & *quarto* addi merentur labra, utpote quum illorum in hac re uſus itidem ſit manifeſtiſſimus. Et vero labra longe plurimum ad vocem recte & diſtincte exprimendam faciunt, utpote quum illis tanquam cuſtodibus quibusdam & extremis janitoribus os ſit obſeptum. Quorum varius in ſyllabis exprimendis motus quum neminem latere poſſit, ſed eum quilibet in ſemetipſo poſſit experiri, non amplius eſt, quod de illorum uſu plura addamus. Et vero ipſorum varia conſtitutio & conformatio multum quoque ad locutionem vel melius vel minus bene effingendam confert.

QUEMADMODUM vero aliæ omnes corporis noſtri facultates, ita & hæc quoque tribus modis læditur: dum videlicet vel debilitatur, vel depravatur, vel plane ſupprimitur. Ad primum vero genus pertinent blæſi, balbi, τραυλοὶ & in univerſum omnes illi quibus locutio laborat. Depravatæ locutionis ſpecies videntur illæ eſſe conſtituendæ, quando vox articulata eo modo, prout debebat, non profertur: ita tamen, ut id fiat ſine aliqua difficultate. Quibus enim impedita vox vel potius locutio eſt,

ad

ad primum genus pertinent. Poſtremi vero ordinis quinam ſint, per ſeſe patet.

Quamvis autem defectus vel potius denegatio vocis articulatæ ſic ſatis ſit vulgaris, cauſſæ tamen ejus non perinde videntur faciles eſſe definitu, quam in aliarum facultatum vel etiam alias vitiatæ locutionis morbis. Et quidem vitium illud plerumque eſt connatum: quamvis nonnullis deinde aliquando ſuperveniat. Quænam vero proxima ejus rei cauſſa ſit; in quonam videlicet vitium illud primario conſiſtat, de eo non videtur magnopere eſſe ambigendum: quamvis qualenam vitium illud ſit, non facile poſſit fortasſis exprimi.

Lactantius quidem *lib. de Opificio Dei cap. XI.* unicam mutitatis cauſſam eſſe dicit, fiſtulæ ſpiritalis (per quam nihil aliud atque aſpera arteria poteſt intelligi) aliquomodo interceptionem. Verum præcluſis faucibus & aſpera arteria intercepta locutionem tolli, nequaquam eſt mirum: utpote quod tum ipſa quoque reſpiratio ſimul intercipiatur, ſine vero aëris externi inſpiratione & exſpiratione ne vocem quidem poſſe edi neminem fugit, ideoque locutionem ipſam tum & ſpiritu ſuppreſſo tolli nequaquam eſt mirum: At vero de tali violenta vocis interceptæ cauſſa nunc nobis ſermo non eſt. Illos vero qui hoc affectu laborant, ſimul difficultate reſpirandi laborare, nequaquam conſtat. Quapropter de aliis causſis ut circumſpiciamus oportet.

Posſit fortasſis videri, in multis (à prima videlicet nativitate) par nervi recurrentis abeſſe, de quo ſupra mentionem fecimus. Verum nervo illo & quidem in utroque latere præciſo, vocem ſimpliciter omnem intercipi, Columbus & alii qui id experti ſunt teſtantur. At mutos nullam plane edere vocem, eſt contra experientiam. Sunt videlicet

illi quidem vocales, at μονόφωνοι tantum: Id quod jam olim bene adnotatum fuit libro περὶ σαρκῶν (qui Hippocrati vulgo ſolet adſcribi, perperam tamen, quum procul dubio potius ſit Democriti,) quodque ex eo recte quoque repetit Aquapendentius libro paullo ante laudato.

Ut itaque illud potius tanquam extra controverſiam ſit collocandum, mutitatis cauſſam (naturalem videlicet) eſſe ſitam in ipſa lingua. Quum enim linguæ præcipuæ partes ſint in vocis dearticulatione, (id quod in illis quam maxime apparet quibus lingua eſt præciſa,) dearticulatio vero iſthæc absque varia flexione, dilatatione, conſtrictione, impulſu, attollitione, depresſione linguæ fieri nequeat; videtur in mutis varius & multiplex ille linguæ motus non poſſe inſtitui. An autem in ligamento ſublinguali prope anteriores dentes collocato, an in ipſa lingua, an in muſculis ad radicem ejus & os ὑοειδὲς vitium illud hæreat, non videtur ita exacte poſſe definiri. Nec vero ut nunc de eo multum ſimus ſolliciti opus eſt.

Non raro autem fortasſis cauſſa aliqua ſupernaturalis & divinior heic latet. Dæmoniacos ſane à Christo curatos ab impuro ſpiritu fuiſſe locutione privatos, propalam eſt. Et talis quidem cauſſa eſt manifeſta. In aliis autem, quibus longe magis abſtruſo modo malignus genius inſidiatur, minus certe id ſemper licet affirmare: quamvis ſuſpicio de eo ſæpe nequaquam ſit vana.

Neque

Μῦ ſive mu ſyllaba mutorum eſt, Unde & muti dicti, & muſſare, quod Græcis μύζειν. Hieronym. *ad Pammach. & Ocean. de errorib. Origen. p. 191. f. Confitemini & vos in quibusdam errare Originem, & mu ultra non faciam.* Quomodo locum iſtum miris modis depravatum recte reſtituit Eraſmus.

Neque vero illud admiratione caret, quod hoc vitium quoque ad liberos ſoleat propagari. Cujus quidem cauſſæ quum itidem valde abſtruſæ ſint, de omni vero hoc negotio non ſit hujus inſtituti agere, non etiam eſt, quod vel in illius vel omnino mutitatis cauſſas nunc ulterius inquiramus.

Meretur tamen etiam illud hic annotari, quod vox etiam deſtituere illos ſoleat, qui vehementer percelluntur, aut fiunt attoniti. Quod clare exprimit verſus ille Virgilii:

Obſtupui, ſteteruntq; comæ, & vox faucibus hæſit.

Cujus quidem rei ratio videtur in ipſum ſanguinis motum eſſe conferenda; utpote quum quanto vehementior animi aliquis affectus fuerit, tanto magis quoque ſoleat cum univerſum corpus, tum calidum præcipue & ſanguinem afficere. Sicut vero ab ejusmodi aliqua vehementi animi perturbatione vox deficere ſolet: ita plane contrarium accidit filio Crœſi. Hic enim quum Sardibus captis miles quidam patri ſuo necem intentaret, ipſe vero alias à prima nativitate fuiſſet mutus, rei indignitate & periculo patri imminenti commotus ſubito fari cœpit, militemque ut regi parceret admonuit; ceu annotavit Herodotus.

Ad

De hæreditaria mutitate Fernelius, Schenckius, alii. Sutor quidam hujus loci mutus liberos genuit alios loquentes alios mutos. *Itane tu non vidiſti Mediolani adoleſcentem honeſtisſimi corporis & elegantiſſimæ urbanitatis, mutum tamen atq; ita ſurdum, ut neq; alios niſi motu corporis intelligeret: neq; ipſe aliter quæ vellet ſignificaret?* Statim addens: *Ego novi ruſticum quendam loquentem de loquente uxore filios omnes mares atq; fœminas quatuor fere aut eo amplius mutos ſurdosq; genuiſſe. Nam ex eo quod loqui non poterant muti: ex eo autem quod nulla ſigna niſi oculis colligebant, etiam ſurdi intelligebantur.* Auguſtinus *l. de quantit. animæ c. 18.*

Digitized by Google

Ad Matthæi XII. ℣. 10. & ſeqq.

Quid per manum aut etiam brachium ξηρὰν ſive ἐξηραμμένην intelligi debeat, & qualisnam affectus ille ſit, videtur eſſe aliquo modo anceps: & quidem propterea, quod de paralyſi quoque eadem vox quandoque in S. litteris uſurpetur. Ita de Jeroboamo *I.* ſive *III. Reg. XIII, v. 4.* quum videlicet Prophetam ex Juda advenientem & adverſus altare Betheliense vaticinantem apprehendi juſſiſſet, ſcribitur: καὶ ἡ χεὶρ αὐτοῦ ἐξηράνθη. Ubi paralyſin intelligendam eſſe, videtur ex eo præcipue colligi, quod protinus ibidem ſubjiciatur, regem manum ſuam ſive potius brachium non potuiſſe ad ſe reducere vel retrahere. Verum hoc loco videtur alius affectus potius denotari. Et quidem videtur id colligi ex *v. 13.* quod nempe juſſus à Chriſto manum extendere, quum illud feciſſet, fuerit manus reſtituta, quod videlicet extendere eam antea non potuerit, ita tamen ut alio vitio illa laboraverit quam paralyſi. Niſi hæc verba potius ita exponenda ſint, quomodo ſupra *cap. IX. v. 6.* Chriſtus ad paralyticum lecto decumbentem dixit: *Surge, & attolle lectum.* Quod ſi itaque poſteriori ſenſu hæc fuerint accipienda, non poteſt aliter dici, quam quod hic homo quoque laboraverit paralyſi.

Sin autem illo ſenſu hæc non velimus accipere, uti omnino non videntur eſſe capienda, duobus adhuc aliis modis poteſt id exponi. (1) videlicet ut dicamus, hominem illum habuiſſe manum vel potius brachium contractum, ita videlicet ut manum non potuerit extendere: quod nempe partes extenſioni inſervientes laboraverint morbo quodam.

ἔμεινεν ἡ χεὶρ αὐτοῦ ἀκίνητος, καὶ ἀσάλευτος, καὶ ἀκαμπὴς, ὅλη ξηρὰ, ceu optime exponitur de alia hiſtoria in fabuloſa vita Epiphanii num. XIII. apud Metaphraſtem.

quodam. *Deinde* poteſt id ita quoque accipi, quod habuerit manum longo morbo debilitatam & extenuatam, quomodo id interpretatur Joachimus Camerarius in ſuis *ad h.l. annotationibus*; fueritque brachium & manus ita affecta, ut ἀτροφία, quadam laboraverit: id quod nos eine Schwindung des Glieds ſolemus appellare. Utram vero ex duabus hiſce poſterioribus explicationem quis admittat, perinde quidem videtur eſſe: quamvis nobis prior expoſitio omnino magis placeat; quod videlicet partes extenſioni inſervientes fuerint contractæ, atque ita brachium non potuerit extendi.

Quod autem ad affectus iſtius utriusque cauſſas pertinet, ἀτροφία quidem omnino tum oritur, quando ſanguis affluere prohibetur: id quod non niſi obſtructa arteria fieri poteſt. Quia enim omnes corporis noſtri partes plane nulla excepta (quidquid Gliſſonius & alii de chylo per nervos diſtributo contra nugentur) ſolo ſanguine aluntur, hic vero per nullos alios ductus niſi per ſolas arterias ex corde ad partes alias mitti poteſt; neceſſum quoque eſt, nutrimento deficiente vas illud advehens eſſe obſtructum.

Talis autem obſtructio poteſt à non una cauſſa fieri. *Primo* quando per adjacentes viſcidos humores liber & ſufficiens tranſitus ſanguini per arterias denegatur. Id quod in partibus paralyſin paſſis quoque ſolet contingere. Unde plerumq; pars paralytica ſimul quandam patitur extenuationem & nutritionis defectum. *Deinde* idem poteſt fieri per conſtrictionem. Unde partes illæ, quæ frequenter & fortiter vinciuntur, itidem ſolent pedetentim extenuari. Præter has autem cauſſas *tertio* aliquando fit, ut per contuſionem minutæ arteriæ itidem obſtruantur. Unde parti illi, cui arteriæ adjacent, nutrimentum quoque quadamtenus, per illa videlicet vaſa, ſubtrahitur. Non duntaxat autem per

ejuſmodi obſtructionem vel compreſſionem pars aliqua corporis incipit ἀτροφίᾳ laborare & proptere attenuari, ſed *quarto* multo magis etiam adhuc nutrimento deſtituitur, quando arteria eſt præciſa. Et vero hæc unica cauſſa eſt, quare poſt vulnera ſæpenumero partes ἀτροφίαν, & quidem quæ curari nequeat, ſentiant.

Contractio vero brachii vel aliarum etiam partium (quem affectum nos vulgo vernaculo etiam ſermone eo nomine ſolemus appellare) fit, ceu jam tum diximus, quando partes extenſioni dicatæ officium ſuum facere non poſſunt. Hoc ipſum autem non fit propter relaxationem ſive reſolutionem, quod contingit in paralyſi; ſed potius propter cauſſam contrariam: quod nempe ſicut in paralyſi partes plerumque ſunt flaccidiores & humidiores; ſic ex adverſo in contractura partes illæ juſto ſint ſicciores & duriores, & quidem præ omnibus aliis ligamenta articulorum ac tendines muſculorum. Muſculi ipſi videlicet non ita facile exſiccantur. Et præterea in contractis non poteſt non muſculorum illa præternaturalis ſiccitas ſenſu deprehendi. Vitium igitur potius circa articulos delitescit. Hinc arthritici talem affectum ſæpe incurrunt. Talis autem porro exſiccatio & induratio plerumque fit à calore præternaturali. Unde vini potores ſæpe fiunt arthritici. Præter hæc autem & ipſos articulos reddi juſto ſicciores non eſt dubitandum. De qua tamen re quum ad Lucæ XIII. caput iterum ſit agendum, non eſt quod nunc ulterius illi immoremur.

Ad Matthæi XII. ℣. 34. III, 7. XXIII, 33.

Viperas eſſe inter venenatiſſima animalia extra controverſiam eſt. Id quod omnia illa quæ ad earum naturam pertinent ſatis ſuperque produnt. Præterea vero jam olim proditum eſt, usque adeo virulentum eſſe illud genus ſerpentum,

pentum, ut ipſemet fœtus quoque eam oſtendat; dum videlicet non exſpectans juſtum tempus excluſionis ſive partus, uterum matris perforando, in lucem prodeat. Creditum inſuper & hoc fuit, viperam fœmellam caput maris abſcindere, & ita ſemen haurire & gravidam fieri. Priori ſane de cauſſa nomen quoque ei inditum eſſe complures cenſuerunt, quaſi videlicet vipera ſit dicta, quod vi pariat. Ab utraque vero Gnoſticos cum iis comparat Epiphanius *hær. XXVI. c. XIX.*

Verum quod ad derivationem iſtam & analogiam nominis pertinet, revera illa eſt futilis: perinde ut nunquam fere non alias quoque omnis iſte labor fruſtraneus eſt & nullius plane momenti, nominum videlicet derivationes ita anxie inquirere. Nimirum procul omni dubio, ſi quidem etymologiæ ratio omnino reddenda fuerit, ita potius eſt dicta, quod vivum fœtum pariat. Id enim illi generi ſerpentum proprium eſt, quum alii ovum ſoleant parere.

Quod porro ad utrumque illud violentum facinus, & fœtus in matrem & fœmellæ in marem, pertinet, neutrum quidquam ex vero habet, ſed omne ex vulgi anilibus fabulis eſt deſumtum: ceu præter alios illi cumprimis oſtenderunt, qui de viperæ natura & facultatibus peculiariter egerunt. Legi itaque hac de re merentur, quæ de priori

Ambroſius Enarrat. in Pſalm. 37. *Celebris ſermo eſt & ſcriptorum autoritate robustus, ſerpentem aquis appropinquantem ſibilo ſibi fœminæ anguis ſponſare concubitus: illam propriæ conſulentem ſaluti eâ ſpondere lege petitos coitus ſui uſus, ſi ſerpens venenum evomat, captumq; obedire juſſis, arma deponere ac proprii more conventus caput ori ejus inſerere: atq; ubi caleſcere cœpit conſuetudo, ſeu naturæ quadam violentia, ſeu libidinis ardore fœminam ſtringere ora, morſuq; libidinis oſculis premere, atq; ita caput ſerpentis abſcindi.* Loquitur autem hîc de vipera.

quidem facinore annotavit Baldus Angelus Abbatius libro *de admirabili viperæ natura cap. 1.* De poſteriori vero *cap. 9, 10, & 16.* Quibus longe plura adhuc addi poſſunt ex Marci Aurelii Severini libro *de vipera Pythia.*

Quandoquidem vero vel ejus generis alia, quæ de viperis vulgo credi ſolent, veritati manifeſto adverſantur, non etiam eſt, quod quis fortasſis exiſtimet, huc Servatorem reſpexiſſe. Scilicet quum illud genus ſerpentis ſit maxime virulentum & pernicioſum, ceu jam paullo ante diximus, facilè apparet quare cum illis improbos Phariſæos conferre voluerit Servator. Sane vernaculo quoque ſermone iracundam & rixoſam fœminam eadem de cauſſa vocare ſolemus eine böſe Adder.

Ad Matthæi XIII. ℣. 33.

Numquidnam putabimus regnum cælorum per omnia ſimile eſſe fermento, ut ſubſtantia illa ita palpabilis ſit ac fragilis, ut & acida fieri poßit & corrupta? Sed ad hoc ſolum exemplum iſtud videtur aſſumi, ut oſtenderetur ex parva prædicatione verbi Dei humanas mentes fidei fermento poſſe coaleſcere. Ruffinus *in expoſit. Symboli, p. 104. ſ. t. IV. operum Hieron.*

Ad Matthæi XVII. ℣. 15. Marci IX. ℣. 18. 20.
Lucæ IX. ℣. 29. 42. Gal. V. ℣. 8.

Per lunaticos intelligendos eſſe epilepticos; videtur omnino eſſe certum. Quamvis enim etiam multi alii morbi motum lunæ imitentur, & ad ejus viciſſitudines itidem

Horrendum exemplum de energumeno lunatico, qui in Mœno ſibi σύμπλοος erat factus, Conradus Rittershuſius refert in vita ſua à Georgio filio collecta, ſecundæque Salviani operum editioni præmiſſa. Per lunaticos intelligendos epilepticos Mercur. l. de morb. puer. putat. Peculiarem & ſine exemplo affectum lunaticum ſenſit Verulamius. Vid. vita ejus.

dem vel increſcant & exacerbentur, vel etiam remittant; nihilominus tamen epileptici cumprimis viciſſitudinibus illis præ aliis ſunt obnoxii. Præterea vero eo magis id veriſimile, ſaltem quod ad hanc hiſtoriam pertinet, ſit, quod affectus ipſe præ aliis maxime ſit horrendus, & etiam eo malignus genius maxime delectetur & miſeros homines divexet.

Eſt autem epilepſia affectus ut maxime vulgaris, ita abſtruſæ admodum naturæ. Quæ enim vulgo de ejus cauſſis doceri ſolent, potiſſima ſi non omni ex parte vulgaribus de cerebro nervis & ſpiritu animali placitis innituntur. Quæ ipſa quum non omnino ſint certa, quinimo ex parte fortaſſis veritati non ſatis conſentanea; non etiam utique poteſt aliter fieri, quin epilepſiæ quoque cauſſæ inde arceſſitæ dubitationibus & difficultatibus ſint obnoxiæ.

Quidquid autem de hac re ſit, duo præcipue ad intimiorem ejus affectus naturam pertinentia notare nunc convenit. Alterum videlicet eſt, in omni epilepſia fieri ſuffocationem quandam, & tanto quidem majorem, quanto gravior ipſe affectus fuerit: alterum, in omni epilepſia eſſe motus convulſivos. Utrumque ſane hoc ſymptomata epilepticis accidere ſolita nimis luculente comprobant.

Et ſuffocationis quidem argumenta præbent, (1) anguſtia pectoris & difficultas reſpirandi: *denide* ſpumæ collectio in ore: (3) intumeſcentia faciei & oculorum quædam prominentia. Quæ omnia ſymptomata proinde illi quoque patiuntur, qui ſtrangulantur. Unde recte quoque aſſeritur, omnes illos qui ſuſpendio necantur, epi-

Non vere lunaticos, ſed qui putabantur lunatici, ob dæmonum fallaciam, qui obſervantes lunaria tempora, creaturam infamare cupiebant, ut in creatorem blaſphemiæ redundarent. Hieronym. *commentar. in Matth. cap. IV. v. 24.*

lepſia tolli. Certe pleroſque vera epileptica ſymptomata pati, ipſi ſenſus docent: præſertim ſi reſte arteria & fauces non ſatis valide, nec omni ex parte fuerint præcluſa & intercepta. Quapropter ſuffocationem quandam in epilepſia fieri, non amplius exiſtimamus eſſe ambigendum. Plena tamen ſuffocatio non fit: nam tum mors ipſa neceſſario ſubſequeretur. Qua etiam de cauſſa ſuſpenſi in patibulo confeſtim moriuntur, ſi omnis omnino reſpiratio fuerit intercepta. Alii quoque epileptici omni reſpiratione denegata ſuffocantur & intereunt: ſive id fiat per ſubſequentem apoplexiam, ſive per ipſam epilepſiam graviſſimam.

Si jam vero porro quæratur, in quibusnam partibus cauſſæ illæ ſuffocationis maxime ſitæ ſint, non poterit id ita eſſe obſcurum. Reſpirationem quidem maxime per pulmones inſtitui, certum eſt. Ideoque & ipſos quoque heic laborare, non eſt negandum. At vero illos ſemper primario & κτ̃ πρωτοπάθειαν affici non conſtat. Quin aliter rem ſe habere ex iis colligitur, quæ alias quoque epilepſiam inducere ſolent, & circa eam contingere. Ut tamen rem nunc in pauca contrahamus, vaſa jugularia & cumprimis arterias carotidas obſtrui, vero maxime eſt conſentaneum. Id quod in apoplexia quoque fieri, omni vacat dubitatione.

Convulſio vero ſemetipſam manifeſto prodit, cumprimis autem in manu & pollice, quin in oculis quoque. Hinc enim contorſio & perverſio illarum. In gravi quoque epilepſia univerſum fere corpus convellitur. Unde capitis, brachiorum, crurum, totiusque corporis involuntaria & violenta commotio. Quum autem alias convulſio-

Quod autem à Marco additur eam areſcere, ad epilepſiam non pertinet, ſed denotat ἀτροφίαν & contabeſcentiam corporis.

vulſionis cauſſæ ſint flatus ſeu ſpiritus (ut cum Phyſicis & Medicis loquar) in fibris muſculorum intruſi easque vellicantes, idem in epilepſia quoque fieri non eſt ambigendum. Certe ſolam & veram convulſionis eſſe cauſſam, præter alia celer quoque acceſſio & receſſio iſtius ſymptomatis docet.

Ad Matthæi XIX. ℣. 12.

De Eunuchorum prima origine, differentiis, hodierno item cumprimis apud Turcas uſu, præter alios prolixe agit Paulus Zachias in opere *quæſtionum Medico legalium*, quas proinde quoque præ aliis hac de re juverit legere.

Ad Marci II. ℣. 22.

Cauſſa, quare utres veteres à muſto ſive vino novo rumpantur, attribuenda eſt calori fermentanti, qui in vino novo ineſt: qui dum incipit effervеſcere, ſimul multas vini particulas attenuat & rarefacit: unde fit, ut ejusmodi vinum fermentatum ampliorem ſimul locum requirat; præſertim quum omnes res fermentantes propter allatam cauſſam intumeſcant & in majorem molem attollantur. Ab hac eadem fermentationis vi porro ſæpe etiam fit, ut dolia cereviſia recenti repleta ſimiliter rumpantur, vel ſaltem vincula eorum viminea. Qua etiam de cauſſa vel operculum non ſtatim ſolent ſuperindere, vel ſaltem per foramen aliquod ſubinde quid ſinunt effluere, quod noſtrates vocant Lufft geben.

Ad Marci VII. ℣. 32. & ſeqq.

Quod de viſu & ceteris corporis noſtri facultatibus jam ſupra fuit dictum, idem quoque de audiendi facultate ſtatuendum

tuendum

Hilarius *can. 9. in Matth. Pannum rudem veſtimento veteri non adſui, quia vetuſtatis infirmitatem virtus adjumenti* (ita enim omnino legendum) *rudis diſſolvat: & vinum veteribus utribus non infundi, ferventis enim muſti calor utres veteres abrumpit.*

tuendum eſt. Conſiſtit videlicet plenaria iſthæc δύναμις, tum in organi ipſius juſta conſtitutione, tum calidi & ſanguinis debito influxu. Quod ipſum ut nunc ſeorſim de auditu operose oſtendamus, non neceſſàrium eſſe arbitramur, quod ex iis, quæ de aliis facultatibus jam allata ſunt, facile poſſit de hoc quoque ſenſu judicium inſtitui: quapropter ſatius fuerit ſtatim, quomodo auditus fiat, exponere.

Primo itaque conſiderari debet auris externa configuratio & excavatio, quæ videlicet ita ſe habet, ut ſonus per eam aliquo modo in gyrum actus, & quidem ab infima parte incipiendo, demum ad internam aurem penetret. Et vero figuram illam non propter ſolum decus vel aliam cauſſam eſſe factam, ex illis quam maxime probatur, quæ alias circa ſonum promovendum à peritis Mechanicis obſervantur. Id quod Dionyſium Siculum, celeberrimum illum tyrannum, adeo non latuit, ut ſimili figura carcerem ex ædificari fecerit; unde factum, ut carceris præfectus in ſuperiori ejus parte habitans omnia, maxima minima, quæ captivi inter ſe loquerentur, potuerit audire. Quæ ſtructura hodieque Syracuſis adhuc conſpicitur, prout eam ipſam cum multis aliis hujus generis depingit, fuſeque deſcribit Athanaſius Kircherus *libro 8. Muſurgiæ univerſalis.*

Quando porro hoc modo ad interiorem auris partem pervenit ſonus, non in ipſam cavitatem capitis ſeu oſſis petroſi penetrat; ſed illa parte ſubſiſtit, ubi pellicula quædam aurem internam ab externa ſeparat. Hæc itaque pellicula ab allabente externo aëre percuſſà porro movet aërem illum qui in interna aure eſt: unde ſimilis ſonus intro gignitur,

Vulgo creduntur omnes muti ſimul eſſe ſurdi. Sed quod aliquando eſt verum, aliquando non. Huc pertinent hiſtoriæ Auguſtini ad Matth. IX, 32. annotatæ.

gignitur, qualis exterius producitur. Non ſecus videlicet atque pellis aliqua ſive tympanum aliquod percuſſum ſonum edit: qua etiam de cauſſa pellicula illa tympani nomen obtinuit.

Sunt autem porro ad ingreſſum pori acuſtici prope illam pelliculam tria minutiſſima & perexigua oſſicula, quæ procul omni dubio ſeſe tum movent, & ad ſoni repræſentationem in ipſa interna aure faciunt. Unde porro ſimili modo in gyrum agitatur aër internus, quemadmodum in externa aure: unde pars quoque illa interna, concha appellatur. Præterea eſt alius ibi ductus, miris anfractibus præditus, quem labyrinthum propterea appellant. Atque ita varie concuſſus & agitatus internus aër ſonum in capite gignit.

Quod autem ad internum illum auris aërem pertinet, Ariſtoteles utique videtur exiſtimaſſe illum eſſe auri connatum & ingenitum. Quod nobis tamen non videtur eſſe neceſſum: quinimo fieri non poſſe: quod tum aëri illi exitus daretur, non quidem per externam aurem, ſed per alium obliquum quendam meatum, qui in palatum deſinit. Et vero propter hanc cauſſam poteſt quis aure utraque fortiter obturata nihilominus ſonum percipere, ſi baculum vel aliam rem ſimilem ore & dentibus comprehendat ab una parte, altera rei illi quæ ſonum edit impoſitâ. Id quod in inſtrumento muſico dum pulſatur facile quis poteſt experiri. Quapropter ſufficit, ſi aër quis ad aurem illam internam tantum pervenire poſſit. Quod etiam procul omni dubio fit, quum intra os nunquam non aër recipiatur, qui deinde facile poteſt per foramen illud ex palato in aurem internam pervenire.

Notandum tamen adhuc hic venit, organo licet omni ex parte recte conſtituto, præterea etiam illis quæ affluere

debent & aliunde advenire liberum aditum habentibus; nihilominus tamen ſenſum illum non ſemper actu objecta ſua percipere, & quidem etiam ſecundum naturam citraque morbum. Id quod contingit in dormientibus. Sicut enim reliqui omnes ſenſus, ita auditus quoque per ſomnum quaſi opprimitur. Unde tum ſenſationes omnes externæ ceſſant & feriantur; niſi à phantaſia, ceu in inſomniis fieri ſolet, perturbentur. An vero illud influens à cerebro an à à corde proveniat, nunc non diſputabimus. Sanguinis tamen & calidi ex corde influxum non ſufficienter fieri, ſine dubio jam perſpicuum eſt ex illis, quæ dudum ſupra ad Hiſtoriam Joſephi de ſomno & inſomniis in medium adduximus. Procul igitur dubio ad aurem quoque tum non ſatis vel debito modo influit quod debebat: prout videlicet ipſe ſomnus vel gravior vel levior fuerit. Unde etiam fit, quod dormientes modo facile, modo difficulter ſuſcitari poſſint. Certe qui alto ſopore quaſi obruti & oppreſſi ſunt, non niſi magnis clamoribus & ipſo corpore agitato demum poſſunt excitari; quod quo profundior fuerit ſomnus, eo altius quoque ipſæmet facultates ſenſitivæ ligentur. Quum autem in profundo ſomno cor valde refrigeretur, utique ipſa ſenſoria quoque tum juſto calidi influxu deſtitui oportet.

Addendum inſuper aliquid venit de aëre interno auris. Scilicet illum reapſe dari, præter ea quæ jam adducta ſunt, aliunde quoque cuivis licet colligere. *Primo* enim ſæpe tinnitum vel alium quendam ſonum in ipſa interiori parte auris fieri percipimus, quum tamen nulla externa cauſſa illum ſonum concitaverit: Produci vero talem ſonum ab aëre ſive corpore ſpirituoſo, ipſimet facile percipimus, & ſtrepitus qui ſæpe adjungi ſolet id ſatis declarat. *Deinde* nunquam fere non dum oſcitamus flatu quodam ipſam

etiam

etiam aurem percelli ſentimus: oſcitationis autem cauſſa unice dependet à flatu & flatulento quodam ſpiritu. Unde porro fieri ſolet, quod oſcitantes non poſſint ſimul acute audire; quod videlicet flatu opplente aurem & ſtrepitum quendam ibi excitante, externus ſonus non commode poſſit percipi.

SURDITATIS jam non una eſt cauſſa, ſicut omnis difficilis auditus. Videtur autem omne illud ad duo genera commode poſſe reduci.

Et *primo* quidem ſæpius fit, ut à craſſis humoribus meatus auditorius cum ipſa interna aure ita obſideatur, ut externus ſonus interna aure non poſſit reſonare. Scilicet non alio fere modo peragitur auditus, atque alias echo ſolet, per ſoni videlicet repercuſſionem. Dum itaque vox vel alius ſonus commode non poteſt reverberari, fit ut intercidat vel etiam diſſipetur. Hinc ſane etiam eſt, quod rei alteri & molli cumprimis ſuperpoſitum vel ſuppoſitum & percuſſum longe debiliorem ſonum edat, quam ſi omni ex parte ſit liberum. Præterea ipſa pellicula ſive tympanum, quod in extremo poro acuſtico eſſe collocatum diximus, ſæpe humores craſſos vel alios quaſi imbibit. Unde fit, ut vel relaxetur & juſto fiat flaccidius, vel etiam nimis craſſeſcat & induretur. Conſtat autem vulgare aliquod tympanum ex corio videlicet confectum, ſi non ſatis ſiccum fuerit ſed humidum, longe imbecilliorem ſonitum dum percutitur edere, quam ſi recte ſeſe habeat & ſit temperatum. Propter has ſane cauſſas catarrhoſi vel apoplectici vel alias capitis gravedini obnoxii, ſenes item, vel difficulter audiunt, vel ſurdi evadunt. Unde etiam porro fit, præſertim ſi affectus illi diuturni ſint vel etiam ætatis vitio ſuperveniant, ut ipſa temperies auris immutetur: unde non poteſt non ſenſus ille paullatim perire.

Altera vero cauſſa conſiſtit in pelliculæ ſive tympani iſtius ruptione. Quæ ſi contingit, & nulla repercuſſio poteſt fieri, & aër cum ſono auditorium ſeu ſenſorium auditus tranſit. Qua etiam de cauſſa tum internus quoque aër auris non ita amplius auditum poteſt juvare, quod videlicet per externam aurem facile elabatur. Ruptio autem talis tympani non una de cauſſa poteſt contingere. (1) enim ab acribus & corrodentibus humoribus vel etiam auris exulceratione facile illud accidit. (2) ſi quis inſtrumento, quo aures purgari ſolent, nimis alte per imprudentiam vel imperitiam penetret. Id quod in hoc ipſo oppido civi cuidam accidit, dum circumforaneum aliquem & agyrtam, ut in auditus difficultate ſibi conſuleret, adiiſſet; ille vero inſtrumentum aliquod ferreum ipſi in aurem intruſiſſet, quod videlicet craſſi humores ibi ſtabulantes removendi eſſent: unde tympano perforato, ex ſurdaſtro ſurdus ille evaſit. (3) quoque illud ipſum non raro accidit, ſi aër vel etiam magnus aliquis ſonus, (qui utique ſine magna aëris commotione inſtitui non poteſt,) cum vehementia & violentia in aurem intrudatur.

Id quod variis iterum fit modis. (1) per vehementem in aurem inclamationem (2) ſi quis manu cumprimis aut pugno vel etiam digitis ita contractis ut magna cavitas circa volam conſtituatur, alterius aurem cito percutiat. (3) per campanarum pulſationem; præſertim ſi quis non tantum prope illas adſtet, ſed etiam in anguſto aliquo loco ſit conſtitutus, ubi aër & ſonus non ita dilatari poſſunt, ſed in unum coguntur, & ad ſolidos parietes alliſus fortiter repercutiuntur (4) per bombardarum & tormentorum bellicorum exploſionem. Ad quod vitium proinde cavendum qui illis præfecti ſunt Conneſtabiles Gallice vocati, goſſypio tantiſper aures ſolent obturare. Quæ ſimilesque cauſſæ aliæ tanto

gravius

Digitized by Google

gravius adhuc auditum lædunt, quanto ſenſorium vel etiam univerſum caput minus bene fuerit temperatum & affectum, & ipſæ diutius frequentiusque occurrant & ſint ſubeundæ ſive admittendæ.

Ad Lucæ X. ℣. 34.

Quæ h. l. à Samaritano in illius hominis, qui à latronibus vulneratus erat, curatione leguntur eſſe adhibita, omnino deſumta ſunt ex ipſamet arte Medica: quum videlicet & vinum & oleum inter ſeſe commiſta & vim obtineant mitigandi & vulnus purum ſervandi: vulnere autem mundo nec intemperie aliqua laborante, facile ejus clauſio ſubſequitur. Et vero hodie quoque à peritisſimis artificibus duo iſthæc in vulnerum curatione magnopere commendantur, ceu præter alios videre eſt, cum in Raimundi Mindereri libello Germanico *Medicinæ militaris*, tum etiam in *trimenbri Chirurgia* Marci Aurelii Severini, qui idem remedium hodieque apud Melitenſes equites ſcribit maxime eſſe uſitatum.

 Ad

Vide de hac curatione Valentini Eſpichii *programma in Galeni lib. de tumorib.*

De olei & vini uſu in vulneribus & ulceribus multa Galenus tum alias tum l. 3. meth. med. c. 21. l. 6. c. 2. & 3. 4. l. 3. de medicam. compoſ. c. 2 Seorſim vero de olei & vini miſtura l. 1. c. 4. & de ἐμπλέῳ c. 8. ubi de uſu eodem plane, de quo hic; niſi quod tantum ſpumam argenti addiderit. Samaritanum videlicet illud remedium fuit [illegible].

Addomim, quondam villula, nunc ruinæ &c. Græce dicitur ἀνάβασις πυῤῥῶν, Latine autem appellari poteſt aſcenſus ruſſorum ſive rubentium, propter ſanguinem qui illic crebro à latronibus funditur. Eſt autem confinium tribus Juda & Benjamin deſcendentibus ab Ælia Hierichum, ubi & caſtellum militum ſitum eſt ob auxilia viatorum. Hujus ſanguinarii & cruenti loci, dominus quoque in parabola deſcendentis Hierichum de Hieroſolyma recordatur. Hieronym. *de locis Hebraicis.*

Digitized by Google

Ad Lucæ XII. ℣. 28.

Videtur quod h. l. aſſeritur aliquid continere noſtris gentibus inſolitum. Nec enim gramine areſacto aut fœno ſolemus ignem alere. Verum an ſtricte gramen debeat intelligi fortaſſis non conſtat. Poteſt enim hæc vox ita capi, ut multa alia ex terra provenientia ſimul ea comprehendantur, e. g. ſtipulæ & hujus generis aliæ plantæ. Et vero ſtipulas in multis locis ad ignem fovendum colligi notisſimum eſt: quinimo in nonnullis locis propter lignorum defectum usque adeo id eſt uſitatum, ut etiam ſtipularum radices in agris relictas ſtudioſe ſoleant colligere. Præterea poſſent hæc ita fortasſis accipi, ut Servator videatur reſpexiſſe ad ceſpites ſive turffos: utpote qui à ſuperiori parte gramine ſoleant eſſe inveſtiti. Quomodocunq; vero hæc accipere velimus Judæos in lignorum defectu herbis quoque exſiccatis fuiſſe uſos ad nutriendum ignem, vel ex hoc loco non incommode quis colligeret.

Attendi vero præterea & illud debet, quod Servator non furni ſed clibani mentionem faciat. Clibanus autem ſtricte dictus eſt furnus aliquis ſive focus portabilis: & inter alias ſuas ſignificationes illud quoque inſtrumenti culinarii genus denotat, in quo placentæ quædam ſolent confici & coqui; id quod nos eine Pfanne appellamus. Qualia inſtrumenta apud nos quoque non ſunt unius generis. Non tantum enim materia differunt, ſed ipſa quoque forma: & alia præterea clauſa ſunt, alia autem ſuperius patent. Fortasſis itaque Judæi placentas in ejusmodi aliquo inſtrumento aut clibano coquentes, gramine vel ſtipula ſuccenſa fuerunt uſi.

Ad Lucæ XII. ℣. 55.

Quæ de Auſtro & ab eo deſumta prædictione hic à Servatore adducuntur, præcipue de loci & cœli iſtius natura

tura

tura ſunt intelligenda. Nec enim ubivis terrarum cum aliarum tempeſtatum tum ventorum eadem eſt ratio. Quin imo non raro unus idemque ventus plane contrariis qualitatibus pollet. In cujus rei exemplum â nobis quoque nonnulla adducta ſunt *lib. 1. Inſtit. Phyſiologic. c. ult.*

Quod jam vero ad auſtrum pertinet, videtur iisdem qualitatibus ille eſſe inſtructus in Palæſtina, quas obtinet in Ægypto; quod videlicet calidus ſit & ſiccus. Et cauſſam quidem ejus rei jam ſupra ex Theophraſto hanc dedimus, quod ventus ille ibi & ex calidis ſiccisque locis veniat, & non poſſit ibi in unum cogi propter loci depresſionem.

Quamvis autem ad eum modum in illis regionibus ſeſe habeat auſter, nihilominus tamen & apud nos quoque talem nonnunquam ſeſe præbet: non niſi interdum tamen tantum. Nam ſæpe etiam, quin imo frequentius, humidum eum nos experimur, quam ſiccum: procul dubio, quod per humida loca ſpirans ad nos deveniat. De qua eadem re loco paullo ante indicato pluſcula jam itidem adduximus.

Ad Lucæ XIII. ℣. 11. ſeqq.

Mulierem hanc fuiſſe corpore plane incurvato, ita videlicet ut toto pectore prono inceſſerit, qualem anum quandam ante aliquot annos hic quoque novimus, ex Græcis verbis plane apertum eſt. Et quidem in ejusmodi morbo quisnam locus proprie ſit affectus, non difficile eſt explicatu. Nemo videlicet non in ſemetipſo percipit, ad corporis erectionem maxime requiri, ut dorſum recte ſeſe habeat. Quum autem dorſo non una pars comprehendatur & denotetur, diſtinctius adhuc partes illæ ſunt definiendæ.

Et duo quidem hic potisſimum in conſiderationem veniunt. (1) Spina dorſi, cum coſtis, oſſe ſacro & vicinis partibus

partibus: & quidem non tam ipſa oſſa vel medulla ſpinalis, quam articuli & conjunctiones oſsium cum partibus ad articulos pertinentibus. *Deinde* quoque muſculi ipſi dorſales recte ſeſe habere debent: utpote quum nec ulla flexio, nec in poſitu quodam conſtantia ſive permanentia, absque muſculorum ope poſsit peragi.

Porro ſicut in muſculis juſtum róbur requiritur, ita in ipſis quoque articulis. Ad muſculos autem referri debent tendines quoque: utpote qui & muſculorum naturam habeant, & eodem officio fungantur, & cum illis etiam propter idem munus ſint conjuncti. Propterea quanto validior & frequentior aliquis motus muſculo peragendus eſt, tanto robuſtiorem quoque tendinem pars illa eſt adepta. Præter hæc porro in ipſis articulis requiritur, non tantum ut firmiter debitoque modo connexa ſint oſſa, ſed etiam ut facile poſsint flecti. Propter quam porro cauſſam articuli non tantum cartilagine ſunt communiti, ſed etiam mucoſo & viſcido quodam humore inſtar axungiæ ſive glutinis cujusdam imbuti, ut & motus propter lubricitatem loci fiat facilis, & articuli ipſi per frequentiſsimum attritum non offendantur.

Sicut autem ſucceſſu temporis univerſum corpus magis magisque debilitatur, ita partes quoque motui dicatæ ſenſim ad officium ſuum fiunt tardiores. Nam muſculi ipſi non tantum propter calidi defectum vel humorum affluxum & decubitum fiunt imbecilliores, ſed etiam tendines pedetentim evadunt ſicciores: oſſa præterea & cumprimis articuli itidem cum ipſo tempore magis magisque ſicceſcunt, & ipſum etiam gluten (ut ita appellemus) viſciditate ſua deperdita juſto itidem redditur ſiccius. Unde univerſum quoque corpus per ſenectutem & aridum redditur, & magis magisque incurvatur. Quæ omnia accelerantur

Digitized by Google

lerantur vel etiam juſto citius augentur, ſi ipſa victus ratio ita ſit compoſita, ut ſucco partium exhauſto ſiccitas neceſſario inducatur. Quo itidem pertinet conſuetudo & vitæ inſtitutum. Id quod in agricolis & equitibus potiſſimum licet obſervare: utpote quibus partes illæ adeo per quotidianam aſſuefactionem incurvantur, ut vitium illud non poſſit tolli. De qua re jam plura à nobis annotata ſunt in *diſſertationibus diæteticis*. Cibi præterea & potus ratio multum heic valet. Id quod in arthriticis quoque quam maxime licet obſervare; utpote quibus humor ille mucoſus ſive gluten articulis interpoſitus in lapillos quoque & calcem quandam ſolet concreſcere. Unde nodoſa illa podagra veteribus quoque jam decantata.

Quamvis autem ad eum modum ætatis vitio corpus ipſum ſenſim incurvetur, hujus tamen mulieris affectum longe aliis de cauſſis fuiſſe productum, ipſamet hiſtoria docet. Quamvis enim ſenibus corpus magis magisque pronum reddatur, non ita tamen univerſum pectus ſolet incurvari, ut illud plane in terram promineat. Quapropter etiam à maligno quodam ſpiritu illum affectum fuiſſe inductum, ipſemet ſervator diſerte aſſeverat. Ut vel hæc hiſtoria manifeſtum nobis præbeat exemplum, quam ſæpe plurimis morbis divini quid inſit. Nec tamen propterea omnes naturales cauſſæ veniunt excludendæ, quum nihil facilius ſit cacodæmoni, quam nnturales cauſſas ita movere, ut ipſemet ſub eis deliteſcens eo minus ab hominibus poſſit deprehendi.

Ad Lucæ XIII. ℣. 21,

Per fermentum vulgo, ſicut etiam h. l. ſimpliciter denotatur acidum fermentum, & quidem quod ex farina cum aceto eſt confectum. Apud Philoſophos autem & Medicos vox illa longe latius extenditur, & tribuitur plurimis

rimis aliis rebus, quæ non tantum non ſunt acidæ, ſed etiam dulces: modo talis aliqua vis efferveſcendi & fermentandi illis inſit. Quin ab illis qui ex Chemicis experimentis cum omnes naturalium rerum cauſſas, tum corporis noſtri & viſcerum ejus uſum & actiones arceſſere volunt, nusquam fere non fermentum in ore geſtatur, & ſingulis etiam viſceribus corporis noſtri attribuitur. Secundum Philoſophicam vero vel Medicam quam diximus acceptionem ex vini & cereviſiæ eſt inter præcipua fermenta. Quapropter etiam panis azymus, qui cum ejusmodi fece parari ſolet, philoſophice & medice loquendo non niſi cum fermento quodam poteſt confici: præterea inter dulcia cumprimis mel ipſum obtinet inſignem vim fermentandi. Quod in Syrupis quoque inde paratis quam maxime conſpicitur.

Habet autem omne fermentum, cujuscunque demum ſit generis, vim reliqua omnia inficiendi & alterandi. Id quod in vulgari fermento quam maxime quoque apparet: quum exigua ejus portio magnam aliquam maſſam inficiat. Præterea cum ejusmodi proprie dicta fermentatione conjuncta quoque eſſe ſolet rerum intumeſcentia. Id quod in maſſa farinæ fermentata clariſſimum eſt. Fit autem illud, quod per fermentationem internus calor effervеſcens multas ſimul rei fermentationem patientis partes rarefaciat: illis autem rarefactis, neceſſario in majorem molem maſſa attollitur. Præterea calorem in fermentatione ſemper adeſſe, vel in vulgari maſſa farinacea fermentata ſenſu ipſo nunquam non licet explorare; utpote quum calor ille tantus ſit, ut ipſosmet ſenſus noſtros feriat. Plura vero de fermentationis natura ſcire cupienti tum alia legenda ſunt, tum χαρμηφίνκ Conringii noſtri exercitationes *de fermentatione*.

Digitized by Google

Ad Lucæ XIV. ℣. 2. & ſeqq.

Hydropis nomine generatim loquendo denotatur aquoſa intumeſcentia cujuſcunque corporis humani partis. Quomodo datur hydrops capitis, pectoris, pulmonum, teſticulorum, uteri, partiumque aliarum. Peculiariter tamen non pro illarum partium hydrope, ſed vel infimi ventris vel univerſi corporis accipitur.

Quo quidem ſenſu tres ejus conſtituuntur ſpecies: hydrops ἀσκίτης, τυμπανίτης, ὑποσαρκίδιος ſive ἀνασάρκα. Et priores quidem duæ ſpecies peculiariter infimum ventrem concernunt. Quamvis enim morbo invaleſcente & pectus & crura & ipſa quoque facies quandoque ſimul afficiantur & intumescant; non tamen id ſemper fit, nec niſi ſucceſſu demum temporis, & fere morte jam appropinquante. Quamvis autem inter has duas ſpecies hactenus ratione partis affectæ non ſit aliquod diſcrimen, nihilominus tamen reliquarum cauſſarum & ſymptomatum reſpectu non parum inter ſeſe diſcrepant. In Aſcite videlicet aqua intercus non tantum audiri poteſt quandoque commota, ſed etiam tactu ipſo percipitur, eſtque cutis tum cum ſubjectis partibus mollis. At in Tympanite venter plane extenditur, & licet aqua tum ibi quoque ſubſit, nihilominus tamen maxima copia flatuum adeſt, à quibus concluſis nec exitum invenientibus partes adinſtar tympani alicujus diſtenduntur. Ὑποσαρκίδιος autem hydrops univerſum corpus pro ſubjecto ſive ſede affecta habet, dum videlicet univerſi corporis habitus, tam infimus quam ſuperiores ventres & artus intumeſcunt. Quonam autem hydrope hic homo laboraverit, non exprimitur, nec ex ullo ſigno colligere licet: fortasſis tamen aſcite laboravit, utpote qui

 & ma-

Alius tumenti aqualiculo mortem partu rit. Hieronym. *ad Pammach. ſup. ob. Paul. uxor. p.* 163.

& magis vulgaris ſit, & etiam præ omnibus aliis ſpeciebus hydropis nomen obtineat.

Cauſſa vero hydropis omnis (niſi quod in Tympanite flatus quoque ſubſint) eſt aqua ſive ſerum. Id quod non tantum tactus & alia docent, ſed apertio hydropicorum: ſive id fiat ipſis vivis per παρακέντησιν, ſive vita jam functis. Præterea ſerum illud, cumprimis autem procedente jam morbo, eſt acre & ſalſum. Unde non tantum flaveſcere ſolet, vel etiam cum alia aqua confuſum ſpumam quandam excitare inſtar lixivii cujusdam; ſed etiam ſimili modo partes corporis afficit. Hinc enim eſt, quod viſcera & partes internæ hydrope exſtinctorum colore ſuo naturali deperdito illum referant, qui in carnibus animalium muria maceratis conſpicitur. Præterea aquæ nimia copia accreſcente ipſi pulmones quoque corrodi ſolent. Unde ſalſa ſputa & faucium ardor & excoriatio producitur. Hinc porro eſt perpetua illa ſitis, qua cum hydropici plerumque conflictantur. Ne nunc alia adducamus.

Ex quanam vero parte ſerum illud exſtillet atque ita colligatur, non diu quærendum eſt. Fit videlicet id ipſum orificiis vaſorum plus juſto hiantibus & apertis. Et id quidem tanto magis, quanto major ſeri copia in corpore collecta fuerit, nec tamen per alias vias poſſit evacuari. Unde porro ſerum jam tali aliquo exitu invento ſponte etiam magis magisque ad illam partem ruere ſolet. Quam ob cauſſam quoque vel pauxillum vel etiam nihil ex veſica urinaria ab hydropicis excernitur. Quando itaque vel uno vel etiam pluribus vaſis adapertis ſerum exſtillat, non poteſt non in cavitatibus proximis colligi, donec ſubinde majori copia affluente & exſtillante pars paullatim in tumorem agatur. Tales autem cavitates in univerſo ſunt corpore, præcipue vero in infimo ventre. Præterea muſculis

Digitized

lis interpoſita ſpatia ſive interſtitia facile etiam humori affluenti locum præbent. Quando igitur in infimum duntaxat ventrem ſeri illa exſtillatio fit, tantum illa etiam pars intumeſcit: ſin vero ſub cutem quoque talis ſeri effuſio fiat, quod fit in anaſarca, non poteſt non ipſe habitus corporis ſenſim ita tumeſieri.

Præter hæc porro notandum venit, illam ſeri extra vaſa prolapſi collectionem non uno modo fieri. Nam *primò* fit illud interdum ita, ut vacua ſpatia, quæ jam denotavimus, ſero illo repleantur. *Deinde* ipſa quoque aliquando caro & muſculi tali humore quaſi ſimul perfunduntur, quod in ultima hydropis ſpecie fieri ſolet. *Tertio* ſæpe quoque veſicæ quædam pronaſcuntur ſero repletæ. Id quod in muliere Aſcitica hic ipſi quoque aliquando vidimus: quarum ὑδάτιδες quædam ſupra modum erant magnæ: quales etiam duas in gallina quoque aliquando obſervavimus ὑδατίδες. Oriuntur autes iſtæ tum quam maxime, quando humor exſtillans non ſtatim in cavitatem aliquam prolabi poteſt, ſed in membranam primum effunditur: in qua quum vasculum aliquod hians patet, facile fit, ut membrana protruſa & diſtenta talis veſica inde fiat. Adhærent autem ὑδατίδες pedunculo cuidam: plane ſicuti etiam ova in avibus. Et quidem pedunculus iſte nihil aliud eſt, atque vaſculum, ex quo illa ſeri fit exſtillatio. Alias quoque ὑδατίδες ſæpe conſpiciuntur in hepate boum ovium aut etiam porcorum: plane eadem ex cauſſa ortæ; niſi quod viſceri magis ſint incluſæ.

Patet autem ex allatis quam difficile ſit hydropem augeſcentem compeſcere; utpote quum vaſcula illa aperta non facile liceat claudere. Nonnunquam tamen ipſa natura μετάστασιν quandam moliri ſolet, humore iſto videlicet ad alias partes abrepto. Id quod quam optime & maximo

 ægroti

Digitized by Google

ægroti juvamento fit, ſi vel per vias urinarias vel alvum humor iſte evacuetur. Id quod fieri non poteſt, niſi humor etiam extra vaſa prolapſus in eadem aliquando redire poſſit. Quam maxime vero tali μεταστάσει ab hydrope quis liberari poteſt, ſi Anaſarca potius quam Aſcite tentetur aut laboret. Nam in Aſcite, quia humor in abdominis cavitatem effuſus eſt, non ita in vaſa recipi vel ſolet vel poteſt: niſi forte ſub initium. Quanam vero de cauſſa talis humorum μεταστάσεως fiat, non vacat perſequi. Tantum illud notetur, absque calore quodam & quidem ipſius humoris tale quid nunquam poſſe fieri: præterea ipſarum etiam partium adeoque & totius corporis robur aliquo modo requiri. Certe quibus viſcerum temperies & robur jam debilitatum eſt, raro imo vix ad eum modum liberari poſſunt.

Quandoquidem igitur talis affectus eſt hydrops hæcque ejus natura, nemini non facile patet, quam difficilis ille ſit curationis, idque propter cauſſas jam allatas. Viſcera certe ſi jam debilitata ſunt, nihil amplius ſuper eſt, quam ut extremam horam ægrotus patienter exſpectet: præſertim quum ſymptomata & moleſtiæ magis magisque ſub exitum ſoleant exacerbari. Sæpe etiam fit, ut præ humoris copia ſuffocatio tandem ſubſequatur, vel etiam alia ſymptomata accedant valde gravia. Ut proinde hydropis ejusmodi inveterati curatio, etiamſi ex pure naturalibus cauſſis ille dependeat & ſit profectus, plane divina ſit & ſupernaturalis.

Ad Lucæ XV. ℣. 16.

Siliquæ ſive κεράτια quorum h. l. mentio fit non dubitandum eſt quin denotent fructum illum, quem vulgo panem Johannis appellant. Et quidem eo magis illud certum

tum eſt, quod in Syria planta & fructus ille ſit frequentiſſimus nec non in India & aliis Orientalibus regionibus, ex quibus etiam ad nos importatur. Eſt quoq; in Italia, obſervante Matthiol. *comment.* in *Dioſcor.* Nec vero eſt quod quis cibum illum præſtantem eſſe exiſtimet, quod videlicet dulcedine ſua etiam pueros ſoleat afficere: utpote quum à nobis non niſi ad voluptatem edatur: ſuavitatem ſuam apud nos quoque procul dubio cito perditurus, ſi quotidie & ſolo quidem illo veſci cogamur. Quamvis in hac hiſtoria penuria quoque ejus clare exprimatur: fortaſſis quod eo anno non bene provenissent: quomodo nullæ non arbores non æque fertiles ſunt quovis anno. Imo ſiliquas illas olim viliſſimorum hominum cibum fuiſſe, & ſuum, ex hac ipſa ſimilitudine recte cenſet Hoffmann. *l. 2. de medicam. off. c. 216. § 1.* Galenus *l. de aliment. fac. c.* orientalibus populis eſſe ſiliquas reliquendas putat.

Ad

Auguſtinus *l. 3. de doctr. Chriſt. c. 7.* recitatis aliquot Claudiani verſibus de Neptuno addit: *Hac ſiliqua intra dulce tectorium ſonantes lapillos quatit. Non eſt autem hominum, ſed porcorum cibus. Novit quid dicam, qui evangelium novit.* Lapillos vocat ſemina, klappern. Siliquas, κεράτια incolis charrubi, copioſiſſime in Palæſtina & Syria naſci, & viliſſimos fructus haberi, eapropter in pabulum pecoribus dari notat Rauvvolff {*Hodæpor. p. 35 c. 22. Interpres Arabs Charumb τὰ κεράτια reddidit, Lucæ capite 15. verſu 16. & ſiliqua arboris fructus intelligit. Ut inde conſtare queat errare vulgares omnes interpretes, qui κεράτια illo loco de ſiliquis leguminum intelligunt. κεράτιον enim ſiliqua tantum, quæ & κερατωνία, non verò leguminis. Verba Evangeliſtæ, καὶ ἐπεθύμει γεμίσαι τὴν κοιλίαν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν κερατίων, ὧν ἤσθιον οἱ χοῖροι. καὶ οὐδεὶς ἐδίδου αὐτῷ. & deſiderabat implere ventrem ſuum ſiliquis, quas edebant porci, & nemo ei dabat, id eſt, nemo ejus miſerabatur. Non enim vox καὶ ad κεράτια pertinet,* (nam erant illi ad manus) *ſed in cauſalem reſolvi debet.*

Lazarus prout hic deſcribitur fuit ulceroſus, h. e. non ex uno & altero ulcere aliquo laborans, ſed iis totus defœdatus: ſimilem ferme ad modum, quo Jobus à Satana fuit adfectus: niſi fortaſſis hoc diſcrimen acceſſerit, quod Jobi iſta ulcera & frequentiora & maligniora fuerint. Præterea fuit cum Jobus tum Lazarus ulceroſus quoad cutem ſive partes externas. Nam etiam dantur partium internarum ulcera; & omnium frequentiſſime quidem pulmonum, unde phthiſis notiſſimus morbus. Per ulcus vero nos cum Hieronymo

---

debet. Et ſic hunc locum interpretatur. Τὰ κεράτια, idem accipit de ſiliquis arboris Ceratoniæ. Poëta has ſiliquas pro tenui ſumunt cibo. Horat. epiſt. 1. — Vivunt ſiliquis & pane ſecundo. Perſ. Sat. 3. *Siliquis & grandi paſta polenta. Belgæ ſint* Jans Broot/ *id eſt, panem ſancti Joannis hujus fructum vocant, quod illo Joannem Baptiſtam victitaſſe credatur, tanquam victu tenuiſſimo & maxime frugali contentum. Suum pabulum has ſiliquas fuiſſe ex Plinio conſtat, qui libr. 16. cap. de caſtaneis ſcribit; cætera ſuum pabulo gignuntur, ſcrupuloſa corticis intra nucleos quoque ruminatione. Haud procul abeſſe videantur & prædulces ſiliquæ, niſi quod in iis cortex ipſe manditur. Hæc non parum Theophylacti firmant ſententiam. Certe vox ipſa κεράτιον, de ſiliquis leguminum Lucæ locum accipi poſſe, reſpuit; propriè enim arboris ſignificat fructum. Poſſumus tamen & τὰ κεράτια ἃ χοῖροι ἤσθιον de his ſiliquis accipere, ex quibus expreſſus fuerat ſuccus. Nam in Syria vinum è ſiliqua faciebant, ut conſtat è Plinio lib. 14. cap. de vinis facticiis, & κεράτια ſic expreſſa pecorum pabulo ſervabantur, ut & vinacia.* Bodæus comm. ad Theophraſt. Hiſtor. plantar. lib. 4. cap. 2. p. 293.

Illum qui in pure ac ſanie computruerat: illum cujus fœtorem ac ſqualorem longe refugerat (dives) *qui membrorum ſuorum ulceribus canes paverat, quem fœtentes vermium globi etiam intra receſſus peresi corporis exararant.* Salvian. *l. III. cont. avarit. p. 115.* Quaſi fuerint ulcera verminoſa. Quæ frequentiſſima ſunt in America in animalibus, curanturque tabaco. Monard. *hiſt. ſimpl. medic.* Sed & in hiſce regionibus noſtris tempore æſtivo in pecorum vulneribus faciliime vermes naſcuntur. Cui rei maxime medetur inuncta pix, Theer.

Digitized by Google

ronymo Fabricio Aquapendentio intelligimus ſolutionem continuitatis ab interna cauſſa ex eroſione provenientem: ut videlicet à vulnere diſtinguatur, utpote quod in ſolutione quoque continui conſiſtat, ab eroſione tamen non provenienti, quanquam omne ulcus ſit ſimul vulnus, non tamen contra.

Sunt autem porro in ulceribus duo quam maxime conſideranda, *primo* videlicet humor ulcerationem inducens, & *deinde* pars manans ſive cauſſa primaria, cujus nempe vitio talis humor exulcerans & erodens producitur.

Et humor quidem nunquam non eſt acris, non æquali tamen gradu. Quidam enim longe mitior eſt, quidam ex adverſo longe gravior. Quidam etiam humores non carent malignitate, unde tum ulcera quoque ſemper redduntur pejora. Humor ille præterea aliquando eſt craſſus, aliquando tenuis: quorum hic plerumque peior eſt illo, quam etiam ob cauſſam ſordida & manantia ulcera (offene Schaden) ſemper acrem & tenuem ichorem effundunt. Cujus acrimonia ſæpe etiam pruritu, & quod malum etiam ſerpat vicinasque partes depaſcat, ſatis ſuperque proditur. Quæ proinde vix ægre quoque claudi poſſunt: quinimo ſæpe etiam clauſa, præſertim ſi natura illa parte ſeſe exonerare conſueta ſit, recrudeſcere ſolent.

Humor autem ille partem exulcerans, vel in ipſa parte generatur, vel aliunde eo mittitur. Et prius quidem fit, quando vitium ita eſt in ſanguine, ut tamen in ipſamet parte in qua ulcus producitur primaria cauſſa hæreat. Id quod fit, quando in cute e. g. aliquid eſt inſtar fermenti, quod humorem allabentem promte corrumpit. Id quod in omnibus illis ulceribus fieri ſolet, quæ κακοήθη appellantur

Digitized by Google

lantur. Unde omnis etiam humor & ſanguis ad partem illam perveniens vitiatur. Nec enim verum eſt, viſcera ſemper aliquo vitio laborare aut humorem vitioſum gignere. Sæpe vero vitii illius primaria cauſſa in ipſo corpore vel ipſa maſſa ſauguinea hæret. Unde naturæ ſponte ſeſe exonerantis opere ad ignobiliores & externas partes iſtiusmodi ſolent protrudi. Id quod fit in ſcabie & plerisque aliis morbis cutaneis, item in arthritide ſimilibusque affe&ibus aliis. Ubi tamen etiam hoc annotandum, non raro fieri, ut, præſertim ſi humor acrior fuerit, & diutius in partem aliquam ferri conſueverit, ipſi illi parti aliquid inſtar fermenti quaſi imprimatur, omnes allabentes humores corrumpentis. Id quod in diuturna & ferina ſcabie quoque luculenter apparet.

Quod autem de naturæ noxios humores expellentis more diximus, id ita ſimul accipiendum eſt, ut μετάστασιν quoque humorum, cujus jam mentionem fecimus, comprehendat. Fit enim non raro, ut ulceribus etiam præter naturam clauſis vel ſiccatis humor ad nobiliorem partem feratur. Id quod malum ſignum eſſe ſolet. Obſervare autem id licet in extreme quoque decumbentibus, in quibus ſæpe numero id quoque eſt θανατῶδες. Nec procul dubio aliunde deſumtum eſt, quod vulgo de fonticulorum exſiccatione ferri ſolet; videlicet ſi illi claudantur portendi mortem. Eſt videlicet id tum demum verum, ſi in ægrotantibus ſubito & præter ſolitum ſiccari ſoleant, nihilque humoris amplius effundere, licet corpus ſit cacochymicum. Certum enim id indicium præbet μεταστάσεως, ſed cum pejoribus ægrotantis rebus factæ.

Ad Lucæ XXIV. ℣. 31; Joan. IIX. ℣. 59.

Quod ab oculis repente evanuit, virtutis Dei eſt, non umbræ

Digitized by Google

umbræ & phantaſmatis. Alioquin & ante reſurrectionem cuB cupiſſent cum de Nazareth . ut præcipitarent cum de ſupercilio montis, tranſiivit per medios, id eſt, elapſos eſt de manibus eorum. Nunquid juxta Marcionnm dicere poſſumus, quoo ideò nativitas ejus in phantaſmate fuerit quia contra notarum, quid tenebatur elapſus eſt? Quod Magis licet, Domiuo nrn licet? Hieronym. *ad Pammach. adverſ. error. Joan. Hieroſol. p.177. B.*

Ad Johannis III. ℣. 8.

De ventorum natura & cauſſis hodie multum controvertitur; quas omnes tamen diſputationes h. l. agitare quum nimis foret prolixum, potius ex re fuerit ſumma rei fundamenta ita nunc conſiderare, ut illis recte perceptis quilibet, modo partium ſtudio non ſit præpeditus, facile posſit de variantibus judicare. Potisſimum autem in quæſtionem veniunt tum materia ventorum, tum cauſſa effectrix, tum etiam cujus h. ipſo l. fit mentio locus, tum ex quo ſpiret, tum ad quem feratur. De quibus tribus igitur jam nobis etiam fuerit agendum.

Quamvis etiam de eo aliquid verbo duntaxat ſit præmittendum, quidnam videlicet ſit ventus: præſertim quoniam jam olim non defuerunt, qui eum nihil aliud atque aërem commotum eſſe cenſuerint. In quam ſententiam ipſemet quoque Theophraſtus Ereſius de eorum natura diſputans loquitur. Verum Theophraſtus quidem facile excuſari poteſt; utpote quum illo loco ubi ad eum modum loquitur, problematice potius quam accuratisſime de ventis agat: In tali autem diſputandi genere vulgarem ad modum loqui, præſtantisſimis philoſophis atque doctoribus nullo non ævo fuit conſuetum. Nam alias facillimum eſt oſtenſu, quantum ventus à nuda aëris commotione differat: quum aërem commovere pro noſtro lubitu

poſſimus, non ventum concitare: deberet autem à fortiori aëris agitatione neceſſario ventus cieri, ſi quidem in illa ejus commotione venti eſſentia unice eſſet ſita. Ut nunc complura alia idem liquido probantia non adducamus.

Ceterum quod ad materiam ventorum attinet, exhalationem illam quandam eſſe, omnes, qui quidem cum antiquis loquuntur, cenſent. Qui enim cum Chemicis hodie loqui malunt, longe alia pro materia ventorum afferre ſolent: quamvis quod ad rem ipſam pertinet, vix ſit aliquis diſſenſus. Quum autem citra cauſam vocabulorum acceptiones immutare nobis religio ſit, non etiam eſt, quod cum poſterioribus illis nunc quidquam contendamus & litigemus, quum potius hoc danda ſit opera, ut quantum fieri poteſt res ipſa elucidetur. Qualis autem ſit ille ſpiritus (nam ita quoque verum nonnulli jam ſunt locuti) ſive exhalatio, de eo non inter omnes bene convenit: dum alii ex ipſo aëre, alii ex aqua illas exhalationes vel ſpiritus generari exiſtimant; quidam etiam ex pluviis vel nivibus reſolutis materiam ventis ſuppeditari cenſent; alii autem exhalationes iſtas terræ deberi putant. Fortaſſis autem hac ipſa in re non exigua aliqua diſtinctione eſt opus, conſtat enim alios ventos eſſe ſiccos, alios autem humidos. Et humidos quidem illos omnes vocamus, qui non tantum eo ipſo dum ſpirant terris pluvias immittunt, ſed etiam qui nubes & pluvias cogunt vel nives adducunt. Jam humidorum materiam etiam talem, perinde ut ſiccorum ſiccam eſſe, oportet. Quapropter longe rectius fortaſſis materiam illam variam eſſe ſtatuitur: aliam videlicet ſiccam, aliam humidam, aliam præterea ignitam, aliam aliis qualitatibus inſtructam: ita tamen ut ſub exhalatione omnis illa materia comprehendatur. Paullo poſt autem hæc omnia multo reddentur clariora, ubi reliqua quoque ad ventos pertinentia prius conſideraverimus.

Et

Digitized by Google

Et quidem de efficiente ventorum cauſſa acerrime contenditur, dum alii ſtellis ſimpliciter & in his ſoli omnem illam vim tribuunt, aliis alias ſimul cauſſas agnoſcentibus. Et quidem ſoli aliisque ſtellis cauſſam illam Ariſtoteles quoque quam maxime attribuit, quem proinde hac in re ſequuntur cum alii multi, tum Libertus Fromondus in opere *Meteorologico*, ut & Johannes Doriſius Jeſuita *curioſis quæſtionibus de origine ventorum*: quum tamen in ipſiſmet illius libris quædam habeantur, quibus contra ipſosmet illos non incommode poſſimus uti. Scilicet cum aliarum ſtellarum tum ſolis præcipue ut in aliis omnibus tempeſtatibus ita in ventis quoque concitandis longe maximam eſſe vim, quin imo propter temporum tempeſtatumque varietatem producendam corpora illa maxime eſſe condita, ipſimet firmiter habemus perſuaſum. At vero num ſolis illis & unice vis iſthæc ſit attribuenda, non immerito quis dubitaverit. Certe rem omnem accuratius intuenti non poteſt non alia mens eſſe. Ut enim nunc aliis argumentis abſtineamus, conſideremus tantum ventos ſubterraneos & ſubmarinos. Quorum cauſſam qui in ſidera quis poſſit conferre, non utique apparet: quum tamen ſint frequentiſſimi. Quamvis enim non tantum in mare ſed terram quoque ſolem & ſtellas omnino agere & vim ſuam exſerere nobis quoque videatur; nihilominus tamen non id nimis extendendum eſt, quum ſuperficiem eorum tantum concernant. Id quod nec ipſi quoque negare poſſunt, qui tamen tantum non omnium naturalium rerum cauſſas à cælo volunt arceſſere. Jam autem ventos illos ſæpe in profundis locis excitari, experientia nimis ab omni ævo comprobavit. Meretur autem & hoc obſervari, quod alia quoque de cauſſa magnus aliquis ventus poſſit excitari, videlicet à magno aliquo incendio. Nec enim alia

cauſſa dari poteſt, quare tranquillo alias aëre ſuborto aliquo incendio, ſubito ventus ſoleat ſpirare. His igitur aliisque argumentis moti ita potius de ventorum efficiente cauſſa pronunciandum eſſe cenſemus, quod videlicet partim à ſole & aliis ſtellis excitentur, partim autem ab ignibus ſubterraneis. Sane quod ad ignis in ventis concitandis vim pertinet, illa usque adeò clara eſt, ut alterius quoq; ſententiæ patroni multa inde pro ſuis placitis ſtabiliendis mutuentur. Id quod jam tum quoque notatum mihi eſt in *Inſtit. Phyſiol. cap. de igne*.

Præter has autem cauſſas longe aliam adhuc præter alios urget Bodinus *libro 2. Theatri Naturæ*, videlicet genios ſive dæmones: propterea quoque inter ventum naturalem & violentum diſtinguens, quorum hic videlicet ab illis excitetur. Quanquam autem fortasſis Bodini illa adſertio non ita ſimpliciter fuerit acceptanda, perinde ut alias quoque de ipſis illis geniis multa manifeſtam impietatem redolentia in eodem opere idem ille proponit: nihilominus tamen ſaltim ex parte quod ad cauſſas quidem ventorum attinet, à veritate illum non aberraviſſe, non difficulter poſſet oſtendi. Sed quum ad Hiſtoriam Apoſtoli Pauli in Actis deſcriptam commodius illud ipſum videatur tractari poſſe, nunc etiam de illa quidem ſupernaturali ventorum cauſſa nihil quidquam afferre volumus.

Quonam vero modo ab exhalationibus venti concitentur, paucis addendum eſt. Et quidem per rarefactionem illud fieri omnes conſentiunt. Conſentaneum quoque id quam maxime eſt illis experimentis, quæ ab igne & ejus vi deſumuntur; quorum itidem jam mentionem fecimus in noſtris *Inſtit.* loco indicato. Quo magis itaque exhalationes rarefiunt, & majorem quoque locum ſibi poſtulant,

ſtulant. Unde in ſubterraneis vel aliis anguſtis locis incluſi venti non poſſunt non per vim exitum ſibi quærere. Præterea corpus ejusmodi rarefactum & attenuatum, quod ſpiritus nomine jam olim à quibusdam affectum fuit, ad motum omnium eſt aptisſimum, atque ita in quamcunque partem facillime poteſt impelli. Prout itaque major rarefactio fuerit, & major exhalationum copia, & inſuper fortiter impellatur ventus; pro eo quoque non poteſt non majorem vim acquirere.

Quod demum ad locum ventorum pertinet, & quidem *primo* eum, ex quo venti oriantur & prodeant; utique generatim quidem loquendo non videtur ille plane non poſſe definiri: ſi videlicet accurate obſervetur, per quænam loca ſpirare ſoleat, & quænam eum ſentiant vel non. Videtur enim nunc ex äëre ipſo, nunc ex cavernis ſubterraneis vel ſubmarinis prodire. At præciſe hunc vel illum locum digito quaſi commonſtrare nunquam licebit: niſi fortasſis in terræ aliquo motu, ſicubi hiatus aliquis pateat. Præterea per quæ præciſe loca ventus ſemper ſpiret, ne id quidem definire licet: utpote quum nunc plura nunc pauciora perflet. Quin etiam illi venti qui ex alto & aëris regione terris immittuntur, fortasſis ubi primum exoriuntur, longe ſunt minores, atque ſenſim procedendo majorem vim acquirunt. Ut ita naturaliter quoque hæc ſervatoris aſſertio accepta ſine ullo dubio ſimpliciter vera ſit. Nec enim oſtendere poſſumus & digito quaſi indicare, hunc vel illum locum ex quo ventus primum oriatur, (de hoc enim tantum quæſtio eſt,) ſicut poſſumus fontis alicujus eruptionem vel ſimile aliud digito intento commonſtrare.

Similis autem deinde ratio eſt & illius quoque loci, ad quem ventus feratur, & in quo deſinat. Nam de hoc quoque

que Servatoris verba proprie eſſe accipienda omnino res ipſa ſuadet. Sicut enim primum (qui videlicet ſimpliciter talis eſt) venti natalem locum, ex quo proxime prodeat, non poſſumus animadvertere vel indicare; ita quoque nec illum ſuipm, in quo ſimpliciter deſinat. Habent videlicet *primo* venti etiam hoc inter alia admiratione dignum, quod plerumque ſub initium mitiores & leniores, ſub finem iterum magis magisque ſoleant ſedari, donec tandem plane conſopiantur. *Deinde* multi ad eundem locum, ex quo fuerunt orti iterum redeunt. *Tertio* quidam alibi incipiunt, alibi vero & in alia mundi plaga deſinunt. Quæque ſunt hujus generis aliæ differentiæ plures. Quæ omnes quidem ita ſeſe habent, ut ventum actu ipſo ſpirantem audiamus & percipiamus: quonam vero ille demum feratur, & in quibus præciſe locis deſinat, nos plane lateat. Quæ omnia magis magisque cum experientia ipſa collata non poterunt non unumquemque hac in re reddere certiorem.

Ad Johannis V. ℣. 2. & ſeqq.

Neminem fugit magnam eſſe aquarum varietatem & multis peculiarem Medicam vim ineſſe: id quod cumprimis obſervatur in acidulis & thermis. Verum quæ h. l. de piſcina illa commemorantur, plane alterius ſunt generis: ita videlicet ut virtus ipſius Medica non à naturalibus cauſſis ſed ſublimioribus omnino dependerit. Quamvis enim aliorum Medicatorum fontium virtus non quovis tempore quoque ſoleat eadem eſſe, ſed nunc magis intendi nunc magis remitti: nihilominus tamen omnes illas aquarum varietates cum hac piſcina conferendo liquido apparet, plane ſui generis illam fuiſſe. Nec vero citra manifeſtam cauſſam expreſſe ab Evangeliſta annotatum eſt, quod certo aliquo tempore ab Angelo quodam aqua illa fuerit perturbata: quodque præterea primus aquam à turba-

Digitized by Google

turbatione ingrediens fuerit ſanatus: quibus & illud merito addi debet, quod virtus aquæ ab Angelo perturbatæ adverſus omnes morbos profuerit. Quorum nihil plane nec de acidulis nec de thermis affirmari poteſt. Valent & illæ quidem aquæ, *primo*, adverſus non unum morbum: verum non niſi paucos tamen, nec ſingulæ ad diverſos & plane contrariæ cauſſæ & naturæ morbos. Certe adverſus quosvis morbos illas prodeſſe, usque adeo à veritate alienum eſt, ut multi imprudenter iis utentes, non tantum illarum uſum non inveniant, ſed etiam graviores morbos ſibimetipſis concilient; imo mortem quoque ipſam poſſint accelerare. *Deinde* virtus illarum licet non omni tempore ſit eadem, nihilominus tamen longe plurimis iis utentibus prodeſt. Affectus etiam, *tertio*, quibus illæ aquæ medentur, communem quadamtenus habent cauſſam. At vel illi ipſi morbi, quorum h. l. mentio fit, plane tamen ſunt inter ſeſe diverſi. Nec enim cœcitas cum claudicatione cauſſam ullam habet communem, nec etiam cum ariditate: per quam ſive corporis ſummam extenuationem & maraſmum ſive phthiſin etiam & talem quis intelligere velit, perinde eſt. Quibus omnibus igitur recte penſitatis clarisſime liquet, virtutem illam iſtius piſcinæ plane fuiſſe ſupra naturæ conditionem. Quamvis enim fortasſis Angelorum miniſterium in aliarum quoque aquarum virtutibus excitandis posſit concurrere; non tamen eſt, quod ad Betheſdanam aquam ulla alia poſſit conferri.

Ad Johannis cap. XI, ℣. 39.

Cadavera omnia quidem tandem ſolent fœtorem contrahere; non tamen vel æque cito vel æque gravem: quum

Digitized by Google

etiam quædam tempore quoque æſtivo per aliquot hebdomadas nullum tamen ejusmodi odorem ex ſeſe mittant. Notari vero cumprimis debet, illa corpora, quæ bene ſunt temperata, diutius non tantum conſervari, ſed etiam ſerius fœtere, & longe quoque minus quam corpora cacochymica & morboſa. Cauſſa autem eſt, quod hæc citius putreſcant: quin etiam vivo adhuc corpore ad putredinem diſponantur. Quod ubi factum eſt, non poteſt non ab obitu putredo cito ſerpere. Putredinis autem comes ſemper eſt fœtor: & tanto quidem gravior, quanto res computreſcens humidior fuerit. Carnes ſane quum ſint partes ſucculentæ, propterea quoque longe gravius olent, ubi putredine diſſolvuntur, quam pars alia quædam ſolidior. Quod ipſum nunquam non cuivis obſervare licet. Quod autem de cita corporum defunctorum corruptione & hinc ſubſequente putore diximus, id quam maxime deprehendimus in phthiſicis & hydropicis, ut & illis, qui longo morbo ſunt confecti: niſi corpus fuerit exſiccatum. Præterea qui peſtilentia vel ſimili maligno morbo exſtincti ſunt, citius quoque aliis ſolent corrumpi: idque propterea, quod à venenatis & malignis morbis putredo corpori inducatur. Multa certe ſymptomata tales morbos comitari ſolita manifeſta putredinis præbent indicia, & primario quidem ipſius maſſæ ſanguineæ. Sanguine autem putredinem concipiente, præſertim ſi morbus ſubito increſcat & curationem non admittat, non poteſt non reliquum quoque corpus vitio illo coinquinari.

Ad Johannis XI. ℣. 35.

Lacrymarum, perinde ut riſus, natura & cauſſæ valde ſunt

ſunt abſtruſæ, quum tamen utroque nihil fere ſit vulgatius. Et quod ad lacrymas quidem pertinet, quàm maxime controvertitur, ex quanam parte humor ille ſive ſerum prodeat: quum alii ex cerebro per quandam compreſſionem, alii ex ipſis oculis illas prodire exiſtiment. Cæterum quo eo magis ad rei veritatem poſſimus pervenire, non fuerit abs re quædam ab ipſo quotidiano uſu deſumta præmittere.

Notandum ergo venit (1) magnam eſſe differentiam inter lacrymas & lacrymationem ipſam: quidam enim facillime & ferme pro lubitu oculos rigare poſſunt: quum aliis ex adverſo ne per vim quidem & dolorem poſſit guttula exprimi. Obſervandum (2) primam & ſecundam ætatem longe proniorem eſſe in lacrymas quam ſequentes. Idem (3) circa ſexum obſervare licet: quum fœminæ facile poſſint ad lacrymas commoveri, viris autem raro idipſum accidat. (4) & illud quoq; uſus docet, prout affectuum ratio alia atque alia in homine fuerit, pro eo quoque facilius difficiliusve lacrymas excitari. Præ omnibus aliis autem ad lacrymandum facile adducuntur, qui commiſeratione cito afficiuntur; quum illi quibus rigidum & durum cor eſt, vix unquam lacrymam effundant. Conſtat (5) pro corporis quoque & cumprimis capitis alia atque alia conſtitutione facile vel difficulter quem lacrymari. Quibus certe caput eſt ſeroſum & multis humoribus refertum, illi quoque præ aliis & largius lacrymas emittunt. Id quod in catarrhoſis quoque manifeſtè notatum. Debent autem (6) & illa quoque attendi, quæ lacrymæ, largius cumprimis effuſæ, efficere ſolent. Etenim *primo* capiti & cerebro calidam intemperiem conciliant. *Deinde* ſolent fletus, cumprimis ſi longiores vel frequentiores fuerint, catarrhos quoque excitare, & cumprimis illam ſpeciem, quam Co-

Digitized by Google

ryzam appellant. (3) oculos cumprimis male mulctare ſolent lacrymæ. Non tantum enim eos reddunt calidiores, ſed etiam rubicundos. Quin ὀφθαλμίαν quoque inducere poſſunt. Frequentius certe profuſæ oculos multum obtenebrant & obfuſcant, viſumque debilitant. Quin etiam ſæpius iterati fletus illud quoque efficere poſſunt, ut deinde humores ad oculos ferri ſoleant; & ſemper ex canthis illorum aliquid exſtillare. atque ita illum affectum concitare, quem nos flieſſende oder flüſſige Augen appellamus. Debet autem his omnibus *ſeptimo* illud quoque adhuc addi, lacrymas ſemper eſſe ſalſas. Id quod non tantum guſtus docet, ſed etiam affectus oculorum modo recenſiti demonſtrant. Inter quos etiam illud quoque referendum eſt, quod dolor & moleſtus pruritus, quin etiam excoriatio quædam palpebrarum, per lacrymas inducatur.

Quibus ita habentibus non difficile jam fuerit in naturam & cauſſas lacrymarum penetrare. Et *primo* quidem illud in propatulo eſt, ſerum ſive humorem qui lacrymando exſtillat, non eſſe diverſum ſtatuendum à ſero maſſæ ſanguineæ permiſto, id quod per urinam quoque & ſudorem excernitur. *Deinde* difficilius quidem eſt & minus adhuc patet ex allatis, ex quanam præcipue corporis parte ſolida lacrymæ proveniant. Quod igitur ut eo clarius quoque poſſit exponi, paullo altius res repetenda eſt.

Et vulgaris quidem opinio ex ipſo cerebro eas exprimi vult, ceu jam ſupra annotavimus. Videtur autem opinio iſthæc non parum eo juvari, quod cis paucos annos Franciſcus Gliſſonius de novo cerebri & nervorum uſu primus commentus eſt & in publicum ſparſit, quodque paſſim hodie invenit adſtipulatores. Vult videlicet ille & quotquot cum eo faciunt, per cerebrum & nervos magnam

Chyli

Chyli partem ex ventriculo petitam per univerſum corpus ad partes ſpermaticas (quas vocant) alendas diſtribui: ceu ipſe illam ſuam doctrinam proponit *capite ultimo Anatomiæ Hepatis*. Non deſunt porro qui ſerum aliquod, diſtinctum tamen à chylo, in cerebro & nervis videntur agnoſcere. Quum enim vaſa lymphatica quæ appellantur (ſive à Thoma Bartholino viro varia eruditionis laude clarisſimo, ſive ab Olao Rudbeckio diligenti naturalium rerum ſcrutatore Upſalienſi, primum obſervata ſint) ſpiritus animalis in nervis contenti reliquias eſſe quidam ſtatuant, vaſa autem illa cum nervis conjungi velint, facile utiq; colligere eſt, illos non omnino alienos à Gliſſonianis placitis eſſe.

Ceterum (1) nervorum & vaſorum lymphaticorum illa conjunctio nondum ſatis eſt detecta. Et licet ita ſeſe haberet, nihil quicquam tamen horum omnium ſententiarum patronos poſſet juvare.

Deinde quæ de ſpiritu animali vulgo ſolent doceri, multis adhuc difficultatibus ſunt implicata. Quinimo licet reapſe ad eum modum ſeſe haberent illi ſpiritus, nondum tamen apparet, quomodo reliquiæ illorum in ejusmodi liquorem poſſint ſolvi. Deberet enim tum ejus rei ſaltem indicium aliquod in ipſis nervis quoque reperiri.

Quod *porro* ad Gliſſoniana placita pertinet, quantum illa adhuc laborent, non fugit ipſummet autorem: qui propterea quoque ad novum aliquod, qualeque in natura rerum dari non poteſt, attractionis genus comminiſcendum fuit adactus. Scilicet in nervis talem aliquem liquorem dari ipſismet ſenſibus repugnat, quum ne per vim quidem tantillum ex iis posſit exprimi, dari autem humorem ſenſus fugientem & inſenſibilem, nemo unquam asſerere poterit: niſi affectu præpeditus contra ipſos ſenſus

Digitized by Google

& ſenſibilia quid velit introducere. Ponamus autem ſpiritum aliquem in nervis contineri, utique nec ille poterit omnino ſenſum effugere. Et licet in humorem aliquando non reſolveretur, non poſſet tamen non præſentia ſua tumefacere nervum. Id quod Spiritus omnis vulgo ita dicti eſt proprium. Non commemorabimus nunc, quantæ aliæ infinitæ abſurditates has opiniones comitentur.

Quod vero *poſtremo* ad cerebri compreſſionem pertinet, illa ullo argumento hactenus eſt comprobata. Quapropter etiam omnia illa fundamento deſtituuntur, quæ de eadem compreſſione in catarrhi generatione multis ſunt perſuaſa. Conſideremus enim compreſſionem, utique illam non niſi à violento quodam externo (licet intra cranium conſtituto) fieri oportere palam eſt. Deberet itaq; tum vel cranium cerebro ſuperincumbens illud comprimere, vel ſaltem membranæ & meninges cerebri convelli. Prior compreſſio plane eſt violenta, nec niſi à læſo ipſo & præter naturam compreſſo cranio poteſt fieri. Poſterius autem hactenus nondum eſt compertum, nec etiam fiet; quum membrana nulla ad eum modum in convulſione contrahi poſſit, quo muſculus. Quapropter etiam talis compreſſio fieri non poteſt. Qui vero ingens illa lacrymarum copia, quam multi flendo profundunt, ex cerebro ita ſubito poterit exprimi, quomodo humor à ſpongia imbibitus? Qui porro fit, quod quo diutius fletus continuatur, eo plus quoque humorum affluat? Humiditatem quidem quandam cerebro ineſſe ultro concedimus. At vero humiditatem illam in lacrymas abire, eſt illud ipſum quod probationem maxime exigit. Deberet videlicet tum iis qui frequenter lacrymantur & plorant, cerebrum ſenſim magis magiſque exſiccari. Quod tamen non fieri, vel pueri & infantes quotidie ſatis ſuperque docent.

Procul

Digitized by Google

Procul itaque dubio longe aliter hac de re eſt pronunciandum.

Et quidem humorem illum exprimi, non exiſtimamus eſſe ambigendum. Confirmatur illud ipſum inter alia eo cumprimis, quod per diuturnos fletus ſanguis quoque tandem exeat: non utique facturus, niſi vaſa in canthum oculi patentia demum ita aperirentur, ut ipſum quoque ſanguinem paterentur exire. Id quod in multis aliis etiam affectibus fieri comperimus, catarrho videlicet, mictione ſanguinea, venere plane immodica, vehementibus purgationibus, ſudore, aliiſque. Hiant autem vaſa illa in ipſum illum canthum, cum impoſita caruncula inſtar ſpongiæ ſe habet, quæ propterea quoque peculiares affectus inde quandoque patitur.

Non quidem negandum eſt, cerebrum ipſum lacrymando affici, utpote quum intemperies quædam calida & & humida nunquam fere non cum lacrymatione ſoleat conjungi. Verum ex eo nequaquam colligitur, lacrymas ex ipſa ſubſtantia cerebri prodire; quum ſufficiat ſanguinem per meninges ejus, & quidem per earum vaſa diſtributum, temperiem illam inducere. Id quod quin fiat nequaquam debet dubitari, quum univerſum caput lacrymando incaleſcere, faciei quoque color ſatis demonſtret; ne reliqua omnia ſymptomata nunc repetamus.

Revera quoque ſimile quid compreſſioni cuidam inter lacrymandum videtur partibus illis accidere, non ipſius quidem cerebri, vaſorum tamen. Nec enim alias cauſſa apparet, qui ſerum illud per oculi canthos & carunculas lacrymales exſtillet: ipſos quoque flentes oculos claudendo & palpebras adducendo lacrymas quaſi exprimunt, omne autem illud procul omni dubio animi affectibus debetur: utpote quorum tanto major vis eſt in univerſum corpus

corpus noſtrum & præcipue cor & ſanguinem, quanto magis modus ipſe mortalium noſtrorum captum fugit.

Ad Johannis XX ℣. 19. & ſeqq.

Lucæ XXIV. ℣. 36. & ſeqq.

Non expendemus jam varias de his apparitionibus ſive Chriſti ſiſtentia opiniones. Quamvis enim plerique omnes veterum doctorum ſimpliciter verbis narrationis inhærentes Chriſtum conclave illud miraculoſe ingreſſum fuiſſe unanimiter ſentiant: non [deſunt] tamen inter recentiores, qui hæc non ita ſtricte accipienda eſſe cenſeant; ſed potius ita intelligenda, quaſi Chriſtus per fores ſive januam apertam conclave illud ingreſſus ſit; ita tamen ut nec illum quisquam Apoſtolorum videre potuerit, nec etiam fores ſtrepitum aliquem ediderint: quod videlicet quum Chriſtus verum corpus habuerit, non potuerit aliter Apoſtolis ſuis ſeſe ſiſtere, quam ut ſolidum unum corpus alteri cederet. Qui vero in priori ſunt ſententia, eousq; hoc factum ſolent extendere, ut plane eodem quoq; modo Chriſtum utero matris egreſſum eſſe exiſtiment. Quæ quidem opinio usq; adeo invaluit, ut in cantica quoq; Eccleſiaſtica jam ab antiquo etiam tranſierit: quod nempe Chriſtus ad eum modum fuerit in lucem editus, quomodo lux vitrum aliquod ſuo ſplendore poteſt penetrare. Qui ulterius hac in re ſcrupulari ſolent, non contenti nuda hiſtoriæ recenſione & veritate, modum quque ipſum definire al-

---

Chriſti corpus fuiſſe à reſurrectione ſpiritale, Epiphan. *hær. 64 c. eod. hær. 69. c. 65. hær. 77. c. 29. expoſit. fid. c. 17. Ancor. c. 80. 95. Anaceph.* pag. 137. B. p. 155. C. D.

Quodſi obtenderis: Ergo & nos poſt reſurrectionem comedemus? Et quomodo clauſis ingreſſus eſt januis, contra naturam pinguium, & ſolidorum corporum? Audies: Noli propter cibum reſurrectionis fidem in calumniam

lumniam trahere. Nam & archiſynagogi filiæ reſuſcitatæ juſſit cibum dari: & Lazarus quatriduanus mortuus, cum ipſo ſcribitur iniſſe convivium, ne reſurrectio eorum phantaſma putaretur. Sin autem clauſis ingreſſus eſt januis: & idcirco ſpiritale & aereum corpus niteris approbare: ergo & antequam pateretur, qui contra naturam graviorum corporum ſuper mare ambulavit, ſpiritale corpus habuit. Et apoſtolus Petrus, qui & ipſe ſuper aquas pendulo inceſſit gradu, ſpiritale corpus habuiſſe credendus eſt: cum potentia magis & virtus oſtendatur Dei, quando fit aliquid contra naturam. Et ut ſcias in ſignorum magnitudine non naturæ mutationem, ſed Dei omnipotentiam demonſtrari: qui ambulabat fide, cœpit infidelitate mergi, niſi eum manus Domini ſublevaſſet, dicentis: Modicæ fidei, quare dubitaſti? Hieron. Epitaph. Paulæ matris, quod inter epiſtolas eſt XXVII. *Porro, quod clauſis ingreſſus eſt oſtiis, ejuſdem virtutis fuit, cujus & ex oculis evaneſcere. Lynceus, ut fabulæ ferunt, videbat trans parietem. Dominus clauſis oſtiis, niſi phantaſma fuerit, intrare non poterit? Aquilæ & vultures tranſmarina cadavera ſentiunt: Salvator Apoſtolos ſuos, niſi oſtium aperuerit, non videbit? Dic mihi acutiſſime diſputator, quid eſt majus, tantam terræ magnitudinem appendere ſuper nihilum, & ſuper aquarum incerta librare, an Deum tranſire per clauſam portam, & creaturam cedere creatori? quod majus eſt tribuis: quod minus eſt calumniaris. Petrus ſuper aquas ambulat gravi & ſolido corpore: mollis unda non cedit: paululum fides dubitat & ſtatim naturam ſuam corpus intelligit: ut ſciamus ſuper aquas non corpus ambulaſſe, ſed fidem.* Hieron. adverſus errores Joh. Hieroſolym. epiſt. 61. *Erant diſcipuli incluſi, & ſecreto poſt paſſionem Domini congregati conſederant. Dominus Thomæ fidem propoſitis conditionibus confirmaturus aſſiſtit, palpandi corporis & contrectandi vulneris obtulit facultatem: & utique qui compunctus recognoſcendus fuit, neceſſe eſt, ut corpus in quo eſt compunctus attulerit. Quæro ergo per quas clauſæ domus partes ſeſe corporeus intulerit. Diligenter enim Evangeliſta expreſſit dicens: Venit Jeſus januis clauſis, & ſtetit in medio diſcipulorum ſuorum. An conſtructa parietum penetrans, & ſolidam lignorum naturam impenetrabilem tranſcurrit? Stetit namque corporeus, non ſimulatus, aut fallax. Sequantur ergo oculi mentis tuæ penetrantis ingreſſum, & cum eo clauſam domum intelligentia tua viſus introeat. Integra ſunt*

omnia & obſerata: ſed ecce aſſiſtit medius, cui per virtutem ſuam univerſa ſunt pervia. Inviſibilibus calumniaris, ego à te viſibilium expoſco rationem. Nihil redit ex ſolido, neque per naturam ſuam aliquid tanquam lapſu inſenſibili ligna & lapides admittunt. Corpus Domini à ſeſe non deficit, ut ſeſe reſumat ex nihilo, & unde qui aſſiſtit in medio eſt? Cedit ad hæc & ſenſus & ſermo, extra rationem humanam eſt veritas facti. Idcirco ergo ut de nativitate Domini fallimur, ita & de ingreſſu Domini mentiamur. Dicamus factum non fuiſſe, quia intelligentiam facti non apprehendimus: & ceſſante ſenſu noſtro, facti ipſius ceſſet effectus. Sed mendacium noſtrum facti ipſius fides vincit. Aſſiſtit dominus clauſa janua in medio diſcipulorum: & filius eſt natus ex patre. Noli negare quod ſteterit, quia per intelligentiæ infirmitatem conſiſtentis non conſequaris introitum. Hilarius lib. iv. de Trinit. *Nec nos audiamus qui negant tale corpus Domini reſurrexiſſe, quale poſitum eſt in monumento. Si enim tale non fuiſſet, non ipſe dixiſſet poſt reſurrectionem diſcipulis: Palpate & videte, quoniam ſpiritus oſſa & carnem non habet, ſicuti me videtis habere. Sacrilegum eſt enim credere Dominum noſtrum, cum ipſe ſit veritas, in aliquo fuiſſe mentitum. Nec nos moveat quod clauſis oſtiis ſubitò eum apparuiſſe diſcipulis ſcriptum eſt, ut propterea negemus illud fuiſſe corpus humanum, quia contra naturam hujus corporis videmus illud per clauſa oſtia intrare: omnia enim poſſibilia ſunt Deo: nam & ambulare ſuper aquas contra naturam hujus corporis eſſe manifeſtum eſt, & tamen non ſolum ipſe Dominus ante paſſionem ambulavit, ſed etiam Petrum ambulare fecit. Ita ergo & poſt reſurrectionem ſuam de corpore ſuo fecit quod voluit. Si enim potuit ante paſſionem clarificare illud, ſicut ſplendorem ſolis: quare non potuit & poſt paſſionem ad quantam vellet ſubtilitatem in temporis momento redigere, ut per clauſa oſtia poſſet intrare?* Auguſt. lib. de Agon. Chriſt. *Sed hoc medio, quod inquam, à conditione corporis glorioſi ſumitur, non utemur: in divina potentia acquieſcimus, quæ ſupra omnem noſtram & gloriam & gloriæ conditionem eſt: quapropter, miraculoſam Chriſti nativitatem, è ſepulchro clauſo reſurrectionem, & in cœlum aſcenſum, quæque ſunt alia ejus generis, non rimamur, miracula ſunt: & illud, quod ex D. Auguſtino citat Thomas, hic valde nobis placet. Diſputant, inquit, quidam: ſi corpus erat, ſi hoc ſurrexit de ſepulchro, quod pependit in ligno: quomodo per oſtia*

clauſa

Digitized by Google

nire allaborant: num videlicet per corporum penetrantiam, an ceſſionem Chriſtus conclave illud clauſum intraverit. Et penetrantiam quidem vix concedendam eſſe omnino videtur; utpote quum illa citra diviſionem nunquam poſſit inſtitui. Quamvis enim non tantum lux aliqua, ſed ignis quoque, & quidem non flammeus duntaxat, ſive luculentus, ſed alius quoque, ſolida & dura maximeque compacta alia corpora poſſit penetrare; nihilominus tamen illa quidem res huc nihil confert. Nec enim ſimpliciter omnem penetrationem negamus, aut in dubium vocamus, ſed corporis ſolidi per aliud ſolidum. Ignem vero in ſolidis corporibus nemo unquam recenſuerit. Quapropter ceſſio quædam, per quam videlicet unum ſolidum alteri loco ceſſerit, magis videtur vero eſſe conſentanea.

Ceterum, quò de omni hoc negotio ſententiam noſtram eo clarius porro exponere liceat, *primo* & ante omnia notari debet, longe diverſiſſimam rationem eſſe actionis alicujus quæ pure naturali, & ejus quæ mere ſupernaturali modo fit: quapropter fieri omninò poſſe, imo ſæpius factum eſſe hodieque contingere, ut aliquid ſupernaturali modo contingere poſſit, quod naturaliter fieri nequit. *Deinde* & illud quoque ex iſto conſectarium attendi debet, neutiquam de poſſibilitate (ut ita loquar) facti alicujus ſupernaturalis & miraculoſi judicandum eſſe ex illis legibus, quæ ſecundum naturæ conſuetum ordinem ſeſe habent. Certe qui inter hæc & accurate quidem diſtinguere neſcit, eum ne-

 ceſſum

clauſa intrare potuit? Si comprehenderis modum, non eſt miraculum: ubi deficit ratio, ibi eſt fidei ædificatio. Et ſuper Johannem: moli corporis, ubi divinitas erat, oſtia clauſa non obſtiterunt: ille quippe non apertis eis intrare potuit, quo naſcente virginitas matris inviolata permanſit. Hæc ex Auguſtino Thomas. Cornel. Martini de Anal. Materiæ cap 6.

ceſſum eſt multis abſurditatibus involvi. Quin hac ipſa de cauſſa pleræq; omnes hæreſes & pernicioſa dogmata tam circa divinitatem Chriſti, quam circa SS. Trinitatis myſterium exorta eſſe, facile licet hiſtoriam illarum attentius expendenti colligere. Quibus & illud *tertio* addi convenit, longe aliam eſſe conditionem corporis alicujus glorificati ſive ſupra naturæ conditionem exaltati & elevati, & aliam corporis naturalibus cauſſis & legibus, adhuc ſubjecti. Id quod tum ex hiſtoria Chriſti tum ex Apoſtolorum quoque doctrina nemini poteſt eſſe ignotum.

Quibus ita habentibus non difficile amplius poterit eſſe veram ſententiam exponere. Quod ipſum tamen quo eo facilius & expeditius fieri poſſit, ante omnia illud quoque *quarto* tanquam omnino certum & exploratæ veritatis ponendum eſt: ſcil. Chriſtum conclave, in quo Apoſtoli congregati erant, plane inſolito atque miraculoſo modo fuiſſe ingreſſum. Id quod hiſtoria Evangelica accurate inſpecta, me quidem judice, omnino diſerte tradit. Quod ſi enim foribus apertis aut ſimili modo Chriſtus conclave intraſſet, nulla apparet ratio, quare Johannes fores ob metum, ne à Judæis comprehenderentur, ab Apoſtolis fuiſſe clauſas ita diſerte commemoret, multo minus quare Jeſus illis ſubito & plane ex improviſo medium ſe ſtitiſſe ſcribatur. Certe non apparet cauſſa, quare Apoſtoli illo viſo perterrefacti fuerint, exiſtimantes ſeſe ſpectrum aliquod cernere. Ad quem proinde metum & opinionem repellendam Chriſtus & contrectari ſeſe voluit, & cibum ſibi præberi: hac inſuper addita argumentatione, quod ſpiritus aliquis

Oſſa audis, & carnes, & pedes, & manus, & globos mihi Stoicorum, atq; aërea quædam deliramenta confingis Hieronym. *ad Euſtach. h.l.c.* in diſputatione adverſus hæreticum quendam, qui reſurrectionem in dubium vocabat Paulæ.

aliquis non habeat carnem vel oſſa, ceu ſeſe habere viderent. Nec vero quicquam huc facit, quod maligni quoque genii vero aliquo corpore aſſumto, quod videlicet intraverint, ſeſe conſpiciendos præbeant. Nam idipſum quoque facile poteſt dignoſci à corporibus phantaſticis, ſive ex aëre quomodocunque efformatis, in & cum quibus plerumque alias ſolent apparere: Debet autem *quinto* & illud quoque hic attendi, Apoſtolos non fuiſſe mente deceptos aut phantaſia perturbata, ita ut illis hoc modo imponi potuerit, aut oculos vel aures eorum captos, ut januam aperientem & ingredientem nec audiverint nec viderint. Ut igitur de vera quidem & in vero proprioque ſuo corpore Chriſti Apoſtolis facta apparitione nullo modo dubitare fas ſit, licet cœtum illum planè miraculoſo & inſolito modo ſit ingreſſus.

Quin igitur foribus clauſis conclave illud ingreſſus ſit Servator non naturaliter ſed plane ſupernaturaliter, non eſt quod dubitemus, aut citra cauſſam ſcrupulemur. Quum vero ingreſſus & præſentatio illa non fuerit naturaliter facta, non eſt quod quis de modo velit eſſe ſollicitus, utpote quem nulla plane ratione nobis licet aſſequi. Non ſecus videlicet atque alias vere miraculoſa facta credenda ſunt, quum modus illorum ut rerum naturam, ita noſtrum quoque intellectum plane excedat atque ſuperet.

Hac ſane quoque de cauſſa non aſſentimur illis, qui nativitatem Chriſti ſimili etiam modo factam fuiſſe cenſent; quod videlicet inter illum ſtatum in quo Chriſtus, quum in lucem ederetur, erat, & illũ, in quo poſt glorioſam reſurrectionem fuit, ingens ſit diſcrimen. Ibi enim mortalis adhuc erat & infirmitatibus humanis ſolo peccato excepto, obnoxius corpore præterea à naturalibus conditionibus nondum immuni. Quæ omnia poſt factam reſurrectionẽ plane ceſſaverunt

verunt, utpote quum corpus ejus naturæ legibus exemtum & glorificatum ſit. Nec vero ſi id aſſeratur metuendum eſt, quaſi ἡ θεοτόκος, ſi videlicet utero ejus communi more aperto Chriſtus in lucem editus ſit, virginitatem ſuam perdiderit, quum hæc in abſtinentia à virili conſortio unice conſiſtat. Quapropter etiam nobis non poteſt placere ſimilitudo illa à lumine vitrum transparente deſumta; utpote quum & iſtius comparationis magna ſit diverſitas, & præterea citra neceſſitatem adducatur. Certe ex ipſa ſcriptura nullum fundamentum iſtius ſententiæ poteſt deſumi. De qua tamen re nunc quidem nolumus prolixius agere.

Tantum hoc ſufficiat etiam atque etiam obſervaſſe, glorioſam illam & ſupranaturalem Chriſti à reſurrectione apparitionem non eſſe trahendam ad illa quæ ante paſſionem peregit. Infinita quidem miracula tum patravit, ſed quæ cum ejusmodi corporis exhibitione non debent nec poſſunt contendi, quum videlicet non humanam ejus naturam, ſed divinam oſtenderint. Idem quoque dicendum de glorificatione ejus in monte Tabor coram Petro, Johanne, Jacobo facta: vel etiam quod ſimpliciter extraordinarie illa divinitus ſit facta, perinde ut Moſis corruſcatio faciei; cui tamen nihilominus mors fuit oppetenda. Nam ſi ad ipſius etiam naturam & corpus humanam illa quis extendere velit, non apparet utique, quî cum illis poſſint conſiſtere, quæ de fame, lacrymis, ſudore, angore, ſiti ipſaque morte Servatoris noſtri in Evangelicis hiſtoriis leguntur annotata.

Ad Actor. III. ℣. 2. & ſeqq. & XIV. ℣. 8. & ſeqq.

Hominem illum utrumque fuiſſe claudum & quidem ab ipſa nativitate, diſerte ſacer ſcriptor commemorat. Quamvis autem quinam claudi vocentur neminem temere fugiat; quo tamen res reddatur manifeſtior, diſtincte in

Digitized by Google

in quonam claudicatio conſiſtat, & qualis ſit affectus, debet explicari: præſertim quoniam Germanica Vox Lahm non caret magna quadam ambiguitate. Vocantur enim vernaculo ſermone ita omnes iſti, qui non tantum claudi ſed etiam qui paralyſin paſſi ſunt, quum tamen inter utrumque affectum magnum ſit diſcrimen. Uterque quidem facultatem locomotivam concernit; nihilominus tamen diverſi ſunt loci affecti in utroque morbo. In paralyſi videlicet maxime laborant muſculi, ut qui plus juſto relaxati ſint, nec poſſint contrahi, ceu jam ſupta oſtenſum fuit. At in claudicatione morbus non eſt in muſculis, ſed potius in ipſis articulis. Ad articulos autem pertinent non ſolummodo juncturæ ſive commiſſuræ oſſium, & cartilagines, humor præterea, quem inſtar axungiæ articulis ad motum facilitandum datum eſſe ſupra jam oſtendimus; ſed etiam ligamenta, utpote quorum ſolorum ope articuli connectuntur, ne loco ſuo excedant.

In claudicatione igitur ligamenta potisſimum laborant ſolentque eſſe laxiora. Id quod quando fit, articulos, vel potius oſſa articulum conſtituentia, loco ſuo naturali excidunt & diſtorquentur. Unde χάλωμα in Hippocraticis ſcriptis & apud Galenum denotat quamvis alicujus membri diſtorſionem. Quandoque porro ligamenta illa & tendines quoque muſculorum, qui non procul ab articulis, & juxta eos in oſſa implantari ſolent, præter naturam ſicceſcunt & contrahuntur. Quod quum fit, ipſum etiam membrum contrahitur nec poteſt extendi. Quali proinde morbo affectos contractos etiam appellamus. Sane claudicationem ad articulos maxime ſpectare, ex utraq; quoque hac ſacra hiſtoria promte colligi poteſt, cumprimis autem ex priori, quando Evangeliſta *cap III, verſ. 7.* ſcribit,

quum

Digitized by Google

quum Petrus manu claudi prehenſa eum erexiſſet, *illico ſolidatas fuiſſe plantas ipſius ac malleolos.*

Cauſſæ autem claudicationis non ſunt unæ. Nam *primum* aliquando id fit à defluxionibus, quando videlicet ligamenta ab humoribus effluentibus nimis laxantur; unde fit, ut oſſa articulum conſtituentia in naturali ſuo loco retineri nequeant: illis vero remittentibus, os quoque non poteſt non ſitu & loco ſuo excidere. *Deinde* non raro membrum aliquod redditur claudum propter luxationem & cauſſam violentam. Per luxationem ſcilicet ligamenta abrumpuntur vel alias violenter extenduntur: quo facto, non poſſunt itidem non oſſa loco ſuo moveri; oſſibus autem loco motis, greſſum & alias motum quemvis corporis impediri non eſt mirum, utpote quum ad incedendum præcipue requiratur, ut univerſi corporis compages ita ſit juncta, ut unum membrum alteri poſſit inniti; id quod fieri nequit, ubi oſſa, quæ fundamenta ſunt & baſis totius corporis, dislocantur & diſtorquentur. Alii *demum* claudi ſunt ab ipſo ortu adeoque ex vitio connato. Id quod quam maxime fit propter malam configurationem & compoſitionem oſſium. Quibus etiam per temporis diuturnitatem accedere ſolet contractura, ut videlicet ligamenta & tendines juſto reddantur ſicciores, nec extendi posſint. Poſtremo etiam divinæ & ſupernaturales cauſſæ aliquando heic quoque, perinde ut in aliis morbis, ſubſunt.

Eſt autem omnis claudicatio admodum difficilis curatu, cumprimis autem diuturna & connata: non tantum quod

Multi redduntur claudi per ſcelera aliorum, qui ignavum, ſed & certum, victum per eos ſibi pollicentur. Quo reſpicit Hieronym. *ad Pammach. ſup. ob Paul. uxor p. 163. b. Hic debilitatus à parvo, non ſibi mendicat ſtipem* Vid. Eraſm. *ſchol.*

quod locus affectus non ſemper commode poſſit contingi, & oſſa reponi, ſed etiam quod ligamenta relaxata ægre ad juſtam temperiem poſſint redigi. Vitioſa certe conformatio vix interdum curationem admittit. Etiamſi vero quanam de cauſſa hi claudi fuerint nos lateat, & licet ex pure naturalibus cauſſis vitium illud obortum fuerit, curari quoque humana ope tandem potuerit; ſolus tamen modus curandi, verbo videlicet & momento temporis peractus, miraculi magnitudinem ſatis ſuperque declarat.

Ad Actor X. ℣. 10. XI. ℣. 5. & ſeqq.
II. Cor. XII. ℣. 2. & ſeqq.

Ἐκστάσεως non ſemel apud antiquos, externos quoque, ſcriptores fit mentio, & perfrequenter quidem in ſcriptis Hippocraticis, quæ loca diligenter in *Oeconomia* ſua annotavit Foëſius. Quo illud cumprimis etiam pertinet, quod de Hermotimo Clazomenio Apollonius in *mirabilibus hiſtoriis* commemorat, eum ſolitum fuiſſe varia prædicare, anima extra corpus vagata, corpuſculo interim jacente; quod ne tum quisquam contingeret uxori mandaverat: fuiſſe autem ita jacentem tandem crematum. Quibus plane gemina ſunt, quæ de conſiliario quodam bellico in exercitu Tillii, cui nomen Larmæo fuit, à non uno in hoc ipſo opido accepi. Eum videlicet ſingulis diebus, quotiescunque libitum fuiſſet, in conclavi & in faciem quidem prono corpore debuiſſe per aliquot horas ita immotum jacuiſſe: foribus non tantum clauſis, ſed etiam cuſtode appoſito, & quidem ſub capitis pœna ipſi interdicto, ne quem interea temporis in conclave admitteret: quum autem ad ſeſe rediiſſet, narraſſe ſe conſilio hoſtium (Regis videlicet Daniæ & ſociorum) interfuiſſe, atq; ita ſtatim prodidiſſe duci Tillio omnia illorum propoſita & conſilia, quorſum videlicet exercitum movere vellent, quem locum oppugnaturi vel occupaturi,

quæque hujus generis ſunt alia. Notum quoque eſt, quid in Livonia & vicinis regionibus, ubi diabolica λυκανθρωπία impune exercetur, paſſim & frequenter contingat.

Cæterum an reapſe anima è corpore egredi, & ita huc illuc divagari, in idque pro arbitrio reverti poſſit, merito quæritur. Secundum Ariſtotelis quidem & nonnullorum aliorum opinionem illud videtur non eſſe negandum. Ariſtoteles ſane mentem ſive animam rationalem corpori extrinſecus accedere, & cum ejus actionibus nihil affine habere ſcribit. Quin ſi recte ejus ſententiam aſſequimur, non agnoſcit ille animam rationalem ſive mentem pro vera corporis humani forma, ſed tantum pro forma quadam (ceu hodie loqui ſolemus) aſſiſtente. Non ſecus videlicet atq; nauclerus navi adſtat & illam gubernat, quum tamen nihilominus ad formam navis eſſentialem nullo modo pertineat, & navi exire illamque relinquere pro lubitu poſſit, ita ut navis eo licet abſente, tamen quod eſt maneat.

Verum

Quisquis ergo ex me quærit, unde viſa corporalibus ſimilia in ecſtaſi appareant, quæ raro accedit animæ, viciſſim quæro: unde appareant dormientibus quæ quotidie ſentit anima, & nemo iſtud multum curat inquirere. Quaſi vero ideo minus mira ſit talium natura viſorum, quia quotidiana eſt; aut ideo minus curanda, quia omnium eſt: aut ſi recte faciunt, qui iſta non quærunt, non rectius fecerint, ſi nec in illa curioſi ſint. Ego vero multo amplius admiror, multoq; maxime ſtupeo, quanta celeritate ac facilitate in ſe anima fabricet imagines corporum, quæ per corporis oculos viderit, quam ſomniantium, vel etiam in ecſtaſi viſiones. Auguſtinus *l. 12. de Gen. ad liter. c. 18.* qui ibi de cauſſis prolixe agit. *Ex obſequentibus autem iſtis & meriti ultro parentibus ab ortu & initio geneſis ſui, ſunt divinæ illæ, & cum numinibus colloquentes animæ. Qualis fuit Hermodori Clazomenii anima: quam audiviſti nimirum corpore omnino deſerto noctes dieſq; multa pervagatam loca, rurſum in corpus rediiſſe, cum præſens multis*

multis in longinquo dictis ac factis intervenisset: donec inimici corpus anima vacuum prodente uxore nacti domi combuſſerunt. Hoc quidem verum non eſt, non enim egreſſa eſt è corpore anima: ſed identidem concedens & laxans genio compagem, circumcurſitationem admiſit, ut is multa foris audita ac viſa intro annunciaret. Plutarch. lib. de Genio Socratis p. 592. ubi & legi merentur, quæ de Timarcho paulò poſt ſubjiciuntur. *Refert idem quendam ſudare potuiſſe cum vellet: alium lachrymas pro libito promſiſſe. Narratur, inquit, & presbyteri cujusdam Reſtituti nomine, vis natura admiranda: qui cum volebat, ſeſe abducebat à ſenſibus, & jacens mortui hominis oſtendebat ſpeciem; ut non ſolùm vellicantes & pungentes non ſentiret; ſed etiam admoto igne ureretur, ſine ullo doloris ſenſu. Quibus exemplis indicatur nonnullos excrementa & humores corpore ſuo contenta & partes etiam aliquas per imperium voluntatis movere potuiſſe.* Ita ex Auguſtino Thomas Fienus lib. de viribus imag. De Pauli raptu fusè diſputat Auguſtinus lib. 12. de Geneſ. ad Literam: quo, ibidemq; cap. 6. & 7. triplex viſionum genus conſtituit, corporale, ſpirituale & intellectuale: de cauſis earum capp. ſequentibus eruditè diſputans. Nos adſcribemus h. l. memorabilem hiſtoriam de puero Ecſtatico ab eodem cap. 40. 41. ibidem commemoratam: *Fuit tunc apud nos puer, qui in exordio pubertatis dolorem acerrimum genitalium patiebatur, medicis nequaquam valentibus quid illud eſſet agnoſcere, niſi quod nervus ipſe introrſum reconditus erat: ita ut nec præciſo præputio quod immoderata longitudine propendebat, apparere potuerit, ſed poſtea vix eſſet inventus. Humor autem viſcoſus & acer exſudans teſtes & inguina urebat. Sed acutum dolorem non continuum patiebatur, ejulebat vehementer cum jactationem membrorum mente ſaniſſima, ſicut in cruciatibus corporalium dolorum fieri ſolet. Deinde inter voces ſuas abripiebatur ab omnibus ſenſibus, & jacebat patentibus oculis neminem circumſtantium videns, ad nullam vellicationem ſe movens. Poſt aliquantum evigilans, nec jam dolens, quæ viderat indicabat. Tum interpoſitis paucis diebus eadem patiebatur. In omnibus ſane vel penè omnibus viſionibus ſuis, duos ſe dicebat videre, unum provectioris ætatis, alterum puerarum, à quibus ei dicebantur vel demonſtrabantur, quæ ſe vidiſſe & audiſſe narrabat. Vidit quodam die chorum piorum pſallentium, lætantium in luce mirabili, & impiorum in tenebris diverſas & atrociſſimas pœnas, illis ducentibus & oſtendentibus,*

Digitized by Google

Verum iſta quidem præſtantiſſimi viri doctrina pietati nequaquam eſt conſentanea. Licet enim omnino & nos quoque cenſeamus, mentem extrinſecus corpori jam formato accedere: nihilominus tamen ad formam ſive integram eſſentiam hominis omnino illa pertinet. Certe illo negato quæ incommoda ſequantur, per ſeſe patet.

Præterea malignis geniis tantam vim competere in homines, ut animam reapſe è corpore evocare & iterum in ea immittere poſſint, plane abſonum eſt & veritati contrarium.

Videtur igitur potius hoc omnino ſtatuendum, homines illos, in quos cacodæmon tyrannidem ſuam exercet, alto ſopore vel ſtupore opprimi, atque ita deinde varia illis offerri & revelari, quæ miſeri illi homines reapſe ſeſe oculis

---

bus, felicitatis aliorum, aliorumque infelicitatis meritum inſinuantibus. Hoc autem vidit die Dominico Paſcha, cum per totam quadrageſimam nihil doluiſſet, qui vix intervallo tridui antea patiebatur. Viderat autem in ipſo ingreſſu quadrageſimæ illos promittentes, ſibi quòd per quadraginta dies nullum ſenſurus eſſet dolorem, poſtea ipſi ei dederunt tanquam medicinale conſilium, ut ei præputii longitudo præcideretur, quo facto diu non doluit. Cum verò iterum ſimiliter doleret, & ſimilia videre cœpiſſet, accepit ab eis rurſus conſilium, ut in mare pubetenus intraret, ac poſt aliquantam moram inde diſcederet, promittentibus ſanè quod jam deinceps vehementem illum dolorem non eſſet paſſurus, ſed ſolius illius viſcoſi humoris moleſtiam, atq; ita ſecutum eſt. Nec unquam talem aliquam poſtea paſſus eſt averſionem mentis à ſenſibus, nec tale aliquid vidit, quale antea cum in mediis doloribus & horrendis vocibus repentè obmuteſcens abriperetur. Poſtea tamen medicis cætera curantibus & ſanantibus non permanſit in propoſito ſanctitatis. Hæc Auguſtinus, *Aliter enim Latinus ſermo ἔκστασιν exprimere non poteſt, niſi mentis exceſſum.* Hieronym. ad Suniam & Fretelam p. 82. f. tom. III. c. 28. & ſeq. Legatur etiam de Ecſtaſi Scaliger de ſubtil. p. 1005. ſeqq. Bodin. lib. 4. Theatr. Nat. pag. 500. ſeqq. It. de Dæmonoman.

Digitized by Google

lis ſuis uſurpaſſe exiſtiment. Certe facile id vel ex illis licet deprehendere, quæ λυκανθρώποις Livonis accedunt. Procul autem dubio talia facinora & flagitia quondam fuerunt maxime uſitata: quin ſi recte judico, hinc ortum traxit μετεμψύχωσις Pythagorica. Nec enim Pythagoram à Magia & clandeſtinis cum geniis colloquiis ego abſolverim.

An vero quibus ab ipſo Deo Opt. Max. Ecſtaſis immittitur, ſimili tantum modo opprimantur, an vero reapſe illis anima rationalis educatur, non liquet. Certe ipſemet gentium doctor Paulus nihil certi hic definire poteſt, ſolum Deum id certo noviſſe affirmans. Exſtant autem ejuſmodi divinitus factæ ἐκστάσεως ſpecies: non tantum quod aliæ ſint naturales aliæ ſupernaturales, aliæ ab ipſomet Deo fiant, aliæ à cacodæmone; ſed etiam quod ad circumſtantias pertinet. Quo nonnulli quoque nec incommode referunt raptus, quales Poëtis vulgo adſcribi ſolent. Cujus generis itidem ſunt viſiones quædam, & hinc ortæ prædictiones. Non tamen eſt quod quis Paulinam ἔκστασιν cum poëtico raptu confundat. Fuit enim vera & proprie dicta ἔκστασις, niſi quod eo nomine non utatur Apoſtolus, ſed ſe fuiſſe ἁρπαγέντα ſive raptum ſcribat. Plura quidem ad impeditum hoc & maxime admirandum argumentum pertinentia nunc afferenda forent, ſed quum id peregregie nuper præſtitum ſit à doctiſſimo Schoockio, edito peculiari tractatu *de Ecſtaſi,* non eſt quod illi conſiderationi nunc diutius immoremur, ad laudatum librum lectorem amandantes.

Ambroſ. l. de. Iſ. & an. c. 3. *Aſſurrexerat enim anima ejus de corpore, & ſe à viſceribus & vinculis carnis abduxerat atq; elevaverat, factusq; à ſemetipſo alienus, intra ſemetipſum tenuit verba ineffabilia, quæ audivit & vulgare non potuit: quia advertit ea loqui homini non licere.*

Ad Actor, XXVII. ℣ 14. & ſeqq.

Tempeſtatum pariter ac ventorum (utpote ſine quibus nulla fere magna tempeſtas oboriri poteſt) cauſſas in ſtellas & cæleſtia corpora referri ſolere, nemini eſt incognitum. Sed quum quod ad ventos pertinet, non poſſimus ſimpliciter vulgarem opinionem amplecti, ceu ſupra oſtendimus; idem quoque de tempeſtatum cauſſis, me judice, erit ſentiendum. Dari autem præter ventorum cauſſas, adhuc quoque ſuperiores, ſupra jam itidem innuimus. Quod perinde de tempeſtatibus quoque ſimul eſt intelligendum. Ut igitur omnes in univerſum ventorum & tempeſtatum cauſſæ fuerint duûm generum: aliæ videlicet naturales, aliæ vero ſupernaturales. Id quod diſcrimen præ aliis maxime urget Johannes Bodinus *lib. 2. Theatri Naturæ, p. 160 164. 171. & ſeqq.* ventos tranquillos à naturalibus tantum cauſſis oriri cenſens, violentos vero & turbulentos à geniis & dæmonibus excitari. Quamvis autem de natura tam geniorum quam animæ noſtræ rationalis admodum craſſe & impie idem loquatur, dum omnes illos ſpiritus corporeæ naturæ eſſe *lib. 4.* ejusdem operis copioſe conatur oſtendere; quod tamen ad has ventorum tempeſtatumque cauſſas attinet, utique non videtur à veritate aberraſſe. Quod enim à malis geniis horrendæ quoque tempeſtates excitentur, manifeſto conſtat ex multis exemplis & ſagarum confeſſionibus: quod præ aliis cumprimis clare indicat Nicolaus Remigius in doctiſſimo *de dæmonolatria* opere.

Ceterum an quævis turbulenta & violenta tempeſtas protinus in cauſſas ſupernaturales referri debeat, non injuria quis fortaſſis dubitaverit. Certe ſi cum Bodino ſemper omnis ejusmodi tempeſtas geniis adſcribenda eſt, non poteſt etiam aliter dici, atque ab iis proficiſci omnes illas tempeſtas, quæ circa hiemem quam maxime fremere ſolent.

Præterea

Præterea quum alii venti ſemper ſint tranquilli & ſedati, alii vero ſemper procelloſi & turbulenti, horum quoque cauſſa geniis adſcribenda veniet. Quod tamen absque magna naturæ injuria non poteſt aſſeri. Affirmandum tum quoque foret, certis mundi plagis genios potiſſimum eſſe attributos, cumprimis autem borealibus. Id quod Lactantius maxime docet: reclamante licet ipſa Scriptura.

Quod non raro tamen geniorum & dæmonum opera concurrat, apud me quidem extra omnem dubitationem eſt. Videtur etiam ipſemet Bodinus ejus fuiſſe ſententiæ, dum ſpeciatim quoſdam ventos præter naturam non à ſole ſed à geniis excitari definit; huc referens ecnephias, typhones, præſteres, turbines igneos. Unde porro fieri ſcribit, quod ante procellas appareant ignes huc illuc vagantes. Qua quidem in re non difficulter ipſi aſſenſerimus. Confirmatur autem hæc noſtra ſententia non parum eo quoque, quod dæmones in aëre dominari ipſamet ſacra ſcriptura diſerte tradat. Quamvis autem cum tempeſtatibus ejusmodi ſæpe concurrant operæ geniorum; num tamen ſemper à malignis idipſum fiat, non injuria quis dubitaverit. Poſſet enim etiam fieri, ut divino juſſu à bonis quoque Angelis id efficiatur; videlicet illis, quos τιμωρητικὰς & κολάζοντας appellat Theodoretus. Quod tamen nunc non ulterius agitabimus, quum minus certi quidquam hic nobis liceat definire. Quod tamen id fiat, quam proxime ſuaſerit clades exercitui Sennacheribi ab Angelo domini illata: peſtilentia item Davidis tempore Iſraëlitis inflicta, jamq; Hieroſolymis ab Angelo quoque immittenda. Hoc tamen extra omnem controverſiam eſt, in excitandis tempeſtatibus, ſupernaturales cauſſas ſæpiſſime concurrere. Id quod omnino quoque affirmandum de horrendis incendiis, quæ intra paucos annos maximas hinc inde magnis etiam & populoſis urbibus intu-

intulerunt clades. De incendio ſane quod nuperrime Paſſavium devaſtavit, id nimis eſt manifeſtum.

Præterea nec illud quoque negandum, non raro cum naturalibus cauſſis ſupernaturales etiam conjugi. Ita nunquam non adeoque naturaliter circa ingruentem brumam maximæ tempeſtates & in mari præcipue excitari ſolent. Id quod in hiſtoria navigationis Apoſtoli Pauli clare exprimitur. Facile itaque fieri poteſt, ut tum naturalibus cauſſis tanquam inſtrumento quodam ex divino juſſu boni Angeli utantur, & in homines animadvertant: maligni vero ſpiritus iisdem abutantur. Cumprimis autem in his omnibus maxime obſervari debet tempus quo hæc fiunt, modus, diuturnitas, quæque aliæ concurrunt περιστάσεις. Quo magis enim vel unum horum vel alterum vel omnia horum fuerint inſolita, eo plus quoque à ſupernaturalibus cauſſis fuiſſe profecta certo licet affirmare. Quod ipſum in Jobi quoque hiſtoria eſſe factum clariſſime licet obſervare. Ignis videlicet cælitus delabens & ventus ædes ſubvertens minime fuerunt naturales, ſed ab ipſo Cacodæmone excitati.

Ad I. Corinth XII. ℣. 12.

Porrò quod jactitas, ſponſam, ſororem, matrem & omnia hæc vocabula unius eſſe Eccleſiæ, cunctosq́ credentes his omnibus ſignificari: contra te facit. Si enim unus ordo Eccleſiæ eſt, & non habet plura membra in uno corpore: quid neceſſe eſt, ut ſponſa ſoror vocetur & mater? niſi aliorum ſponſa, aliorum mater ſit. Stant quidem omnes ad dexteram: Sed alius ſtat ut ſponſus, alius ut frater, alius ut filius. Filioli, inquit, mei, quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis. Putasne ejusdem eſſe meriti, eos qui parturiuntur, & qui parturit? Unde & ſtulte aſſerere voluiſti, omnia membra æqualiter nos diligere, nec oculum præponere digito, nec manum

auricu-

Digitized by Google

auriculæ ſed in ſingulorum amiſſione membrorum dolorem eſſe communem, cum Apoſtolus doceat ad Corinthios, alia membra eſſe honeſtiora, alia verecundiora: & quæ verecundiora ſunt, majore honeſtate circumdari: quæ verò per ſe honeſta, noſtri non indigere ſolicitudine. Ejuſdemne ordinis arbitraris & meriti, os & alvum, oculos & meatus, per quos fimus egeritur & urina? Lucerna, inquit, corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus cæcus fuerit, totum corpus in tenebris eſt, ſi digitum amputes, ſi ſummitatem auriculæ: eſt quidem dolor, ſed non tantum damnum, nec tanta cum dolore deformitas, quanta ſi oculos eruas, trunces nares, os diſſeces: ſine aliis membris vivere poſſumus, ſive aliis omnino non poſſumus. Ita S. Hieronymus lib. 2. adv. Jovinian.

Ad I. Corinth. XV. ℣. 35. 38. 39.

Quàm perversè Origenes hunc locum & reſurrectionem corporis (non carnis) expoſuerit, prolixè docet Hieronymus epiſt. 61. ad Pammach. adverſus errores Joh. Hieroſolymitani cap. 7. & ſeqq. ubi ſimul erudite illum refutat, ac ſuam ſimul ſententiam de vero loci iſtius ſenſu proponit. Nos adjiciemus nunc iſthæc è cap. 10. verba: *Hæc eſt vera reſurrectionis confeſſio, quæ ſic gloriam carni tribuit, ut non auferat veritatem. Quod verò dicit Apoſtolus, corruptibile hoc & mortale: hoc ipſum corpus & carne, quæ tunc videbatur, oſtendit. Quod autem copulat, induere incorruptionem, & immortalitatem, illud indumentum in veſtimentum, non dicit corpus abolere, quod ornat in gloria: ſed quod ante inglorium fuit, efficere glorioſum: ut mortalitatis viliore veſte depoſita, immortalitatis auro, & ut ita dicam firmitatis atque virtutis beatitudine induamur, volentes non ſpoliari carne, ſed ſuperveſtiri in gloria, & domicilium noſtrum, quod de cœlo eſt, ſuperindui deſiderantes, ut devoretur mortale à vita. Certe nemo ſuperinduitur, niſi*

Digitized by Google

qui ante veſtitus eſt. Eodem pertinent illa, quæ ſub finem cap. 9. dixerat: *Alia enim carnis, alia corporis definitio eſt propriè, omnis caro eſt corpus, non omne corpus eſt caro, caro eſt proprie, quæ ſanguine, venis, oſſibus, nervisq; conſtringitur: corpus, quanquam, & caro dicitur, interdum tamen æthereum, vel aëreum, nominatur, quod tactui viſuique non ſubjacet, & plerumque viſibile eſt atq; tangibile. Paries corpus eſt, ſed non caro. Unde Apoſtolus corpora cœleſtia appellat, & corpora terreſtria. Cœleſte corpus ſolis, lunæ, ſtellarum: terreſtre, ignis, aëris, aquæ, terræ, & reliquorum, quæ abſque anima his ſentiuntur elementis.* Originem tamen defendit Pamphilus in Apologia, quæ cum Hieronymi operibus edi ſolet.

Ad I. Corinth. XV. ℣. 41.

Magnam eſſe inter ſtellas decoris ſive claritatis aut ſplendoris ratione differentiam, quotidie oculis noſtris licet uſurpare. Præterea alias ſtellas proprio ſuo lumine, alias mutuatio lucere, ſimiliter conſtat. Et de ſole & luna quidem id omnibus notum eſt. Reliquos quoque planetas itidem à ſole lumen ſuum accipere, hodie præſtantiores quidam Mathematici cenſent: quos inter quoque multis id oſtendit Johannes Baptiſta Ricciolus in *Almageſto* ſuo *lib. 7. ſect. 1. c. 5.* De fixis ſtellis non deſunt, qui idem aſſerere voluerunt, ceu idem refert *lib. 6. c. 2. num. 4.* quamvis proprium lumen illis ſtellis ineſſe ipſemet cenſeat. Porro aliæ ſtellæ obſcurum habent lumen, aliæ maxime ſplendent: aliis inſuper major, aliis minor lucis copia ineſſe videtur.

Maxima vero quæſtio jam olim & hodie quoque agitatur circa omnium ſtellarum illud lumen, atque adeo circa ipſam earum ſubſtantiam. Plerisque videlicet non olim tantum ſed hodieque viſum eſt, ſtellas eſſe ignitas: quin non

Digitized by Google

dari elementaremque aliquem ignem, ſupra aëris videlicet regionem collocatum, ſed ex illo genitas eſſe ſtellas, cumprimis autem ſtellarum omniumque principem ſolem. Id quod præ aliis oſtendit & perſequitur idem modo laudatus Ricciolus tum *lib. 3. cap. 1. num. 3*; tum *lib. 4. c. 2. num. eodem*; tum *lib. 6. cap. 2. num. 1.* ubi hunc etiam Apoſtoli locum attingit; præſertim vero *lib. 9. ſect. 1. cap. 4 quæſt. 4. num. 12.*

Quamvis autem lumen illud ſtellarum ab igne eſſe, (ſola tamen luna juxta quosdam, ipſumque Ricciolum, excepta,) adeo multis videatur, ſi quid tamen recte judicamus, nullum hactenus argumentum firmum quidem mihi licuit deprehendere; quin potius rem illam magnam partem autoritatibus quibusdam inniti. Nec enim ſolus ignis lucet: quin imo lux igni non competit ſimpliciter vel eſſentialiter. Multa inſuper lucent, omni igne plane deſtituta. Hoc quidem non invitus conceſſerim, lucem ante conditas ſtellas diffuſam per Chaos illud ſive inconditam molem, poſtmodum coactam vel ſtellas conſtituiſſe vel ſaltem iis fuiſſe inditam; ceu *ad primum caput Geneſeos* jam dudum notavimus. At vero illam quoque lucem fuiſſe ignem, vereor ut poſſit ullo argumento probari. Non afferam nunc alia argumenta, quæ contra iſthanc ſententiam adduci poſſunt, quod iſthæc quæſtio ad hujus loci illuſtrationem nihil mihi videatur allatura, quodque uberius id jam factum ſit *l. 2. inſtitution. natural. philoſ.*

Dicta hæc eſſe ab Apoſtolo ſentiendum eſt, ut deſignetur per hæc, quod alii pro meritis ſuis honorabiliores & clariores erunt, beatiora quoque habitacula ſortituri. Origenes *l. 2. de reſurrect.* apud Pamphilum in *Apolog. Orig. t. IV. oper. Hieron. p. 188. f.*

Sufficit videlicet hic tantum illud obſervaſſe: alias ſtellas ſuo, alias alieno lumine gaudere; alias præterea inſignem ſplendorem de ſeſe mittere, alias vero non niſi obſcure. Procul enim dubio Apoſtolus nihil aliud vult iſthac ſimilitudine, niſi ſimilis etiam quædam differentia futura ſit inter corpora glorificata. Quibus ſplendorem quoque quendam conciliatum iri, non obſcure vel illa quoque ſuadent, quæ apud Evangeliſtas de Chriſti transformatione coram Petro, Jacobo & Johanne in monte facta, quando videlicet Servator cum Moſe & Elia colloquium inſtituit, leguntur.

Ad I. Timoth. V. ℣. 23.

Procul omni dubio fuit Timotheus κακοςόμαχος, & propterea crebro quoque ab adverſa valetudine tentatus, accedente inſuper, quantum ex h. l. manifeſto apparet, rigidiore victus ratione, quæque ventriculi intemperiei plane non eſſet conveniens. Ut itaque etiam huic loco lux accedat, primo conſtare debet infirmitatis ipſius ratio; tum adjungendum, quid vinum hac in re præſtare poſſit, quæque ſint ejus virtutes.

Quod

Stella, inquit, à ſtella differt in claritate, non oves & hirci, ſed oves & oves, id eſt, ſtella & ſtella. Denique alia, inquit, claritas ſolis, & claritas lunæ. Ne ſtellam & ſtellam totum humanæ multitudinis aſſereres genus, ſolem poſuit & lunam, quos certe inter hircos non poteris numerare. Sic, inquit, erit & reſurrectio mortuorum, ut juſti in claritate ſolis luceant, & qui in ſequenti gradu ſunt, lunæ ſplendore rutilent, ut alius Lucifer ſit, alius Arcturus, alius Orion, alius Mazuraib, & cætera ſtellarum vocabula, quæ ſacrata in Job volumine continens. Ita Hieronymus, lib. II. adv. Jovinian. cap. 13.

Vinum remedii uſum duntaxat præbere adducto hoc ipſo Apoſtoli loco ſcribit Ambroſ. lib. de Helia & Jejunio cap. 5. *Illius ebrietas nobis ſuadet ſobrietatem. Semel enim inebriatus eſt Noë. Ubi*

enim

Quod ad prius igitur pertinet, ventriculi officium illud eſſe, ut aſſumta per os alimenta probe conficiat & concoquat, neminem latet. Non poteſt autem is ſuo iſthoc officio fungi, niſi omni ex parte debito modo ſeſe habeat & ſit conſtitutus. Requiritur igitur non duntaxat ut ipſe ventriculus bene ſit temperatus & conformatus, ſed etiam ut illa quæ ipſi auxilium aliunde afferre debent ſimiliter non deſint. Ipſius autem ventriculi temperies conſiſtit non tantum in eo, ut nec juſto calidior nec frigidior ſit, ſed etiam ut nec debito ſiccior nec humidior. Certe niſi horum omnium reſpectu σύμμετρος fuerit, non poterit non concoctionis negotium

enim malum ebrietatis agnovit, inventum ſuum ad remedium temperavit, non effudit ad vitium. Legi & hic meretur Ambroſii epiſtola 82. *Quicquid inebriat & ſtatum mentis evertit, fuge ſimiliter ut vinum. Nec hoc dico, quod Dei à nobis creatura damnetur: ſiquidem & Dominus vini potator eſt appellatus: & Timotheo dolenti ſtomachum, modica vini ſorbitio relaxata eſt: ſed modum pro ætatis & valetudinis, & corporum qualitate exigimus in potando, quod ſi abſq; vino ardeo adoleſcentia, & inflammor calore ſanguinis, & ſucculento validoq; ſum corpore: libenter carebo poculo, in quo ſuſpicio veneni eſt.* Hieron. epiſt. 2. ad Nepotian. Idem Furiam contra libidinis ſtimulos muniens epiſtola peculiari, quæſt. 10. *Primum igitur, ſi tamen ſtomachi firmitas patitur, donec puellares annos tranſeas, aquam in potu ſume, quæ natura frigidiſſima eſt: aut, ſi hoc imbecillitas prohibet, audi cum Timotheo: Vino modico utere propter ſtomachum, & frequentes tuas infirmitates. Deinde in ipſis illis calida queq; devita; non ſolum de carnibus loquor, ſuper quibus vas electionis profert ſententiam: Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum: ſed etiam in ipſis leguminibus inflantia queq; & gravia declinanda ſunt: nihilq; ita ſcias conducere Chriſtianis adoleſcentibus, ac eſum olerum.*

Vinum & adoleſcentia duplex incendium voluptatis eſt &c. Hieronym. *ad Euſtoch de cuſtod. virgin.* p. 137. *a.* Cujus mater tamen etiam ægrotans nullo modo perſuaderi potuit, ut vinum tenue & parcum biberet. Hieron. *epitaph. Paulæ, p. 179. a.*

tium laborare. Et calida quidem ſiccaque intemperies facit, ut aſſumta corrumpantur: frigida ex adverſo & humida concoctionem non ſufficienter peragi facit. Fit videlicet per illam nimiam humiditatem, ut calor obtundatur, atque concoctio tantum inchoetur, non autem perficiatur. Præterea facit ventriculum juſto laxiorem. Unde non tantum non bene aſſumta ventriculus complecti poteſt, ſed inſuper facit, ut juſto diutius in ipſo ſubſiſtant & commorentur. Cujus rei luculentum exemplum in bibonibus deprehendimus; utpote quibus perpetua illa & in magna quidem copia potus ingeſtione ventriculus adeo relaxatur, ut tandem omnem cibum reſpuat. Fit videlicet per nimiam humiditatem hoc quoque, ut ventriculus nauſeabundus reddatur & ad vomitum ſit propenſus, tono ſuo deperdito.

Quum autem ventriculus alienis quoque auxiliis ad officium ſuum faciendum indigeat, & illa quoque quænam ſint conſtare debet. Ante omnia vero ſanguinis & cum eo calidi influxum neceſſarium eſſe planum eſt; utpote quum & vita & omnium partium actiones ſine illius præſentia non poſſint conſiſtere. Juvatur ulterius etiam concoctio à vicinis viſceribus ventriculo accumbentibus, & cumprimis quidem hepate, ut quod proxime ventriculo incumbat, & potiſſimam ejus partem amplectatur. Ab altera porro parte appoſitus eſt lien, & ipſi ventriculo ſubjectum pancreas. Quibus omnibus viſceribus quum magnus calor inſit, licet à corde ipſo quoque omnibus ipſis communicatus, non poteſt etiam non ab horum omnium vicinia ventriculi calor augeri. Ipſum quoque Colon inteſtinum & quæ in eo præcipue colliguntur fæces alvi procul omni dubio eapropter ventriculo ſubſtrata ſunt, ut illum ſuo quoque calore foverent, atque ita illa, quæ alias per

per ſeſe nullam corpori utilitatem præſtare poſſent, utpote mere recrementitia, per accidens tamen, quamdiu in corpore detinentur & commorantur, calore ſuo, quem inſignem habent, concoctionem juvarent.

Quando jam vel hæc omnia vel quædam minus recte ſe habent, non poteſt non ventriculi quoq; actio laborare. Et concoctio quidem debilitatur vel impeditur tum à laxiori ventriculo, ceu jam expoſitum fuit, tum ſi ille ſive proprio ſive alieno vitio juſto ſit frigidior. Cujus quidem cauſſam vulgo plerique in hepar referre ſolent, quod videlicet ſicuti iſtud vicus juſto ſit calidius, tum ventriculus debito ſit frigidior, utpote cujus calor ab hepate diſſipetur vel attrahatur. Verum quamvis hepatis calidam intemperiem cum ventriculi frigida intemperie quandoque conjungi non negem, & propterea quoque ventriculi concoctionem poſſe debilitari omnino concedam; nihilominus tamen ratio ejus longe aliter ſeſe habet, & illa quæ vulgo affertur cauſſa plane eſt futilis. Quum enim hepar, ceu modo dictum fuit, ventriculo proxime incumbat, non poterit etiam non prout magis vel minus calidum fuerit, ventriculum quoque vel magis vel minus calefacere. Attractio certe iſta caloris contra ipſos ſenſus eſt: ne alia nunc adducam. Fit autem per hepatis calidam intemperiem, ut ventriculi calore aucto aſſumta potius in eo corrumpantur. Præterea etiam, quod tum in ventriculo quoque calida & ſicca intemperies excitetur, fit, ut cibi appetitu proſtrato, ſitis potius præternaturalis inducatur.

Quibus ita expoſitis facile jam patet, quam ob cauſſam debiliori, hoc eſt, juſto frigidiori ventriculo vinum commendetur. (Per frigus autem h. l. non excluditur omnis caliditas:

Omnino hæc (divitias ac delicias) *in te deſpice atque contemne, ne in iis quicquam requiras præter integram corporis valetudinem. Hac enim*

tas: ſed frigiditatis nomine debilior calor indicatur. Quæ loquendi ratio uſitatiſſima eſt, & ipſi quoque Ariſtoteli frequentiſſima, ceu ipſe expreſſe monet *lib. 4. Meteorol.* Nec enim quidquam moramur iſta, quæ contra iſtam noſtram explicationem operosè diſputat Theodorus Collado *parte 1. lib. 1.* ſuorum *adverſariorum*, ubi de pinguedinis cauſſis contra Andream Laurentium diſputat. (Tali inquam ventriculo cur vinum conducat, liquido patet. Quum enim omne vinum potentia ſit calidum, præterea etiam vim obtineat ſiccandi, id quod ſuperiori ſæculo recte primus adſtruxit Antonius Fumanellus & poſtmodum in illa controverſia arbiter electus uberius adhuc confirmavit Hieronymus Fracaſtorius:) propterea quoque laxum & frigidorum ſive caloris inopia laborantem ventriculum non poteſt non inſigniter juvare: cumprimis ſi ventriculus totumque corpus, ceu in iſto affectu fieri ſolet, cruditatibus refertum & pituitoſum fuerit. Quæ quidem ventriculi infirmitates multum adhuc augentur, ſi reliqua quoque victus ratio ſit talis, ut ejusmodi humores inde progignantur. Id quod cumprimis fieri ſolet, ſi quis etiam multis herbis & talibus cibis veſcatur, quales gentibus meridionalibus & orientalibus ex antiqua & longa conſuetudine hodie-

---

contemnenda non eſt propter neceſſarios uſus hujus vitæ, antequam mortale hoc induatur immortalitate, hoc eſt vera & perfecta & perpetua ſanitate, qua non temporali deficiens infirmitate, corruptibili voluntate (an *voluptate* legendum) *reficitur, ſed cœleſti firmitate perſiſtens æterna incorruptione vegetatur. Nam & ipſe Apoſtolus: Carnis, inquit, providentiam ne feceritis in concupiſcentiis: quia gerimus curam carnis, ſed ad neceßitatem ſalutis. Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſicut item ipſe dicit. Hinc eſt enim quod Timotheum, nimium, ſicut apparet, corporis caſtigatorem admonet, ut modico vino utatur, propter ſtomachum & frequentes ſuas infirmitates.* Auguſtinus *epiſt. CXXI. cap. III.*

hodieque maxime ſunt familiares; qui quales ſint vel ex unius Petri Bellonii *obſervationibus* ſatis poteſt diſci.

Multum autem virtus illa vini, ventriculum ſcil. roborandi & concoctionem juvandi, augetur, ſi generoſum & (ut hodie loquimur) ſpirituoſum fuerit. Qua in re palmam inſuper obtinet Spiritus (quem vocant) vini, utpote quô inſignem caliditatem tantum guttulis aliquot aſſumtis univerſo corpore percipimus. Non parum quoque facultas illa intenditur, ſi vinum actu calidum & ſuper ignem calefactum aſſumitur. Id quod in aliorum quoque alimentorum & ipſorum etiam ciborum aſſumtione manifeſto deprehendimus. Cujus rei cauſſam ut ſeorſim expediamus, non eſt opus, quum per ſeſe omnibus ſit manifeſta.

Quod autem de vino diximus, idem de cereviſia quoque & hydromelle ſive Medone ſimul intelligi debet; utpote quorum multis tanta virtus quoque calefaciendi inſit, ut cum vino ſæpe poſſint venire in contentionem. Quin potus ejusmodi ſive vina factitia noſtrarum gentium Septentrionalium corporibus magis convenire atque vina ipſa, omnino ſumus perſuaſi.

Sed nec poſtremo heic negligendum eſt, quod de aquæ potu Timotheo uſitato divinus Apoſtolus meminit. Eſt videlicet potus ille ut maxime naturalis, ita gentibus non illis tantum ſed in univerſum omnibus, quibus vitis frequenter colitur, ab omni ævo uſitatiſſimus. Naturæ quoque legibus illum maxime eſſe conſentaneum, tum in *phyſiologicis*, tum *diæteticis* fuſius oſtendimus.

Præterea vel hinc illud quoque liquet, vinum revera

 non

Conſilium illud Pauli ſecutus Auguſtinus etiam in menſa ſua frugali & parca ſemper vinum habuit, quod Poſidonius ſcribit. *l. de vita & moribus Auguſtini, c. 22.*

Digitized by Google

non eſſe potum ſimpliciter alimentarium, ſed reapſe medicamentoſum: nunc quidem magis, nunc minus, prout vel tenuitus vel præſtantius fuerit. Id quod de omni quoque potu factitio ſimul volumus intelligi. Unde porro & illud quoque ſponte ſua patet, revera potus illos, quibus gentes cumprimis Europææ utuntur, præſertim ſi citra diſcrimen & in juſto majori copia ingerantur, non poſſe non multum valetudinem corporis immutare, atque ita variis morbis dare occaſionem: quæ omnia usque adeo quotidianis exemplis comprobantur, ut illud ipſum illuſtrare velle ſit incaſſum verba fundere. Quod tamen nequaquam ita volumus acceptum, quaſi & vini & aliorum ſimilium potuum uſum promiſcue damnemus; imo bene multis omnino illos eſſe porrigendos ipſimet cenſemus. Tantum promiſcuum eorum uſum, tanquam certum valetudinis longe plurimorum hoſtem, non poſſumus non improbare.

Ad Roman. XI. ℣. 10.

De cæcitatis cauſſis ſupra egimus ad Matthæum. Quod vero h. l. de obtenebratione viſus ſive occæcatione dicitur non pertinet ad naturales cauſſas ſed ſupernaturales. Quomodo vero ejusmodi miraculoſa & ſupernaturalis occœcatio fiat, ut ſcil. oculo ſalvo objecta tamen non videantur, valde difficile eſt expoſitu. An nempe objectis ipſis aliquid inſtar veli obtendatur, an vero & objectum & ejus ſpecies prohibeantur ab oculo percipi, vel quocunque tandem alio modo fiat, definire non poſſumus. Ideoque tantum ſufficit factum ipſum, quum cauſſæ ejus rei noſtræ ſcientiæ denegentur. Habemus autem ejusmodi divinæ occœcationis vel potius obtenebrationis viſus duo inſignia exempla in ſacro volumine: alterum *Geneſ. XIX. v. 11.* ubi vid. Calixt. *II. ſive IV. Regum VI. v. 18.* Sed nec ex recentiori

Digitized by Google

tiori adeoque noſtri quoque ævi hiſtoria & experimentis ſimilia deſunt, ſed quæ nunc adducere nihil attinet.

Ad Capitis ejusd. ℣. 17.

Nihil hodieque etiam notius eſt iſtiusmodi inſitione, ut videlicet ramus quidam ex una arbore decerptus in alram & alterius quidam ſpeciei implantetur: id quod *traducem* veteres nominaverunt. Præterea ab ejusmodi inſitione ſive traductione non ſolum magnæ varietates ſtirpium & earum fructuum producuntur, ſed etiam ſæpe fit, ut nova quædam ſpecies arborum vel aliarum plantarum oboriatur. Quomodo mala aurantia per ejusmodi conjunctionem citri arboris & punicæ producta eſſe, eleganter peculiari quodam libello, ſed inventu longe rariſſimo oſtendit Nicolaus Monardes. Sunt autem varia genera iſtius inſitionis, quæ inter alios deſcripſit Petrus Laurenbergius.

Notandum vero, circa inſitionem iſtam præter multa alia, quæ nunc non recenſebimus, illud quoque cumprimis debere obſervari, ut convenienti loco & parte arboris inſitio inſtituatur, & cumprimis quidem circa internodia; quod videlicet illa parte principium aliquod vitæ arboribus omnino inſit. Hinc etiam eſt, quod illa præcipue parte frondes & rami ſoleant prodire & emitti. Rite vero peracta inſitione fit, ut tradux radices quasdam emittat, & ita quidem, ut eæ vel cum medulla vel cortice iſtius arboris, in quam inſeritur, conjungantur & coaleſcant. Certe niſi id fiat, non tantum tradux perit, ſed & ipſa quoque arbor. Præterea parte illa, ubi inſitio facta eſt, tumor quidam oboritur, quod videlicet vaſis vulneratis alimentum ad illam partem maxime feratur, & præterea fermentatio quædam accedat. Atque ita fit, ut ex duabus diverſæ quoque ſpeciei arboribus una quædam confiat.

Digitized by Google

Ad Roman. XIV. ℣. 2.

Per olera ſive λάχανα denotatur omnis illa herba, quæ foliis & caulibus ſuis eſt eſculenta, & in rem cibariam venit. Valde enim falluntur, qui per *olera* tantùm illam ſpeciem intelligunt, quam nos Kohl appellamus. Debet autem illud quoque notari, quod vox illa Kraut / qua B. Lutherus uſus eſt, non ſatis exprimat amplitudinem tam Græcæ, quam Latinæ vocis. Certe ſi vocem illam Germanicam eo ſenſu quis accipere velit, quo apud ſuperiores Germanos plerumque ſumitur, committeretur idem illud, quod modo indicatum fuit. Solent videlicet illi voce Kraut / quam maxime vulgo denotare braſſicam albam capitatam ſive ſeſſilem; quæ ſpecies quidem eſt oleris, non tamen ſola. Si quis autem varias olerum ſpecies cognoſcere cupit, poterit pleraſque omnes, cumprimis quæ hodieque noſtris gentibus in uſu ſunt, una cum earum qualitatibus recenſitas & expoſitas legere apud doctiſſimus viros Joan. Bruyerinum *l. 8. de re cibaria* & Melchiorem Sebizium *lib. 2.* inſignis operis *de alimentorum facultatibus c. 7.*

Ad I. Corinth. III. ℣. 2; Hebr. V. ℣. 12. & ſeq. I. Pet. II. ℣. 2.

Diverſitas hæc alimentorum nemini non eſt nota vel ex quotidianis obſervationibus. Quod autem ipſam iſtorum diverſorum alimentorum naturam & vim alendi concernit, minus fortaſſis omnibus eſt cognitum. Scil. quo debilior fuerit ventriculus, eo quoque facilius concoctu alimentum ipſi eſt ingerendum, quum illa quæ ſunt δυσπεπτότατα, vel alias non facile ſolvi & alterari poſſunt, non conveniant; quod nempe caloris non ſit tanta vis, ut illa ſufficienter poſſit ſubigere.

Hieronymus tomo III. edit. Froben. *ad Marcellam*, de Rheticii Auguſtudunenſis Epiſcopi commentariis in Canticum canticorum:

Digitized by Google

corum: *Fruſtra ergo à me ejuſdem viri commentarios poſtulas, cum mihi in illis diſpliceant multo plura, quam placeant. Quod ſi oppoſueris, cur cæteris dederim: audies, non omnes iiſdem veſci debere cibis. Jeſus in deſerto plures hordeaceis panibus paſcit, frumentaceis pauciores. Corinthii in quibus audiebatur fornicatio, qualis nec inter gentes, lacte paſcuntur, quia nec dum poterant ſolidum cibum capere. Epheſii autem in quibus nullum crimen arguitur, ab ipſo Domino cœleſti veſcuntur pane, & ſacramentum, quod à ſeculis abſconditum fuerat, agnoſcunt.* Idem lib. XIV. comment. in Eſaiam ad cap. LV. p 2. p. 403. c. 1. *Quod vinum miſcuit & ſapientia in cratere ſuo: omnes ſtultos ſeculi mundique ſapientiam non habentes, provocans, ad bibendum: & ut non ſolum vinum emamus, ſed & lac, quod ſignificat innocentiam parvulorum. Qui mos ac typus in Occidentis eccleſiis hodie uſque ſervatur: ut renatis in Chriſto, vinum lacq; tribuatur. De quo lacte dicebat & Paulus: Lac vobis potum dedi, non ſolidum cibum. Et Petrus: Quaſi modo nati parvuli, rationale lac deſiderate.*

Obſervantiam hoc diſcriminis, quod Kraut *in prandio dent,* Kohl *in cœna. Eſt & differentia,* Kohl *eſt nitroſior & dulcior altero. Præterea* Kohl *non conditur: at* Kraut *eſt id, quod* Saurkraut *poſt inciſuram vocatur.* Hofmann De Medicam. Officin. l. II. c. 41. *Condiuntur aut integra capita, & vocantur in Thuringia Compoſt, quaſi Compoſita braßica: aut tenuiſſime conciſa, cujus aqua cum effunditur, adeò fœtet, ut circumfuſum aërem inficere queat, ut Cluſius loquitur Not. in Bell. Ab hac conditura tantò minor ſpes eſt boni ſucci, quo crudior infertur menſis. Dicunt enim mulierculæ, non debere cocturam procedere ultra id, quod creparit ſub dentibus. Aliæ quæ diſſident, laudant bis coctam. Tantus eſt diſſenſus ab iis qui dicunt, crambe bis cocta mors. Præcipua correctio eſt, ut natet in pinguedine,* das gleiſt. *Hoc quia egregiè præſtat caro porcina, jocari ſolebat hoſpes quidam meus in hac Academia,* es ſey kein Kraut gut/ es ſey denn ſäwiſch gekocht. Idem Inſtit. Medic. l. V. c. XII. §. 5.

Loquere quod credis: publicè prædica, quod ſecreto diſcipulis loqueris. Qui dicis te habere arbitrii libertatem, quare non liberè, quod ſentis, loqueris? Aliud audiunt cubiculorum tuorum ſecreta, aliud roſtrorum populi. Etenim, vulgus indoctum non poteſt arcanorum tuorum onera ſuſtentare, nec capere ſolidum cibum, quod infantia lacte contenta eſt. Hieron. adv. Pelag. ad Cteſiphontem.

Jam vero inter omnia illa quæ nutritionis ergo ore aſſumuntur, nihil eſt, quod æque facile in ventriculo poſſit confici atque lac. Qua etiam de cauſſa infantes & fœtus multorum brutorum lacte primum ſuſtentantur. Licet enim lac non ſit chylus, ceu multis hodie viſum, ſed potius ex imperfectiori ſanguine generetur; id quod jamdudum peculiari diſputatione oſtendimus, quidquid contra conatus fuerit Deuſingius, fuſius autem adhuc alibi probabimus: nihilominus tamen facillime in perfectum ſanguinem commutari poteſt, utpote à quo non niſi gradu differat, quum alias plane ex iisdem partibus uterque humor conſtet; id quod cuivis pro lubitu explorare licet. Quum autem tale alimentum ſit lac, quod videlicet omnium leviſſime immutetur, & præ aliis cito facillimeque poſſit alterari & in ſanguinem commutari, non obſcurum amplius eſſe poteſt, quid ſimilitudine illa inde petita Apoſtolus ſibi velit.

Debet autem illud quoque obſervari, per βρῶμα ſive eſcam cum omne aliud alimentum denotari; tum præcipue ſolidiorem cibum, utpote qui & ipſo ore prius eſt præparandus, & deinde in ventriculo diuturniori quoque mora & confectione indiget. Nam juſcula, potus cocti, offæ, quæque hujus generis alia ſunt, liquida alimenta, longe citius quoque poſſunt confici, atque ita hac quidem parte cum lacte conveniunt. Ad quæ proinde Apoſtolum βρώματος voce non reſpexiſſe, ſed ſolidiorem potius cibum innuiſſe, ipſa res non obſcure loquitur.

Ad Galat. III. ꝟ. 1.

Quid Apoſtolus voce βασκανῦ ſive *faſcini* ſibi velit, in aperto eſt. Nihil aliud videlicet vult dicere, atque, quis vos decepit vel dementavit, aut vobis impoſuit? ſimilitudine

Digitized by Google

dine à Magicis ſceleribus deſumta. Videtur autem præterea voce illa ex Latina potius loquendi conſuetudine quam Græca eſſe uſus: vel etiam quod tum ſenſu iſthoc vox illa Græca uſurparetur, quum apud antiquiores Græcos, & ex quibus Lexicographi ſua dictionaria conficere ſolent, vox iſthæc, iſta quidem ſignificatione, non temere occurrat. Quidquid autem ſit, quo alludat Apoſtolus, clarum eſt.

Apud Latinos autem per faſcinum intelligebatur talis aliquis morbus vel calamitas quæ per incantationes inferretur. Unde deſumta eſt illa loquendi ratio, quando videlicet bona verba felici rerum ſucceſſui præfari volunt, ut *præfiſcine* hoc ſeſe dicturos, loqui ſoleant. Cui plane reſpondet noſtrum illud Germanicum, quando videlicet ſive hominem ſive aliud aliquod animal, ſive quamvis rem laudare volunt, ut talem formulam ſoleant adhibere, daß ſie es nicht beruffen. Id quod ex antiqua illa ſuperſtitione, vulgi animis radicitus in hærente, promanavit. Quin etiam peculiaris herba eſt, quam faſcinatis adhibere ſolent, quæ nomen quoque ſuum inde traxit: Beruffskraut. Fuit

Intuitu & oculis faſcinum poſſe inferri vulgo credunt. Tales olim Pſylli putabantur. Talem vultum plane deſcripſit Lucanus l. v.

Apoſtolum *uſum eſſe ſermone trivii, & ex opinione vulgi ſumſiſſe exemplum, qua de tenera ætati noceri dicitur faſcino*: Hieronym. *Commentar. in h. l.*.

Spurciſſima Baſilidis hæreſi ſæviente &c. Armagil, Barbelon, Abraxas. &c. ceteraq; magis portenta quam nomina; quæ ad imperitorum & mulierculárum animos concitandos, quaſi de Hebraicis fontibus hauriunt, barbaro ſimplices quoſq; terrentes ſono, ut quod non intelligant, plus mirentur. Hieronym. *ad Theodoram epitaph. Lucinii p. 196. c. Quæ ridicule commentus eſt Valentinus & Marcion, hujusmodi præſtigiis verborum,* *plebecula*

Fuit videlicet jam olim vulgo perſuaſum, quoſdam homines adeo eſſe malignos, ut verbis etiam iiſque bonis alteri vel rei cuipiam nocere poſſint. Qua etiam de cauſſa ad faſcinum avertendum obſcœna reſponſione tales laudatores excipere ſolent. Perſuaſi videlicet, tum verba illa ſive faſcinum nihil damni afferre poſſe.

Quamvis autem hæc & ejusmodi complura alia revera ſint ſuperſtitioſa & cacodæmonis fraude vulgi animis per longam à Majoribus acceptam traditionem inſita, quin tamen per incantationes & verba quædam Magica Deo permittente, plurima eaque graviſſima damna nullis fere non naturalibus rebus inferri poſſint & ſæpe inferantur, ſtupidum fuerit dubitare: quum omnis ævi adeoque quotidiana etiam experientia omnia iſthæc nimis comprobet. Fiunt videlicet hæc, non vi vel verborum, vel ſymbolorum, vel ſignorum, plerumque etiam ridiculorum, aut alias ex ſeſe innoxiorum nihilque valentium, quæ ab incantatoribus adhiberi ſolent; ſed Cacodæmonis concurrentis, & ſive verbis ſive ſignis iſtis tanquam inſtrumento quodam utentis. Non ſecus videlicet atque ipſe ſacroſanctus Baptismus non agit

---

plebecula ſimplici & imperitæ conans imponere? quæ peregrina magis miratur, & quæ minus intelligit, plus credit habere myſterii. Unde qui ridiculas profitentur artes, magiam notoriam, Græca quædam & Hebraica, nonnulla conficta vocabula inculcant nihil ſignificantia. Deſid. Eraſm. *in Schol. ad Hier.*

Lucianus in Νεκυομαντεία Tom. II. p. 85. *At Magus interim accenſam facem tenens haud amplius jam ſummiſſo murmure, ſed voce quam poterat maxima clamitans, dæmones ſimul omnes convocat, Pœnas, Erinnyes, Hecatem nocturnam, excelſamq; Proſerpinam: ſimulq; polyſyllaba quædam nomina barbara atq; ignota commiſcet.* Ita enim Thomas Morus ἄσημα ὀνόματα reddit quæ quis rectius *nihil ſignificantia*, nempe ex ſeſe, interpretaretur. Plurima talia congeſſit Joh. Freitagius Noct. Med. cap. 38. unde

unde nunc hæc adjiciemus: *Memini cum literas in ludo literario Tremoniæ puer addiſcerem, toti vulgo notiſſima & tritiſſima fuiſſe hæc verba: ara, ſara, ſorſa, cruca, tuxa, morſa; illa acclamare ſolebant pueri prodeuntibus in plateas vetulis ſuſpectis; quæ Lamiæ eſſent non poterant, (uti vulgus ibidem arbitratur) quin inſolenter & cum ſtomacho reſponderent, & in oggannientes pueros inveherentur.* De talibus loquitur etiam Hieron. in vita Hilarionis: *Ejusdem Gazenſis emporii oppido virginem Dei vicinus juvenis deperibat. Qui cum frequenter tactu, jocis, nutibus, ſibilis, & cæteris hujuſmodi, quæ ſolent moritura virginitatis eſſe principia, nihil profeciſſet, perrexit Memphim, ut confeſſo vulnere ſuo Magicis artibus rediret armatus ad virginem. Igitur poſt annum doctus ab Æſculapii vatibus, non remediantis animas, ſed perimentis, venit præſumtum animo ſtuprum geſtiens & ſubter limen domus puellæ tormenta quædam verborum, & portentoſas figuras ſculptas in æris cyprii lamina defodit. Illico inſanire virgo, & amictum capitis abjecto rotare crinem, ſtridere dentibus, inclamare nomen adoleſcentis. Magnitudo quippe amoris ſe in furorem verterat.* Graphica quoque extat veneficii deſcriptio apud Lucan. lib. 6. de bello Pharſal. ubi ipſi Erichtho his characteribus depingitur: *Illi namq; nefas urbis ſubmittere tecto, aut laribus ferale caput, deſertaque buſta Incolit, & tumulos expulſis obtinet umbris, Grata deis Erebi, cœtus audire ſilentum, Noſſe domos ſtygias, arcanaq; Ditis operti. Non ſuperi, non vita vetat, tenet ora profanæ Fœda ſitu macies, cœloq; ignota ſereno. Terribilis ſtygio facies pallore gravatur Impexis onerata comis. Si nimbus, & atræ Sydera ſubducunt nubes, tum Theſſala nudis Egreditur buſtis, nocturnaq; fulgura captat. Semina fœcunda ſegetis calcata peruſſit, Et non letiferas ſpirando perdidit auras. Nec ſuperos orat, nec cantu ſupplice numen Auxiliare vocat, nec fibras illa litantis Novit, funereas aris imponere flammas Gaudet, & accenſo rapuit quæ thura ſepulchro.* Et poſt pauca: *Illa magis magisq; Deis incognita verba Tentabat, carmenq; novos fingebat in uſus.* Vide porrò de incantationibus Joh. Rudolphi Lavateri diſquiſitiones Philoſophicas, diſquiſ. 16.

Digitized by Google

agit niſi vi ſymbolica, quum ex ſeſe ad peccatorum ablutionem nihil quidquam præſtare poſſit. Quemadmodum præclare obſervatum eſt ab Ampl. noſtro Conringio tum alias, tum etiam diſputatione *de morbis ex incantatione ortis*. Quibus utiliter quoque addi poſſunt, quæ de hac re in elegantiſſimo ſuo, *de eo quod divinum eſt*, libro ſtudioſe collegit noſter quondam Hieronymus Jordanus. Quemadmodum ceremonias & ritus à Magis & Veneficis adhiberi ſolitos præ aliis perſpicue recenſet Nicolaus Remigius in præclaro *de Dæmonolatria* opere.

Digna quoque eſt, quæ legatur exigua quidem, ſed perdocta diſputatio *de magicis actionibus* Martini Biermanni, ante LXXII. annos in hac ipſa academia habita; quæ usque adeo ſeſe doctis viris probavit, ut tertium edita ſit Wittebergæ anno hujus ſæculi ſexto, & adjuncta Tobiæ Tandleri orationi *de faſcino & incantione*, itidem doctæ quidem, ſed à qua, quod ad rem ipſam pertinet, in plerisque omnibus cogor diſſentire. Sic uti nec illud in Biermanniana ἐξετάσει placet, quod verbis & characteribus magicis vim omnem denegat. De qua re plura jam tum hic, tum ſupra in medium ſunt allata, moxque ſubjungentur.

Non deſunt quidem, cumprimis ex illis, qui Calvini doctrinam ſequuntur, doctiſſimi alias & prudentes viri, qui verborum & ſymbolorum à Magis adhiberi ſolitorum vim plane rident, quod videlicet nulla facultas nocendi ipſis ineſſe poſſit. At vero boni illi viri diſtinguere debebant inter vim verbis & ſymbolis ſive ſignis iſtis naturaliter & ex ſeſe competentem, & illam quæ vi pacti diabolici ſub iſtis ſignis vel verbis deliteſcentis continetur. Qua in re quoque ſibi non cavit Ludovicus Lavaterus in nunquam alias ſatis laudato tractatu *de Spectris, Lemuribus, & variis*

præſagi-

Digitized by Google

præſagitionibus. Multi quoque ex ipſis illis experientia edocti hac in re ſententiam ſuam mutaverunt.

Scilicet quod ad verba iſta, quibus vis faſcinandi vel ineſt, vel ineſſe creditur, pertinet, notari debet (ceu modo dicebamus) non eandem eſſe rationem vulgarium illorum, & eorum quæ vi pacti diabolici uſurpantur. Tales enim laudationes vel quæcunque aliæ loquutiones externo innoxiæ ſunt, nec quidquam nocere poſſunt. At vero longe aliter comparatæ ſunt, quæ vim habent magicam. Quæ ipſæ tamen non ſunt unius ſemper generis. Quædam nudæ ſunt & ſine aliquo ritu adhibito prolatæ: quædam verò in certam formulam redactæ ſunt, nec niſi peculiaribus ceremoniis adhibitis proferuntur. Cujus generis ex antiquo ævo inſigne exemplum habemus *pharmaceutria* Virgilii. Qualia etiam artificia diabolica nec noſtro ævo ſunt ignota. Variabant præterea & formulæ Magicæ & ipſi

Superſtitioſum eſt, quicquid inſtitutum eſt ab hominibus ad facienda & colenda idola, pertinens vel ad colendam ſicut Deum creaturam partemve ullam creaturæ, vel ad conſultationes & pacta quædam ſignificationum cum dæmonibus placita atq; fœderata, qualia ſunt molimina magicarum artium, quæ quidem commemorare potius quam docere aſſolent poëtæ. Ex quo genere ſunt, ſed quaſi licentiore vanitate, haruſpicum & augurum libri. Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ, atq; remedia, quæ Medicorum quoq; diſciplina condemnat, ſive in præcantationibus, ſive in quibuſdam notis, quas characteres vocant: ſive in quibuſdam rebus ſuſpendendis atq; alligandis, vel etiam ſaltandis quodammodo, non ad temperationem corporum, ſed ad quaſdam ſignificationes, aut occultas, aut etiam manifeſtas: quæ mitiori nomine phyſica vocant, ut non quaſi ſuperſtitione implicare, ſed natura prodeſſe videantur: ſicut ſunt inaures in ſummo aurium ſingularum, aut de ſtruthionum oſſibus anſulæ in digitis, aut cum tibi dictum ſingultienti, ut dextera manu ſiniſtrum pollicem teneas. Auguſtinus l. 2. de doctr. Chriſt. c. 20. Quod pluribus

ipſi ritus, pro ipſius rei, propter quam inſtituebantur, nefaria iſthæc ſacra diſcrimine. Ex quibus omnibus maxime horrendæ fuerunt iſtæ devotiones & imprecationes, quando quis diris devovebatur: cujus paſſim in hiſtoria veteri & cumprimis in hiſtoria Marci Craſſi exſtant exempla. A quibus non alieni erant iſti ritus & formulæ, quæ in jurisjurandi præſtatione à gentilibus uſurpabantur. Quæ quales fuerint apud Romanos, notum eſt vel ex gentis illius antiquitatum collectoribus. Qui tamen ritus & formulæ cum Magicis nequaquam debent confundi: quales etiam hodie apud Chriſtianos ex parte in uſu ſunt.

Tantum inde hoc elucet, quam ſæpe talia vim à ſuperioribus conſequantur, atque ita in ipſorum illorum quoque exitium vergant, qui non conſentiente vel advertente animo ſaltem in ſpeciem iis utuntur. Ut vel hinc appareat,

---

pluribus eodem & ſequentibus aliquot capitibus perſequitur. annumeratis genethliacis, *cap. 22.* hæc omnia *ad quaſi quædam cum dæmonibus pacta & conventa refenda eſſe* ſcribens. Et *cap. 24. Quæ omnia tantum valent, quantum præſumptione animorum, quaſi communi quâdam lingua, cum dæmonibus fœderata ſunt.* Et quæ ſequuntur. Item *cap. 29. Aliud eſt dicere, tritam iſtam herbam ſi biberis, venter non dolebit: & aliud dicere, iſtam herbam collo ſi ſuſpenderis, venter non dolebit.* Ibi *enim probatur contemperatio ſalubris: hic ſignificatio ſuperſtitioſa damnatur. Quamquam ubi præcantationes & invocationes & characteres non ſunt, plerumq; dubium eſt utrum res quæ alligatur aut quoquo modo adjungitur ſanando corpori, vi naturæ valeat, quod libere adhibendum eſt, an ſignificativa quadam obligatione proveniat, quod tanto prudentius oportet cavere Chriſtianum, quanto efficacius prodeſſe videbitur. Sed ubi latet qua cauſa quid valeat, quo animo quiſq; utatur intereſt, duntaxat in ſanandis vel temperandis corporibus, ſive in medicina, ſive in agricultura.*

Digitized by Google

pareat, ne per jocum quidem talibus formulis imprecatoriis vel devoventibus eſſe utendum.

Ubi & illud apprime obſervandum, tum alias magorum & ſagorum etiam in nullam certam formulam redactas loquutiones, tum laudationes quoque & blanditias, nocendi tamen animo uſurpatas & inſtitutas, præcipue eſſe efficaces, ſi illius corpus veſte licet tectum, ſive homo ſive brutum ſit, cui malum inferre volunt, manu palpent & contingant. Procul dubio, quod ſigni vicem illud tum ſubeat.

Ritibus autem iſtis Magicis omnino demum adſcribi quoque debent circuli & characteres, quibus incantatores & adjutores Magi ſeſe includere & iis uti ſolent, quorumq; paſſim plena eſt hiſtoria, nec veſtigia hinc inde deſunt. Inſigne ſane exemplum hodieque ſupereſt in Cœnobio Walkenredenſi, illo loco ad vetus collapſum templum, ubi quondam Monachorum dormitorium fuit, qui hodieque die Zauberey audit. Valde quippe falluntur, qui ejusmodi characteres & circulorum miras interſectiones pro Mathematicis ſchematibus habent. Illic certe Magica illorum virtus inſigni quondam experimento comprobata fuit, in alumno ejus loci nihil minus opinante, Scholæ Rectorem agente Henrico Ecſtormio. Id quod ab ipſomet, cui hoc obvenerat, tum ſene, eccleſiæ in vicinia monaſterii miniſtro, accepi, loco etiam ipſo coram inſpecto. Similis autem plane virtus ineſt quoque Characteribus iſtis, quos vel chartæ vel laminæ vel alteri rei inſcriptos ſecum circumferre ſolent nonnulli, ad corpus ab omni hoſtili injuria violentia immune præſtandum, & ad quosvis ictus eludendos. Quin tanta interdum vi pacti diabolici ineſt potentia, ut inſcii quoque effectum ejus ſentiant. Quomodo equi, infantes quoque, & pueri tale quid non raro patiuntur.

tur. Id quod exemplis nunc operoſe non probabimus, quum ſatis ſufficiat ad rei demonſtrationem vel illud, quod cis paucos annos Paterbornæ contigit. Imo nudæ quoque formulæ magicæ, etiam ab inſciis & nihil minus agentibus, lectæ aut prolatæ, ſæpe vi & efficacia ſua non carent.

Ut vel hinc nimis luculenter appareat, quam valde caute hac in parte nos gerere debeamus; quamque graviter fallantur, qui iſtiusmodi formulis & ritibus Magicis vim omnem denegant; quamque nunquam non Deo unice & nos & noſtram ſalutem ardentibus precibus debeamus commendare. Sane qui hæc omnia vel in dubium vocare vel irridere non dubitant, tanto periculoſius hallucinantur, quanto latentius eo ipſo Cacodæmon illos aggreditur. Fit enim inde, ut & de geniorum certitudine dubitent, & porro ad illa quoque neganda delabantur, quæ æternam ſalutis jacturam ſecum trahere poſſunt. Ut & ſecuritas illa & contemtus inter occulta Satanæ ſtratagemata jure merito debeant recenſeri.

Ad II. Timoth. II. ℣. 17.

Sunt nonnulli effectus, ut aliorum viventium ita humanum cumprimis corpus ſenſim depaſcentes, ita ut ab uno loco primo omnium affecto malum viciniæ communicetur, & illa ad eum quoque modum afficiatur. Id quod primo faciunt venena & omnes morſus & punctus venenati, ipſa quoque peſtilentia. Deinde cumprimis id obſervare licet in quibusdam ulceribus vel levioribus etiam exulcerationibus. Cujus generis præcipue eſt ἕρπης, ſerpens ſive ſerpigo propterea nuncupatus, quæ talis eſt cutis affectus, ut in una quidem parte exulceratio incipiat, ſubinde ta-

Vide etiam de incantationibus Petri Aponenſis *Concil. differ.* 156. & ibi *Caſtig.* Symphoriani Campegii, Joan. Fr. Pic. *l.7. de praenot. c.7.*

de tamen magis magisque prorepat, & ita malum per viciniam late diſpergat.

Talis autem herpetis variæ porro ſunt ſpecies, prout affectus ipſe gravior aut levior eſt, & magis minusve ſubjectas partes afficit & lædit. *Primo* enim datur herpes miliaris, præ omnibus aliis vulgaris, omnium tamen leviſſimus; quando videlicet ſumma cutis levem exulcerationem patitur, exſurgentibus minimis & milii ſimilitudinem referentibus puſtulis: quæ ubi ſiccatæ fuerunt; mox novæ prodeunt, & ita quidem ut ſimul latius puſtulæ & exulceratio illa ſeſe didant. Qui affectus quod ſubinde reverti & ſimul latius ſeſe diſpergere ſoleat, Germanice Kehrwieder appellari ſolet. *Deinde*, gravior eſt ille herpes, qui puerorum faciem & caput infeſtare ſolet, quem vulgo den Heers-brand appellant, qui & majorem caliditatem adjunctam habet, & altius in cutem penetrat difficiliorque eſt curatu. Longe gravior *tertio* eſt herpes ἐσθιόμενος ſive exedens, ut qui carnem quoque cuti ſubjectam depaſcatur. Quas omnes herpetis ſpecies *quarto* ſuperat Φαγέδαινα, utpote tantæ virulentiæ, ut ad ipſa usque oſſa penetret.

Eſt autem in omni herpete *primo* acris & corrodens humor; qui *deinde* tanto majorem acrimoniam acquirit, quanto diutius partem infeſtat: unde una herpetis ſpecies in aliam temporis ſucceſſu poteſt degenerare & tranſire. *Tertio* contagioſi quoque quid iſti humori ineſſe non eſt dubitandum: ita videlicet appellando, quod vicinam quoque partem invadere & lædere poteſt. *Quarto* in herpete loco primo omnium affecto aliquid inſtar fermenti quoque imprimi ex eo non obſcure colligitur, quod facillime recurrat, & quo longius & diutius in parte hæſerit, tanto altiores agat radices difficiliusque poſſit exſtirpari. Præter hæc autem *quinto* cumprimis id obſervare licet in gangræna:

græna: & tanto quidem magis, quanto celerius univerſum corpus invadere & homini vel alteri animanti perniciem afferre illa poteſt.

Eſt autem gangræna nihil aliud atque incipiens ſive fiens partis corruptio aut mortificatio. Dico incipiens ſive fiens, ut à Sphacelo diſtinguatur. Hic enim ſi partem aliquam corripuit, plane nullus amplius curationi locus relictus eſt, ſed ſimpliciter pars illa eſt reſcindenda, ne videlicet in communem ruinam pars ſincera trahatur. Quapropter etiam gangræna in eo duntaxat à Sphacelo differt, quod gangræna adhuc medelam admittat, modo tempeſtive id fiat, nec occaſio quæ hic cumprimis valde eſt præceps negligatur. Eſt videlicet gangræna ille affectus, quem vulgo noſtrates den Kaltenbrand appellare ſolent: quamvis illa vox ita quoque vulgo capiatur, ut ſphacelum etiam ipſum denotet.

Nonnulli gangrænam Cancri nomine afficiunt: etiam Salvianus. Qua etiam de cauſſa in nonnullis Lexicis tum Germanicis tum Gallicis gangræna per Cancrum exponitur. Id quod tamen male fieri, recte obſervavit in præclaro ſuo *Nomenlcatore* Hadrianus Junius. Talia vero Lexica, vel etiam idioma vernaculæ ſuæ linguæ B. quoque Lutherum in hujus loci interpretatione ſecutum eſſe manifeſtum eſt. Minus tamen commode id fieri, ex utriusque affectus collatione patet. Etenim gangræna eſt partis incipiens corruptio, & intra breviſſimum tempus in ſphacelum mutatur: cancer vero eſt tumor quidam, ita vocatus

Optime malagma vel fibula calidis adhuc vulneribus imponitur, & citius ſibi plagarum caro ſociatur, quæ non diu hiare permittitur. Vlcus quippe in corpore ſi computruerit, dilatatur: & ſi plagas cancroma ſequitur, cancrum neceſſe eſt conſequatur occaſus. Salvianus *l. 1. cont. avarit. p. 37. & 38.*

vocatus, quod propter vaſa obſtructa & præ aliis conſpicua cancri alicujus figuram refert; quum tamen talis affectus per complures annos hominem ſinere poſſit ſuperſtitem. Progreſſu quidem temporis & ille incrementum capit, quin imo niſi cito occurratur non eſt curabilis: at vero à gangræna plane eſt diverſus. Præterea exulceratus cancer citius quidem homini exitium affert: verum tum potius novus aliquis affectus accedit: nec mirum etiam eſt, ex uno affectu alium poſſe produci. Quapropter etiamſi gangræna cancrum exulceratum exciperet, nihilominus tamen cancer à gangræna eſt diverſus. Et vero fieri ſolet, ut cancer exulceratus in phagedænam vel ſimilem affectum tranſeat. Unde fortaſſis quoque eſt, quod noſtrates omnia maligna ulcera depaſcentia den Krebs aut einen freſſenden Schaden appellent.

Gangrænæ vero variæ ſunt cauſſæ. Nam 1. ex ſimplici quadam intemperie modum excedente poteſt oriri. *Deinde* ex maligna quadam & venenata cauſſa: ſive ab ipſo veneno vel venenato animali id fiat, ſive alias ab humore quodam qui in ipſo corpore malignam qualitatem adſcivit, (3) à contuſione quoque & prohibito influxu ſpiritus vel potius ſanguinis calidique nativi. Quæ omnia luculentis exemplis comprobare in promtu foret, niſi id jam abunde præſtitum eſſet à Guilhelmo Fabricio Hildano tractatu *de gangræna & ſphacelo*, qui omnino à quovis harum rerum cupido eſt inſpiciendus.

Ad I. Petri I. ℣. 7.

Quod h. l. de exploratione auri affertur, vulgo quidem quoque notiſſimum eſt, nihilominus tamen non tam ad probitatem auri explorandam, quam ejus depurationem pertinet: niſi forte potius tum temporis δοκιμασία quoque & probatio auri per ignem fuerit inſtituta; non-

 dum

dum videlicet cognita probatione per acum, quæ vulgo artificibus illis Streichnadel appellatur, quod probationis genus accurate expoſuit Lazarus Erckerus *deſcriptione omnium præcipuorum mineralium & metallorum* Germanice edita.

Quod vero ad ad probationem ſive δοκιμασίαν auri, quæ per ignem inſtituitur, attinet, non fit illa alio modo niſi per heterogeneorum ſegregationem. Id quod usque adeo manifeſtum eſt, ut revera fruſtra ſint, qui hac in parte aliquid innovare volunt. Præterea quò frequentius aurum ignem experitur, eò quoque magis magisque fit probum & ab omnibus alienis depuratur. Quod autem de auro aſſeritur, idem ſimul etiam de argento debet intelligi. Qua de cauſſa quoque inde ſimilitudinem deſumſit David *Pſalmo* XII. *v.* 7. Habent videlicet hoc duo illa metalla præ omnibus aliis, quod ab igne non conſumantur; ſed quo frequentius illi committuntur, eo ſemper puriora reddantur. Qua propter etiam neutrum præſtantiſſimorum horum metallorum rubiginem ſentit. Tingitur quidem interdum ab acribus humoribus, id quod etiam in vaſis argenteis & aureis obſervamus: at vero propterea non corroduntur, nec corrumpuntur; quod tamen reliquis omnibus metallis accidit. Cujus cauſſam in exquiſitiſſimam miſtionem recte referunt phyſici. Tantum hoc diſcrimen, quod huc pertinet, inter aurum & argentum notetur, quod ipſum quoque argentum licet difficillime, tandem tamen vi ignis conſumi & comburi poſſit, ſi videlicet ad ipſum ea, quæ aurum purgant, fuerint adjecta; quum aurum ſimpliciter numquam comburatur. Cujus cauſſam præclare ille & nunquam ſatis laudatus rerum metallicarum ſcriptor Georgius Agricola *lib.* 5. *de ortu & cauſis ſubterraneorum ſub finem.*

Quan-

Digitized by Google

Quando igitur aurum liquatur ſive (ut Agricola loqui ſolet) excoquitur, non poteſt non purum reddi & ab heterogeneis adhærentibus ſeparari: & quidem quo magis vim ignis experitur, eo purius quoque id reddi oportet. Præterea per ignem verum & genuinum aurum ab adulterino ſimul eo ipſo diſcernitur: quin propter etiam hanc cauſſam jam priſco quoque ævo aliquoties excoctum & depuratum fuit aurum, ſine dubio, quod & tum quoque jam fraudes metalla falſa pro veris venditandi non eſſent inſolentes. Fit nempe hoc modo, ut per iteratam ejusmodi, quæ per ignem fit, probationem doli & adulteratio tandem innoteſcant. Quomodo autem verum à falſo auro proprie dignoſci poſſit, non patitur hic locus exponere, præſertim quum id tum ab aliis, tum ab Agricola & Erckero præclare ſit monſtratum.

Solet tamen circa caloris ſive ignis illam homogenea congregandi & heterogenea ſegregandi vim à nonnullis non levis controverſia agitari: quod videlicet virtus illa non calido vel igni debeat adſcribi, ſaltem non ubivis nec ſimpliciter. Etenim per liquationem ſeu excoctionem, qualis in illis officinis metallicis inſtituitur, quas noſtrates die Schmeltzhütten appellant, puriora quidem tum aurum tum alia metalla reddi; nihilominus tamen non ſufficere illam liquefactionem vel ignis vim ad auri cum aliis metallis commiſti ſeparationem. Per ignem videlicet illa duntaxat ſeparari, quæ rudi & vulgari modo admiſta ſunt vel adhærent. At vero ſicubi, ceu in monetaria arte fieri ſolet, aurum vel argentum cum aliis metallis artificioſe ſit commiſtum, neutiquam ſufficere aliquem ignem; utpote per quem liquefieri quidem maſſa iſthæc metallica poſſit, non tamen ſingula ſegregari. Niſi enim alia inſuper adhibeantur, non poſſe illud miſtum metallum in ſua principia

ſeu ſimplicia metalla reſolvi. Hanc enim ob cauſſam adhiberi aquas χρυσῦλκας, pulveres item cæmentitios, quos appellant & διακριτικούς.

Verum tantum abeſt ut hæc objectio vim illam calidi homogenea congregandi & heterogenea ſegregandi quidquam labefactet, ut potius mirifice confirmet. Scilicet nec aquæ nec pulveres iſti, ab aurificibus vel aliis metallicis magiſtris adhiberi ſoliti, quidquam hujus præſtare poſſunt, niſi beneficio latentis & abſconditi ignis. Licet enim flammam ex ſeſe non emittant, nihilominus tamen revera illa omnia eſſe igneæ naturæ omnes docent effectus. Quum enim obtineant inſignem acrimoniam & vim corrodendi, hæc autem non niſi à calore ſeu potius calido poſſit proficiſci, ignis vero porro κατ᾽ ἐξοχὴν ſit calidus; utique omnia iſthæc vi quoque ignis, quem in ſeſe continent, opus ſuum peragant oportet. Id quod quum fuſius adhuc in noſtris *Inſtit. phyſiolog. l. 1. c. 3.* ſit diſputatum, non eſt, quod nunc prolixius agitetur.

Ad I. Petri I. ℣. 18.

Facile apparet B. Apoſtolo non eſſe ſermonem de naturali horum metallorum corruptione, ſed de illa quæ plane ſupernaturalis & divina eſt, per quam metalla iſthæc cum reliquis naturalibus rebus omnibus in extremo die corrumpentur & peribunt, de qua idem agit *II. epiſt. c. III. v. 10.* Scilicet per naturales cauſſas tantum abeſt ut hæc metalla poſſint corrumpi, ut ne per violentas quidem, ſolo argento, ex parte excepto, ceu paullo ante indicavimus. Solvi quidem poſſunt & liquari, atque in pulverem redigi, at vero liquatum comminutumve aurum vel argentum non minus eſt aurum aut argentum, quam illud quod conſtitit ſive ſolidum. Quod autem de auro & argento dicitur, idem multis aliis quoque perfecte mixtis

corpo-

Digitized by Google

corporibus competit, puta lapidibus & gemmis. Cauſſa autem hujus rei eſt; quod omnia iſthæc corpora pauciſſimum humidum obtineant; & illud præterea cum ſiccis & terrenis partibus exquiſitiſſime permiſtum: quum ex adverſo quo humidior res quæpiam fuerit vel imperfectius miſta, eo citius etiam computreſcat & corrumpatur. Quod nemini non apparebit per univerſas naturalium corporum ſpecies eunti.

Ad I. Petri V. ỳ. 4.

Nugantur qui ἀμάραιθον *ab* ἄνθος *& amore dictum volunt. Nomen ei impoſitum* ἀπὸ τοῦ ἀ *privativa particula, καὶ μαραίνεσθαι; quod non marceſcat aut flacceſcat. Plinius lib. XXI. cap. IIX. Amarantho non dubie vincimur. Eſt autem ſpica purpurea verius, quam flos aliquis, & ipſe ſine odore. Mirum in eo, gaudere decerpi, & lætius renaſci. Provenit Auguſto menſe, durat in autumnum. Alexandrino palma, qui decerptus aſſervatur. Mirumq́; poſtquam deſerere cuncti flores, madefactus aqua viviſcit, & hybernas coronas facit. Summa ejus natura in nomine eſt, appellato, quoniam non marceſcat. Quem amaranti nomine colimus florem eximiæ venuſtatis eſt, & non recens, ſed exſiccatus diu rubrum flammeum colorem conſervat, eumque non facile deperdit, aptisſimus ad hybernas corollas. Heſychius.* ἀμαράντινον ἄσηπτον ἀμάραντος εἶδος φυτοῦ ἀφ' οὗ στέφανοι πλέκονται. *Amarantinon: quod corrumpi non poteſt: amarantus herba, ex qua corollæ plectuntur. Amarantina corolla in ſacris literis cœleſtis & immarceſcibilis. Divus Petrus I. epiſt cap. V. verſ. IV.* καὶ φανερωθέντος τοῦ ἀρχιποίμενος κομιεῖσθε τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον. *Et cum conſpicuus factus fuerit ille paſtorum princeps, reportabitis amarantinam illam gloriæ coronam. Philoſtrates in Heroicis rationem dat, cur primi Theſſali coronas amarantinas conſtituerint in funebris: nempe, ut ſi navis illa* θεωρὶς

quæ ſacra deferebat ad Achillem, ventis detineretur, naviгantes non putridi fierent aut intempeſtivi. Verba Philoſtrati ſubjiciam ὅθεν καὶ στεφάνους ἀμαραντίνους ἐς τὰ κήδη πρῶτοι Θετταλοὶ ἐνόμισαν, ἵνα κἂν ἄνεμοι τὴν ναῦν ἀπολάβωσι, μὴ σαπροὺς ἐπιφέρωσι, μηδ' ἐξώρους· νυκτὸς μὲν δὴ καθορμίζεσθαι ἔδει καὶ πρὶν ἅψασθαι τῆς γῆς. *Quæ Philoſtrati verba interpretantur divi Petri locum proximè à nobis citatum.* Bodæus Comm. in Theophraſti libb. de plantis p. 746. col 1.

Ad I. Johannis I. ℣. 1.

His verbis D. Apoſtolus reſpicit ad incarnationem τοῦ Λόγου, ceu ipſe loquitur in *Evangelio cap. 1. v. 14.* quod videlicet Chriſtus verum & naturale corpus aſſumſerit, ut refutaret illos, qui adſcititio tantum corpore illum apparuiſſe nugabantur; tali nempe, quali Angeli & dæmones apparere ſolent. Eſt videlicet de eſſentia corporis, ut manibus poſſit ſentiri & percipi. Ad quod proinde ipſe quoque Chriſtus provocat *Lucæ ult. v. 39.* Recte autor operis *de cardinalibus Chriſti operibus* Cypriano adſcripti, ſermon. de Accenſ. *Ad hoc neceſſaria fuit hujus temporis* (quadraginta dierum à reſurrectione) *mora, ut recollectis quos in fugam timor impegerat, mentes ſolidaret: nec eſſe phantaſticum ſed verum corpus, quod ſurrexerat, tam commeſſationibus quam contrectationibus probaret.*

Quamvis autem corpus omne ſenſu tactus ſentiri & percipi debeat, nec corporis nomine niſi per injuriam appellari poſſit, quod ſenſum tactus non ferit: nihilominus tamen non hoc ita accipiendum eſt, quaſi omnia corpora æquali modo in ſenſum tactus cadant. Talis certe contrectatio, cujus h. l. & apud Lucam mentio fit, non niſi ſolidis corpo-

Et ideo Dominus, ut ſpeciem nobis reſurrectionis oſtenderet: Palpate, inquit, & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.

corporibus competit. Sunt enim multa corpora, quæ ad eum modum plane contrectari nequeunt. Nec enim vel aërem vel ignem vel quasvis exhalationes ita manibus contrectare aut continere poſſumus, quod nempe ſubtilitas & tenuitas partium corporum illorum id non admittat. Quapropter ſufficit, ſi ſenſu tactus poſſint percipi & explorari.

Quod autem corpus omne tactile eſſe diximus, id cumprimis obſervandum eſt contra hodiernos naturalium rerum perturbatores, nec minus adverſus vulgares à Mathematicis petitas de corporis natura opiniones. Etenim vulgo per *corpus* illud denotari ſolet, quod Euclides dixit trinam dimenſionem obtinere: quum tamen illud perperam fiat, & Euclidis illa definitio de ſolidis corporibus tantum ſit accipienda. Quæ nec ipſa tamen omnibus ſolidis corporibus convenit, ſed illis duntaxat, quæ talem habent figuram, ut ſub Mathematicam conſiderationem venire poſſint. Id quod ex ipſo Euclide & aliis Mathematicis claris-

habere. Non ergo per incorpoream naturam, ſed per reſurrectionis corporeæ qualitatem impervia uſu clauſa penetravit. Nam quod tangitur, corpus eſt: quod palpatur, corpus eſt: in corpore autem reſurgemus. Seminatur enim corpus animale, ſurgit corpus ſpiritale. Sed illud ſubtilius, hoc craſſius, utpote adhuc terrenæ labis qualitate concretum. Nam quomodo non corpus, in quo manebant inſignia vulnerum, veſtigia cicatricum, quæ dominus palpanda obtulit? In quo non ſolum fidem firmat, ſed etiam devotionem acuit, quod vulnera ſuſcepta pro nobis cœlo inferre maluit, abolere noluit, ut Deo patri noſtræ precia libertatis oſtenderet. Ambroſ. lib x. comment. in Lucam.

Mathematicorum doctrinam ſequitur Auguſtinus *l. de quantit. animæ c. 4.* ſcribens: *corpus nullum eſſe, quod non pro modo ſuo habeat aliquam longitudinem & latitudinem & altitudinem.* Addit deinde quomodo aëri, & qui nihil aliud ſit quam aër commotus & agitatus, vento di-

clariſſime liquet, quando non duntaxat corpus per ſolidum definiunt, & quod modo *ſolidum* modo *corpus* appellant, atque ita utraque iſthac voce promiſcue utuntur; ſed etiam, & cumprimis quidem, quando ſolidi ſive corporis ſui ſpecies afferunt & deſcribunt. Certe ſi non niſi illa demum eſſent corpora, quibus trina ejusmodi dimenſio competit, non tantum & ignis & aër & multa alia ſubtilia ſeu (ut & veteribus nonnullis appellata ſunt) ſpirituoſa corpora corporum numero excludenda forent, ſed etiam multa ſolida quoque accurate loquendo non eſſent corpora quod talis trina dimenſio non in omnibus reperiatur. Eſt ſcilicet, ceu jam tum dictum fuit, omne corpus tactile, & viciſſim omne tactile eſt corpus. Nec alio ſenſu corporis vox apud priſcos Philoſophos, ſolis illis Mathematicis exceptis, unquam fuit uſurpata. Id quod apud Ariſtotelem & alios luculentiſſime apparet. Quo cumprimis etiam pertinet illud Lucretii, *l. 1. v. 305. Tangere enim & tangi, niſi corpus, nulla poteſt res.* Id quod propterea quoque jam tum paucis monui *lib. 1. Inſtit. phyſiol. cap. penult. §. ult.* Reliquas enim futiles & ſtolidas de corporis natura doctrinas, quales hodie paſſim proponuntur, h. l. adferre non eſt neceſſum. Caſtigavi autem & illas quoque jam tum in *annotationibus ad Cornelii Martini diſputationes Phyſicas.*

Ad Ja-

to dimenſiones eædem competant. Et poſteaquam in ſequentibus copioſe de iis diſſeruiſſet, *cap. 14. corpus nullum, eſſe quod longitudine, latitudine, altitudine careat* addit. Ita ille, utpote quæ propoſito ſuo argumento quam maxime eſſent accommoda.

Stoicorum doctrina de corpore expoſita eſt à Lipſio *l. 2. Phyſiol. Stoic. diſſ. 4.*

Tactus dicit: Si corpulentum non eſt, non contrectavi. Auguſtin. *l. 10. confeſſion. c. 10.*

Ad Jacobi I. ℣. 11.

Non infrequens eſt S. Scripturæ ejusmodi ſimilitudine uti: quales cum alias paſſim occurrunt, tum *Pſalmo* XC. *v.* 5; *Pſalmo* CII. *v.* 12; *Pſalmo* item CIII. *v.* 15. Qualia multa alia parallela loca ad hunc ipſum epiſtolæ Jacobi verſiculum ſolent annotari, in quibus omnibus tamen hoc Apoſtolicum dictum eminet. Conſtat videlicet per vehementem æſtum & gramen & omnes alias herbas ac plantas, ipſas etiam arbores marceſcere; & ſi æſtus vehemens ſit diuque duret, nec etiam ſtirpes alias rigentur & refocillentur ita exſiccari & areſcere ut pereant, ſive potius vegetationem & vitam ſuam amittant. Facit autem hoc ipſum æſtus à ſole & aliis quoque ſtellis productus per humidi abſumtionem. Etenim omnes plantæ quo plus æſtum patiuntur, eo magis quoque redduntur exſuccæ. Præterea quando ita à ſole & æſtu torrentur, usque adeo marcidæ fiunt & enervantur, ut & contactu & viſu id liceat deprehendere. Hæc enim cauſſa eſt, quare ab æſtu marceſcentia folia & flores incurventur, nec priſtinum ſpatium occupent. Quod ſi æſtus inſuper vehementius inſtat, omni ſuo ſucco abſumto pereunt & quodammodo etiam evaneſcunt & diſparent herbæ. Memorabile eſt quod in *Epiſtolis* Busbequii legitur eum obſervaſſe, campos, trans Danubium in Hungaria ſitos, propter nimium ſolis æſtum plane exaruiſſe, quum ex adverſo qui in citeriori parte ſiti ſunt, gramine lætiſſime creſcente & in miram altitudinem ſurgente vireſcerent.

Præterea ad exſiccationem & maraſmum illum plantarum, quem à nimio cæli æſtu patiuntur, non parum quoque confert *primo* ipſius ſoli, in quo planta creſcit, natura. Si enim illud ſiccum & arenoſum fuerit, non poteſt non caloris vis eſſe major: quum ex adverſo uvida &

Digitized by Google

uliginoſa loca, vel etiam alias humidiora, non cito à ſolis æſtu offendantur & torreantur. Id quod diſcrimen in agris quoque clariſſime licet obſervare: Macrum videlicet ſolum ſi tempeſtas humida fuerit, largum frumentum proferre ſolet: quum viceverſa tali tempeſtate ſegetes in agris humidis patiantur damnum. Quando nimirum ſolum ipſum ſterile eſt & ſiccum, accedente nimio æſtu, paucum illud, quod in eo hæret, humidum facile exhauritur, & terra jam tum ſicca à calore magis magisque aduritur. Unde calor ejus non poteſt non vehementius plantas afficere. *Deinde* gramen præ omnibus aliis plantis ſponte naſcentibus ſolis æſtum ſentit, quod minus profunde radices agat. Unde ſi reliqua inſuper acceſſerint incommoda, pabulo ſibi ſubtracto neceſſario marceſcit & perit. Id quod in omnibus aliis quoque in ſuperficie duntaxat terræ hærentibus herbis uſuvenit.

Quod tamen non ita accipiendum eſt, quaſi omnis marcor graminis & aliarum plantarum ſit ipſis exitioſus, utpote quum alias vix quidquam ex illis plantis poſſit conſervari, præſertim ſi æſtus & intenſior & diuturnior fuerit. Plerumque videlicet, quæ diurno æſtu ſunt toſta & marcida, rore ſub auroram iterum reficiuntur. Alias enim herbæ iſtæ non pares eſſent calori illi ſuſtinendo. Manifeſto id obſervare licet in calidioribus regionibus, utpote in quibus quanto calidiores & ſicciores fuerint dies, tanto temperatiores quoq; noctes eſſe ſolent; accedente inſuper larga evaporatione, quibus plantæ benigne refocillantur. Sed talis demum marcor exitialis eſt, qui omnem plantarum humiditatem diſſipat & abſumit. Quomodo rem ſe in animalium quoque corporibus habere alias oſtenditur.

Præter hæc autem flores quoque & herbæ à nimio æſtu decorem ſuum amittunt; quod videlicet quo ſucculentior

lentior quæpiam planta fuerit, eo magis quoque naturalem ſuum calorem & decus obtineat; quæ neceſſario damnum patiuntur, ſucco exhauſto & diſſipato. Non ſecus atque in homine quoque & aliis animalibus quo lætiori valetudine corpus gaviſum fuerit, eo ſimul quoque eſt vividius & grato colore quaſi veſtitum. Cumprimis autem quum juvenilis ætas, & omnis illi vicina, præ omnibus aliis maxime ſit florida, utpote quod tum corporis vigor ſuam ἀκμὴν obtineat; plantæ quoque dum florent, juvenilem ætatem quam maxime præ ſeſe ferant: non mirum quoque eſt florentes herbas & plantas præ omnibus aliis ſuis ætatibus, & quas pro temporis varietate patiuntur, viciſſitudinibus, maxime eſſe vividas & vegetas.

Nec tamen duntaxat calor ita herbas & plantas afficit, ſed & frigus quoque, prout notum eſt, & autumno cumprimis atque ſub hiemem fieri ſolet: niſi quod diſcrimen inter effectum illum, quando à frigore & quando à calore proficiſcitur, intercedat. Calor videlicet idipſum facit, calorem pariter & humidum plantarum educendo & diſſipando: frigus autem ſuffocando. Hæc enim eſt ἀντιπερίστασις illa Ariſtoteli dicta, quam hodie quidam magnopere inſectantur; quum tamen reapſe, quando ad cauſſas rerum reddendas deventum eſt, plane idem nobiſcum dicant & ſentiant. Solent etiam præterea ſive integræ ſtirpes ſive illarum partes à frigore enectæ computreſcere; præſertim ſi humidiores fuerint, & humida quoque tempeſtas accedat: at quæ ab æſtu ſolari ſunt toſta, quod exſucca reddantur, præ ſiccitate & humoris abſentia non putreſcunt.

Quamvis autem & frigus pariter & æſtus cæli ita plantas lædat, nihilominus tamen ſolus ille effectus, qui à calore proficiſcitur, adducitur in exemplum, quod caloris vis

Digitized by Google

longe ſit major, & præterea marcor plantis accidens ab æſtu citius inducatur.

Ad Jacobi II. ℣. ult.

Dubitari poteſt, quid per πνεῦμα, ſive *ſpiritum* h. l. intelligatur; an anima, an vero calor. Prius quidem forte magis hic innuitur, quod anima ſpiritus voce magis videatur denotari: poſterius tamen non incommode quoque intelligi poteſt; præſertim ſi ſpiritus voce cum nonnullis veterum illud denotemus, quod aëreæ vel igneæ eſt naturæ Quin imo utrumq; ſimul non incommode poteſt intelligi, præſertim quum de tali ſpiritus præſentia agatur, à qua vita dependet. Quamvis autem anima, ſalva vita, abeſſe nequeat, & ipſa præſente animatum quoq; vivat; nihilominus tamen & ipſa anima calido nativo tanquam proximo inſtrumento utitur, & vita in calidi nativi conſervatione conſiſtit; ceu recte docuit Ariſtoteles. Quamdiu videlicet calidum illud ſalvum eſt, tamdiu quoque vita eſt ſuperſtes: præterea calido exſtincto ipſa quoque ſimul vita ceſſat. Nec anima in corpore manere poteſt, niſi ſalvo calido: & illo exſtincto ſimul & ipſa quoque ſecedit. Ut animæ præſentia, calidi nativi conſervatio, & vita, indiſſolubili nexu conjuncta ſint: ita ut uno præſente, reliqua quoque præſentia ſint; & uno abſente, reliqua quoque ſimul abſint. Nec enim animatum corpus actu ipſo anima ſua inſtructum eſſe poteſt, niſi calido ſalvo & præſente vita: nec etiam corpus aliquod vivere poteſt, niſi in eo præſens ſit anima. Verum porro eſt, vitam & calidi nativi conſervationem proxime tantum reſpicere animam vegetantem: adeo ut, licet facultas ſenſitiva & intellectiva ſeſe non exſerant, nihilominus tamen, modo vegetatio adhuc & calor ſuperſit, animal ipſum quoque adhuc vivere dicatur. Unde rem accurate intuenti manifeſto apparet, vegetantem illam

Digitized by Google

lam animam & calidi præſentiam præcipuas partes obtinere. Qua etiam de cauſſa homines ecſtaſin & animi deliquium paſſos ad ſeſe redire ſubinde experimur, quamdiu anima vegetativa & calidum nativum ſuperſunt.

Hinc itidem porro unice cauſſa dependet, quare fœtus & infantis alicujus cædes pro vero homicidio habeatur. Quamvis enim, ſolo ſenſu tactus excepto, nullus alius in ejusmodi fœtu ſeſe prodat, multo minus vis intelligendi vel ſenſus internus in eo deprehendatur; ſed ſola vegetatrix facultas & calidum infantem vel fœtum vivere faciant, & illis ſuperſtitibus & ſalvis ſuperiores facultates ſenſim manifeſtentur: nihilominus tamen propterea quoque vegetativa illa anima & calidi præſentia vitam fœtui & infanti largiantur, & quaſi fundamenta ſint ſuperiorum facultatum, non minus homicidii eſt reus qui infantem talem, quam qui adultum hominem vita privat. Non ſecus videlicet atque homo aliquis alto ſomno oppreſſus vel deliquio animi correptus vel etiam extra ſe raptus, nihilominus tamen eſt homo. Et qui ejusmodi hominem perimit, non minus homicidium committit, quam qui vigilanti & ſentienti violentas manus infert.

Ad Jacobi III ℣. 11. 12.

Hieronym. *Apol. III. adverſ. Ruffin. De uno pectoris ſterquilinio & fœtorem profers cadaverum: & contra ſententiam prophetalem amarum dicis eſſe, quod quaſi dulce laudaveras.* In Comitatu Mansfeldico duo lacus confluunt, alter dulcis, alter ſalſus. In Hungaria prope Budam quidam fons in ſummo bulliens, in fundo piſces alens, Busbeq.

In infantibus tamen phantaſiæ vis eo, quod dormientes labra inſtar ſugentium moveant, proditur. At riſus potius convulſivorum motuum indicium, præſertim quod adhuc alias non riſerint; quod in recenter natis præcipue contingit.

in Epiſt. Add. Agric. de ſubterran. & Werneri de admirand. Hung.

Ad Epiſt. Judæ ℣. 12.

Non ſolum ἄνυδροι & aqua carentes, ſed omnes in univerſum nubes, ſive ſteriles ſint, ſive aqua repletæ, à ventis aguntur, ceu quotidie cuivis obſervare licet, nihilominus tamen iſtæ magis à vento agitantur, quod videlicet minus graves ſint, & propterea celerius impelli poſſint. Propter levitatem quoque ſuam facilius in omnem partem moventur. Obſervare autem illud ipſum cum alias eſt, tum cumprimis in magnis tempeſtatibus, præſertim quando cum largis pluviis vehementes venti conjungi ſolent: clariſſime videlicet tum licet deprehendere, quam plane inæqualiter nubes moveantur. Quæ enim ſteriles ſunt, citisſime incedunt, gravidis ex adverſo lente progredientibus. Patet autem vel hinc quoque quod nubes non ex ſolis aquoſis ſed etiam ex ſiccis & terrenis exhalationibus conſtent. Quin interdum ſolæ hæ quaſdam nubes conſtituunt, illas videlicet omnes, quæ nullam pluviam fundunt. Ipſas llas quoque aquam ſtillantes nubes ſimul ex ſiccis exhalaitionibus conſtare, ex reliquiis illarum, quum pluvia jam emiſſa eſt, ſatis aperte conſpicitur.

Ad Epiſt. Judæ. ℣. 13.

Non videtur quidem ullam habere difficultatem, quid per ſtellas erraticas denotetur, quum in vulgus quoque cognitæ ſint quædam ſtellæ, quæ planetarum nomine propterea veniunt. At vero an tales planetæ h. l. ab Apoſtolo indigitentur, merito poteſt in dubium vocari. Quamvis enim propterea nomen illud ipſis inditum fuerit, quod ſingulæ

De planetis accipit Feder. Bonaventura *præfat. in l. Ptol. de ſtell. inerr. ſignif.* Cajetanus de ſtella diſcurrente intelligit; Cornel. à Lapide de igne fatuo, qui tamen prius de planeta expoſuerat.

ſingulæ peculiarem ſuum obtineant motum, & modo conjungantur, modo ſibi opponantur, modo alias varias poſitiones obtineant, atque ita nec inter ſeſe nec etiam cum fixis collatæ æqualem diſtantiam obtineant; nihilominus tamen ſingulis ſuus regularis & ordinarius motus, quem perpetuo obſervant, competit. Pſ. CXXXVI, 5; CXLIIX, 6; LXXIV, 16: prout quidem iſta omnia vertit Lutherus. Unde ἀπλανεῖς πλανήτας, *minime erraticos errones*, appoſite vocat Ambroſ. *epiſt.* 38. Id quod propter varias alterationes in mundo hoc ſublunari excitandas eſſe factum, alibi fuſius docebitur, & eſt quaſi extra controverſiam. Non etiam veriſimile eſt, ſolem & lunam ſtellarum erraticarum nomine à S. Scriptore inſigniri, quum alias paſſim motus illorum ad conditoris omnipotentiam & infinitam ſapientiam declarandam in S. Scripturis deprædicetur. Quapropter his ſimilibus, aliiſque rationibus adductus non equidem exiſtimo tales planetas h. l. intelligi. Fuerit igitur de aliis diſpiciendum.

Quid ſi igitur hic per ἀστέρας πλανήτας intellexerimus ignes fatuos vulgo dictos? præſertim quum tales ignes & ſtellis quoque ſimiles ſint, & præ omnibus aliis meteoris ignitis maxime vagabundi, atque ita vere oberrantes. Sunt autem tales ignes vulgo quoque notiſſimi, ſolentque cumprimis frequenter adparere in iſtis locis, ubi pingues dantur exhalationes. Qua de cauſſa quoque ſæpius viſuntur in iſtis locis, ubi copioſus ſanguis eſt profuſus. Qualia ſunt ubi ſupplicia peragi ſolent, item ubi morticinia animalium projiciuntur; in cœmiteriis, & ubi prælia commiſſa, magnaque hominum & jumentorum ſtrages edita.

Quamvis vero tales ignes à naturalibus cauſſis ſæpius oriantur: nihilominus tamen plurimis conſtat experimentis, malos genios ſubinde iſtis ignibus ſeſe miſcere, quin etiam

ſæpe

ſæpe tales naturales ignes mentiri, tum ut viatores in exitium deducant, tum ut alias hominibus terrorem incutiant, vel ſaltem iis imponant & illudant. De quibus quum alias jam itidem fuſius actum ſit, non neceſſum eſt nunc plura afferre.

Ad Apocal. I. ỷ. 14.

Quod h. l. de capillorum candore legitur, procul dubio fuerit accipiendum de eorum canitie; ceu itidem accipi debent ſimilia, quæ habentur apud Danielem *c. VII. v. 9.* præſertim quum deſcribatur homo aliquis ſenex. Neque vero confundi debet albus capillorum color cum canitie. Quamvis enim nonnulli natura habeant album capillum, nihilominus tamen ab illa albedine, quæ per canitiem inducitur, ille color facile poteſt diſtingui: licet accedente ſenio talium capillorum canities non æque cito poſſit obſervari, atque in illis quibus rufus, vel niger, vel alio contrario quodam colore tinctus fuit capillus.

De cauſſis autem canitiei non levis eſt controverſia, quas præ omnibus aliis tamen meo judicio optime expedivit Ariſtoteles. Oppugnat quidem ejus ſententiam inter alios quoque Hercules Saxonia *lib. 10. practicæ medicinæ cap. 39. & 42.* ſed ita ut Ariſtotelis ſententia tamen nondum ſit labefactata. Docet videlicet Ariſtoteles, canitiem eſſe cariem quandam & putredinem. Id quod non ita accipiendum eſt, quaſi per canitiem pili computreſcant; ſed potius quod nutrimentum illorum ſit vitiatum, & præterea concoctio illa iſtius, qualis pilis omnino accidit, vitium ſit paſſa. Scilicet omnes pili peculiare quoddam ſibiq; proprium obtinent calidum, quod in illorum radices affluentes humores digerit & in pilos mittit. Qua etiam de cauſſa in cadaveribus pili increſcunt. Pro diverſitate autem tum iſtius humoris tum etiam ipſius pilis inhærentis ca-

Digitized by Google

tis caliditatis, pilorum omnis ratio multum itidem variat. Quo præcipue etiam pertinet illorum color. Fit autem per ſenium, ut & reliquum corpus multum immutetur, & ipſi quoque pili. Unde non poteſt non quoque fieri, quin nutritio & hinc dependens color eorum multum quoque labefactetur. Qua etiam de cauſſa malum indicium eſt, ſi juvenis & præcipue cito caneſcat: quin imo quosdam juvenes ſubito canos factos, paullo poſt diem ſuum objiſſe, ipſemet novi. Niſi forte hereditario quodam vitio canities citius ingruat. Tum enim pro ſiniſtro quodam ſigno illud non poteſt haberi, niſi reliqua quoque corporis conſtitutio à naturali ſtatu recedat. Hinc autem porro itidem facile poteſt cauſſa deſumi, quare per mœrorem animi & graves diuturnasque curas, quin per vehementiſſimum metum propter inſtans ſupplicium, quidam ante tempus & una etiam nocte cani reddantur; quod videlicet per animi illos affectus univerſi quoque reliqui corporis habitus multum immutetur. Plura de pilorum natura & cauſſis cognoſcere cupienti cumprimis accurate legendus fuerit Ariſtoteles, & illi cumprimis ea jungenda, quæ hac de re præclare diſputavit *libro de habitus corporum Germanicorum cauſis* Ampliſſ. noſter Conringius.

Ad Apocalypſeos I. ℣. 14.

Flammantes hi oculi in memoriam nobis revocant oculos ſcintillantes vel etiam lucentes, quales in nonnullis animalibus reperiuntur, cumprimis autem in felibus, ut qui in tenebris manifeſtum ſplendorem emittant. Obſervantur quoque in Vitulis marinis apud Rondel. *l.16. de piſc. p.454.* Pertinet autem huc illa quoque lux, quæ nonnunquam ex ipſis oculis ad inſtar flammæ evanidæ videtur emitti; quanquam ſi id frequentius fiat, malum ſit ſignum, & manifeſtam viſus debilitatem afferat. Pertinent huc etiam oculi

illi lucidi, quorum beneficio nonnulli in tenebris quoque adeo clare videre & etiam legere poſſunt, ac ſi in aëre lucido eſſent collocati. Horum omnium autem cauſſam in luce quadam oculis & quidem Iridi inhærente ſitam eſſe, poſt alios eleganter docuit Clariſſ. Conringius *libro de Calido innato c. 15.* ubi plura huc pertinentia habentur.

Ad Apocal. III. ℣. 15. & 16.

Quæ de tepiditate h. l. afferuntur procul dubio deſumta ſunt à vulgari experientia, quæ docet tepida usque adeo plerumque ingrata eſſe ventriculo, ut vel nauſeam excitent vel etiam vomitum. Propter quam cauſſam tepida aqua vim habet vomitum ciendi, ut & alii etiam liquores tepide exhibiti. Conſtat autem tepiditas ex æqualibus partibus & calidi & frigidi; quoad ſenſum videlicet noſtrum. Nam an ſimpliciter ac prorſus æquales partes & calidi & frigidi adſint, nemo temere certo judicaverit. Quapropter ſub latitudine quadam illud ipſum dicitur.

Qui

Splendentes oculi iracundiæ ſignum. Claræmont. *de dignoſc. an. aff.* Quales etiam deliris eſſe ſolent.

Quod (expreſſe nempe additum *frigidæ*, ad vilitatem potus demonſtrandam; quia etiam calida bibebatur) *etiam fortius affirmes de promiſſione Domini noſtri, καὶ ὃς &c. Ubi Evangeliſta non contentus voce ψυχροῦ, etiam particulam μόνον valde ſignificanter addidit. Etiam quæ in Apocalypſi loquitur, ex hoc more videntur explicari poſſe. Apparet enim totam hanc loquendi figuram à potione deſumpſiſſe, quâ tepida vomitum cient. Quin igitur τὸ χλιαρὸν de potu capiendum ſit, pauci fortaſſe dubitabunt; nemo autem, illa quoque duo, quibus opponitur, τὸ ψυχρὸν nempe & τὸ ζεστὸν, eodem ſenſu accipienda eſſe, quo oppoſitum eorum acceperimus.* Joan. Freinsheimius *diſſertatiunc. de calido potu c. 1. §. 6. p. 41.* De calido potu luculenta mentio habetur apud Optatum *l. VI.* Add. notata in *Diæt.*

Qui vero fiat, quod tepida ventriculum ita afficiant, videtur omnino difficilius eſſe expeditu. Fortaſſis autem illud inde provenit, quod tepida tam præ calidis quam frigidis majorem vim habeant laxandi ventriculum: à laxitate autem facile poteſt vomitus proficiſci: qua etiam de cauſſa quando tepida inſuper ſunt pinguia, major nauſea oritur & facilior fit vomitus. Dixi à relaxatione ventriculi id fieri. Nam aliæ quoque ſunt cauſſæ vomitus, videlicet convulſio. Quam tamen in omni vomitu fieri non dixerim: præſertim quum pinguia præ aliis vomitum facile concitent, nec tamen vim habeant convulſionem excitandi, niſi quando à calore in bilem convertuntur.

Ad Apocal. VIII. ℣. 11.

Non hæc ita accipienda ſunt, quaſi abſinthium ſit planta pernicioſa, & quæ aſſumta homini necem inferat; quum herba illa ſit frequentiſſimi uſus, & à quam plurimis citra conſilium Medici pro lubitu variis modis aſſumatur. Quomodo præ aliis in frequentiſſimo uſu ſunt vinum abſinthites & cereviſia. Poteſt quidem & talis potus & alius etiam intempeſtivus abſinthii uſus aliquando eſſe noxius: at vero rarius id fit, & citra tamen vitæ periculum. Propterea igitur abſinthium hic adducitur, quod ſapor ejus valde ſit ingratus. Dantur quidem multa alia longe amariora, qualia etiam ſunt ex ipſo ſtirpium genere non pauca. Procul dubio tamen abſinthium præ aliis in exemplum adducitur, quod & herba illa ſit frequentiſſima, & uſus quoque ejus maxime vulgaris, adeoque ingratus ſapor nemini non notus: quanquam tamen in orientali-

 bus

A viridi ſeſamo & aliis animalia abſtinere, quod amara ſint. Theophr. *l.9.hiſt.c.7.* Sed commode diſtinguit inter gratam & ingratam amaritudinem Bodæus in *comment. p.945.col..1.f.*

bus regionibus amarius ſine dubio ſit quam ſeptentrionalibus.

Ad Apocal. IX. ℣. 5.

Scorpionum puncturæ & morſus ab omni ævo decantati ſunt, & procul dubio propterea in ſimilitudinem adducti, quod præ aliis dolorem inſerant longe acerrimum. Id quod tum ex hoc quoque loco colligitur, tum ex reſponſione illa Rehabeami ad populum Iſraëliticum *III. Reg. XII. v. 11. & 14.* & *II. Paralip X. v. 11. & 14.*

Sunt autem duo ſcorpionum genera: alii terreſtres, alii marini; utrique tamen venenati, & quorum punctus homini valde eſt pernicioſus. Symptomata autem quæ utriusque punctum ſequi ſolent diligenter collegit & expoſuit Santes Ardoynus *lib. 6. de venenis c. 38.* & *lib 8. c. 1.*

Cumprimis autem noxius eſt ſcorpio terreſtris, & totus venenoſus: quum marinus in cibum quoque veniat, ſolo duntaxat ſuo aculeo noxius: de terreſtri quoque digna cumprimis ſunt quæ legantur, quæ de eo annotavit Muſettus in *Theatro inſectorum.* Eſt præterea hic terreſtris longe frequentior & familiariſſimus calidis regionibus. Certe vel in Italia tam frequens eſt venenata illa beſtiola, ut & lecti & latrinæ vix ab eo ſint tutæ. Qua etiam de cauſſa in ejuſmodi locis appendi ſolet oleum Scorpionis, ut ſi quis punctus fuerit, ſtatim locum affectum inungere poſſit. Id enim niſi cito fiat, breviſſimo temporis ſpatio venenum per univerſum corpus ſe dedit, & non tantum graviſſima ſymptomata, ſed ipſam quoque mortem accelerare ſolet.

Ad Apocal. X. ℣. 6.

Notum eſt tempus nihil aliud eſſe atque menſuram motus cæleſtis & cumprimis quidem ſolis. Quando igitur motus cæleſtium corporum deſinit, tempus quoque nullum

nullum ſupereſſe poteſt. Et ſicut ante hoc univerſum conditum nullum tempus fuit, qua de cauſſa quoque in principio (videlicet temporis) Deus dicitur creaſſe cælum & terram: ſic etiam cum extremo die tempus viciſſim deſinet; præſertim quum Petrus doceat ipſum etiam cælum ab igne tum diſſolutum iri. De quo extremo tempore h.l. quoque divum Johannem loqui, nullum eſt dubium. Ut itaque perinde ſit, quando tempus amplius futurum eſſe negat, ac ſi dicat, tum extremum judicium habitum iri.

Ad Apocal. X. ℣. 9. 10.

Hoc loco ad naturam & effectum multorum dulcium & præcipue mellis in corpore noſtro alluditur. Mel videlicet & multa alia dulcia non raro ſolent dolores & tormina ventris excitare, non in omnibus quidem, interim tamen in quam multis, præſertim in illis qui intemperie quadam partium infimi ventris laborant; quod cumprimis contingit illis, qui effectibus hypochondriacis ſunt obnoxii. Cujus quidem rei cauſſa non procul petenda eſt. Solent videlicet *primo* dulcia illa facile bileſcere. *Deinde* multa dulcia, cumprimis etiam mel, præſertim quod crudum eſt & nondum decoctum, propter excrementitias vel ſaltem crudas humidas partes admixtas, à calore corporis noſtri dum reſolvuntur, in flatus abeunt. Quibus exitum non invenientibus, tanto major dolor non poteſt non accedere, unde inteſtina diſtenduntur & lancinantur. Quibus & *tertio* hoc addendum eſt, quod inter omnia alia dulcia mel vim quoque habeat fermentandi, & maxime quidem crudum nec deſpumatum. Quo ipſo & intemperies calida major fit, & major flatuum copia producitur, & ſimul obſtructiones poſſunt induci. Quibus omnibus de cauſſis valde appoſite mel h. l. in ſimilitudinem adducitur. His etiam de cauſſis longe plurimi ab omni mellis uſu coguntur abſtinere, etiam

Digitized by Google

iam ab illo, quod probe depuratum & per coctionem correctum eſt, quod ſtatim inde percipiant perturbationem & alias moleſtias infimi ventris.

Ad Apocal. XIII. ℣.3. & 12. Jer. XXX. ℣.12.

Magna hodie controverſia agitatur de eo quod letale eſt in vulneribus, præſertim poſteaquam nonnulli de ea re ita docuerunt, quaſi nullum fere vulnus letale ſit, etiam ipſi cordi inflictum, niſi tantum ex quo homo vel aliud animal actutum concideret. Quomodo docuit ipſemet quoque Sennertus. Eſt autem opinio iſthæc ut plane nova, ita in publicum quoque non parum noxia. Ea enim admiſſa non poterit non magnum patrocinium homicidiis acquiri. Quod ſi enim vulnus aliquod non fuerit letale, adeoque ex accidente quodam ſuperveniente vulneratus obierit, facile patet, eum qui vulnus alteri inflixit, non poſſe capitali pœna affici. Quo ipſo crude ſineque diſcrimine admiſſo non poterit utique non homicidiis patens feneſtra vel potius campus aperiri. Quamvis autem nonnunquam contigerit hodieque contingat, ut vulnus aliquod, quod aliis eſt letale, huic vel illi non ſit tale, idcirco tamen de tali quodam vulnere in ſeſe ſpectato neutiquam protinus licet pronunciare, id non eſſe θανάσιμον. Fiunt videlicet in naturalibus rebus & operibus, circa quæ Medicus utique verſatur, quandoque quædam inuſitata & quaſi miraculoſa: quæ nihilominus tamen non ſufficiunt ad alia illa, quæ naturæ moribus magis conſentanea ſunt, vel inficianda vel invertenda. Quapropter etiam illa exempla, quæ de cordis vulneribus non letalibus afferri ſolent, nihil quidquam ad rem faciunt.

Debet videlicet *primo* & ante omnia illud tanquam certum & indubitatum poni, quodcunque ſi non ſemper ſaltem plerumque & ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ contingit, illud maxime quo-

Digitized by Google

quoque eſſe naturale. Quæcunque igitur vulnera, licet non ſemper, ſaltim plerumque tamen, necem afferunt, illa pro letalibus quoque jure ſunt habenda. *Deinde* in vulneribus id quoque maxime conſiderari debet, an curationem admittere poſſint vel non. Sæpius enim fit, ut vulnus aliquod in ſeſe & reſpectu partis læſæ conſideratum non ſimpliciter quidem ſit letale, fiat tamen tale, quod ad illius ſanationem & conſolidationem Medica manus non poſſit pervenire. Quod ſi enim illud in intimas corporis partes penetraverit, & propter loci diſtantiam non admittat medicinam, eo ipſo letale redditur; quum ſi in partibus cuti vicinioribus atque ita medicinam admittentibus ſubſtitiſſet, non fuiſſet letale. *Tertio* præterea multitudo quoque vulnerum licet exiguorum ſæpe illa facit eſſe letalia, quum unum aliquod licet magnum vulnus & iisdem partibus inflictum non ſtatim ſit letale. Cujus generis exemplum noſtro Collegio non adeò pridem fuit aliunde miſſum, quando videlicet quidam à globulis diſſectis complura vulnuſcula in inteſtinis acceperat, quæ etiam propter ſuam multitudinem, quodque Chirurgus non omnibus manum adhibere potuerit, intra paucos dies homini exitum attulerint: quum non uno experimento conſtet, magnum aliquod & amplum, unum tamen, inteſtinis inflictum vulnus optime fuiſſe deinde iterum reſtitutum.

Quarto porro quodcunque vulnus ita alte penetravit, ut magnum aliquod vas ſit læſum, nec ſubſequens hæmorrha-

---

Letale quoque ſæpiſſime fit aliquod vulnus ratione loci ac temporis, imo ſimpliciter letalia eo reſpectu ſunt vulnera, quibus vel magna vel multa vaſa læduntur, unde ſanguis confertim prorumpit, nec ſiſti poteſt, quod chirurgus vel alias medicamenta ſanguinem ſiſtentia non ſint in promtu. Suntq; tales caſus frequentiſſimi, qui proinde juſte letales

morrhagia ſiſti poſſit, illud ſimpliciter eſt letale. Solent etiam ita vulnerati vel confeſtim vel paulo poſt à vulnere accepto mori. *Quinto* nec illud negligendum eſt, non tantum pro letalibus vulneribus illa eſſe habenda, quæ vel eadem hora vel eodém die mors ſubſequitur, ſed etiam ex quibus licet per aliquot dies imo aliquot hebdomadas vulnerati ſupervivant, nihilominus tamen deinceps moriuntur: ſi videlicet ita vulnus comparatum fuerit, ut curari non potuerit, & ita neceſſitatem moriendi ſecum attulerit. His igitur & ſimilibus aliis differentiis probe notatis, non poterit amplius difficile eſſe dijudicare, quodnam vulnus pro letali habendum ſit vel ſecus. *Præterea* ſimul accurate attendi debet ad ſymptomata ſupervenientia & rationem curandi. Poteſt enim fieri & ſæpisſime fit, ut ex levi aliquo vulnere tantummodo neglectim habito peſſima ſymptomata oboriantur, & ipſa quandoque mors vulneratum occupet. Qualia tamen vulnera non niſi per accidens letalia ſunt, non vero in ſemetipſis ſpectata. Et vero culpa vulgarium Chirurgorum non paucos vulneratos interire, qui alias ſervari poterant, experientia docet. Præter hæc *denique* in ipſomet vulnerato requiritur, ut ipſemet debito modo ſe gerat & talem victus rationem inſtituat, quam curationis leges expoſcunt. Quod ſi enim ipſe hac in parte peccaverit, non tantum in cibo & potu, quorum tamen præcipuæ partes ſunt, ſed etiam in reliquis rebus non naturalibus appellatis, quæque in diæteticis tractantur; ſi (inquam) in

letales habentur, quod protinus præſto eſſe nequeant, quorum præſentiam hæmorrhagia ſine mora poſtulat. Quæ proinde homicidis non poſſunt patrocinari.

Digitized by Google

in horum vel uno vel pluribus ipſemet peccatum commiſerit, etiam tum quoque gravia & pernicioſa ſymptomata poſſunt accelerari, quæ tamen ex vulnere in ſeſe ſpectato non proveniunt, atque ita etiam licet mortem inducant, neutiquam tamen faciunt vulnus letale. Ad quæ omnia proinde diligenter attendere debet, qui de vulnerum letalitate ſententiam rogatur.

Ad Apocal. XIV. ℣. 10.

Uſitatiſſima eſt in ſcriptis Propheticis pœnas mortalibus divinitus annunciantibus iſtiusmodi locutio, deſumta ab illis, qui meraco ſeu temeto vel alio generoſo potu plane ſunt inebriati. Sicut enim in illis nec mens nec corpus officium ſuum facere poteſt, & ipſi ne ſubſiſtere quidem vel incedere: ſic etiam pœnæ iſtiusmodi divinitus immisſæ miſeros mortales ita affligunt, ut & ipſi præ terrore non poſſint conſiſtere, & animo ita ſint conſternati, ut quo ſeſe vertant neſciant. Quam ob cauſſam vero potus inebriantes ita mulctent & animum & corpus, non poterit obſcurum eſſe ex illis, quæ dudum ſupra de ebrietate in medium allata ſunt, quæ proinde ut hic denuo repetantur non eſt neceſſum.

Ad Apocal. XVI. ℣. 2. & 11.

Vox ἕλκυς quamvis apud ipſos Græcos rei Medicæ ſcriptores non eodem præciſe ſenſu ſemper accipiatur, potiſſima tamen ejus ſignificatio iſthæc ea eſt, per quam

Sed & omnibus, recte licet, curatis & adminiſtratis vulnus aliquod in hoc vel illo poteſt eſſe letale, quod in aliis non eſt, ob propriam corporum ſingulorum naturam. Alii videlicet homines cito animo linquuntur & alias ſunt debiles; alii contra robuſti quique tormenta & ferrum atque ignem citra notabilem alterationem etiam aliquando tolerant. Id quod ætatum, vitæ generis, aliarumque rerum diverſitas itidem clariſſime docet.

ſolutio continuitatis & quidem ab acribus & erodentibus vel aliis rebus facta denotatur. Per ulcus porro pravum & malignum ſive ut h.l. appellatur κακὸν & πονηρὸν poteſt quidem intelligi tale aliquod ulcus, quod alias κακοηθὲς à Medicis dici ſolet, quod videlicet difficulter coëat & conſolidetur, & mala quoque ſymptomata adjuncta habeat. Verum quum ulcus illud deinceps ita inſuper quoque deſcribitur, ut hominibus ingentes cruciatus & dolores legatur attulisſe, præſertim ſi hoc ipſum, ceu fieri par eſt, de ulcere quodam epidemice graſſante & divinitus immiſſo accipere velimus; nullum videtur eſſe dubium, quin iſte affectus intelligatur, quem ἄνθρακα & carbunculum Medici nominant, quod nempe ad inſtar alicujus ignis & candentis prunæ hominem urat. Quamvis enim ἄνθραξ non ſit ſimplex aliquod ulcus, ſed potius compoſitus affectus ex tumore & ulcere; nihil tamen impedit, quo minus ulceris nomine denotari poſſit: præſertim quum vulgarem ad modum voces iſtæ hic uſurpentur, & omnis ἄνθραξ exulceretur adeoque non ſit ſine ulcere. Accedit præterea & hoc, quod carbunculus ſæpiſſime peſtilentes affectus comitetur, & inter illa quæ peſtilentiam ſequuntur ſit ferme omnium vehementiſſimum, tum quod ad dolores tum etiam periculum pertinet. Id quod huic quoque loco conveniens apprime eſſe per ſeſe patet, ceu jam diximus. Licet enim fortaſſis per affectus illos, qui tum hoc tum aliis hujus prophetici libri capitibus commemorantur, non ipſi illi, ſed per Metaphoram aliquid denotetur: nihil tamen obſtat, quo minus tales affectus quoque proprie denotentur: quin quam maxime veriſimile id eſt, quod videlicet inter omnes illas calamitates & plagas, quas Deus hominibus immittit & adhuc immiſſurus eſt ſub extremis præſertim hujus mundi tem-

Digitized by Google

temporibus, morbi quoque illi epidemii cumprimis recenſeri debeant.

Quod autem ad cauſſas anthracum (naturales videlicet pertinet, vulgo quidem materia illorum refertur in humorem partim bilioſum partim melancholicum. Sed quum humores illi non careant dubitatione, præterea quoque qualesnam ipſi illi ſint apud omnes nòn æque conveniat, non eſt ad eum modum de anthracibus ſemper loquendum. Peſtilentes ſane carbunculos non ſemper à tali humore produci, facile oſtendi poteſt. Scilicet in iſtiuſmodi tumoribus & ulceribus duo cumprimis attendenda ſunt. *Primum* humor ipſe tumorem vel exulcerationem producens. Quem craſſarum & terreſtrium partium maxime eſſe, ex eo colligitur, quod difficulter ad ſuppurationem perveniant ulcera iſta, & præterea parum ſint humida, ſed maxime ſicca. Quo ſiccior autem & craſſiorum partium humor aliquis eſt, eo difficilius quoque à calore ſubigitur. Unde porro fit, quod tales tumores peſtilentes citra ullam ſuppurationem diu poſt, per complures etiam annos, in corpore remaneant, & vel ita ſuccedente tempore tandem maturantur, vel etiam ita crudi relinquantur in ſcirrhos mutati. *Deinde* conſiderari debet tumorem comitans malignitas, quæ facit ut plurimùm tales tumores etiam ſint letales, ſemper vero & omnes graviſſima ſymptomata ſecum afferant: quod in aliis tumoribus vel exulcerationibus non ita fieri ſolet. Præter hæc *tertio*, in carbunculis adhuc attendi debet inſignis caliditas, quæ alios tumores etiam peſtilentes non ſolet comitari. Et autem illa tam valida, ut in viſum quoque incurrat. Eſtque tanto vehementior, quanto craſſiorum partium fuerit humor, & propterea ad calorem illum fovendum quam maxime aptus. Conſtat videlicet alias quotidianis experimentis, quanto

Digitized by Google

craſſius aliquod corpus fuerit, eo fortius quoque & diutius id poſſe calidum ſive ignem intra ſeſe receptum retinere: quum ex adverſo quo rarius & tenuius quid eſt, eo citius ignem iterum patiatur elabi. Manifeſto id deprehendere eſt in carbone vel ferro ignito & fervente aqua. Hæc enim ſicut cito caleſit, ita cita quoque refrigeratur: quum contra carbo vel lapis aut ferrum tardius quidem ignem intro admittat, longe diutius tamen eum retineat. Hac etiam de cauſſa fibroſum ſanguinem longe eſſe calidiorem præ illo, qui aquoſus eſt & dilutus, ingenioſe jam Ariſtoteles obſervavit. Quæ proinde porro unica cauſſa eſt, quod gentium ſeptentrionalium corpora longe ſint calidiora præ orientalibus & meridionalibus, gentes etiam hæ à noſtratibus robore corporis & animi fortitudine longe ſuperentur. Quod alias uberius expoſitum ex occaſione nunc duntaxat attingimus. Hac igitur de cauſſa anthraces quoque præ omnibus aliis tumoribus inſigniter ſunt calidi. Ab eadem quoque caliditate ex parte eſſe poteſt, quod locus affectus inſtar carbonis aduſti nigricet: niſi id vel malignitati humoris vel ſphacelo cuidam adſcribere malis.

Ad Apocal. XVI. ℣. 8. & 9.

Perinde eſt, ſive hunc æſtum de febribus ardentibus vel ſimilibus accipiamus, & talibus quidem quæ cum ulceribus illis ſolent eſſe conjunctæ, id quod ex *11. verſu* aliquomodo poſſet colligi: ſive generatim de ingenti aliquo æſtu, qualis tempore æſtivo eſſe ſolet. Quamvis poſteriori tamen ſenſu ea equidem exponere malim, quem & ipſum æſtum calidiſſimi quoque affectus excipere ſolent. Quidquid tamen ſit, nihil certi fortaſſis hic licet definire: præſertim quum in genere illo typico nunquam fere non aliud quid denotetur. Suffecerit itaque hæc

omnia

Digitized by Google

omnia de ingentibus calamitatibus accipere: in quibus tamen quum affectus epidemici & peſtilentes, tempeſtates itidem inuſitatæ, cumprimis etiam recenſeri debeant, literali quoque ſenſu hæc accipere nihil vetat.

Quod ſeorſim vero ad ingentem aëris æſtum pertinet, utique vi corporum cæleſtium & præcipue quidem ſolis eum produci extra controverſiam eſt. Tantum hoc ſimul obſervetur, non à ſolo illo ſiderum motu varias illas aëris alterationes dependere. Nec enim tum ulla ratio reddi poteſt, quare non raro verno tempore longe major ſit æſtus quam æſtate media: quin imo qui fiat, quod ſubito & una hora plane contraria tempeſtas ſæpius oboriatur. Sunt videlicet hic ſemper conſiderandi venti: quorum exortus quum plane inconſtans & ſubitaneus ſit, pro illorum autem diverſitate ipſemet quoque hic aër circa ſuperficiem terræ plurimum immutetur, facile utique apparet, quam nihil omnino certi de futuris tempeſtatibus prædicere liceat & præter ea omnes illas prædictiones Aſtrologorum ſubinde falli contingat. Hoc tamen certum eſt, quo altius ſol ſupra Horizontem aſcenderit, eo majorem quoque excitari æſtum; niſi ventus ex frigido loco ſpirans aliam temperiem aëri inducat. Et hæc cauſſa eſt, quod tempore æſtivo maximus plerumque ſit æſtus, quod item meridies partium omnium diei ſit calidiſſima. Qui æſtus præterea tanto magis intenditur, quanto tranquillior fuerit aër. Fortaſſis quod tum ipſemet aër quadamtenus naturam ignis adſciſcat, id quod per ventilationem prohibetur, ceu pluribus diſputavimus in *Inſtit. Phyſiologicis.*

Quanta moleſtia vero & anxietas à nimio æſtu cum aliis animatibus tum hominibus concilietur, vel ex eo quilibet poterit æſtimare, quod in balneis vel aliis hypocauſtis nimium calefactis ſolemus experiri. Id quod in tempeſtatibus

tibus calidis tanto gravius adhuc accidit, quanto latius tum talis intemperies eſt diſperſa, quantoque difficilius id licet corrigere. Hinc ſane fit, quod à nimio æſtu homines quandoque ſuffocentur; ceu potiſſimum accidere ſolet *rapido feſſis meſſoribus æſtu:* accedente tum inſuper interno quoque à laboribus excitato æſtu.

Quî vero talis æſtus ſuffocandi vim habeat, non immerito quæritur. Videtur autem id propterea fieri, quod quum aër externus in pulmones adductus ſanguinem & fervorem cordis temperare debeat, quo calidior fuerit aër, eo magis quoque calor ille in corde & pulmonibus exæſtuet, atque ita tandem ferveat, ut & per ipſa vaſa pulmonis non amplius commode poſſit diſtribui, & circa cor propterea reſtagnet. Sane tale quid hic fieri omnino neceſſum eſt, quum alias quî mortem afferre poſſit, non pateat. Id quod præterea eo citius quoque contingit, quo & calidior eſt aër & pulmones quoque infirmiores.

Præterea quoque licet non ſemper mortem, ſemper tamen magnam anxietatem cordi affert nimius æſtus. Id quod à calido illo nimis ebulliente & efferveſcente & quæ hinc ſequitur ſanguinis circa cor regurgitatione fieri palam eſt. Quod maxime alias quoque obſervare licet in illis, qui calidiſſimo aliquo morbo laborant. Nunquam quoque non accidit, ſi quis in conclavi nimium calefacto moram trahat; qua etiam de cauſſa ſolent tum feneſtra vel janua aperta frigidiorem aërem admittere: quo facto, protinus anxietas illa ceſſat.

Denique ſemper quilibet æſtus, licet minus intenſus vel vehemens, tamen vires totius corporis inſigniter enervat & debilitat. Id quod ex omni calida intemperie cujuscunque generis, ſive ab aëre ſive à motu corporis, ſive ab affectu animi, ſive à morbo, ſive aliunde producta ſit, cui-

vis

vis licet deprehendere. Cujus quidem cauſſam licet alii in defectum ſpiritus vitalis vel animalis referant; id quod recte explicatum non incommode dicitur: malumus tamen ita loqui, ut rei ſimplicitati quam maxime convenit. Conſtat videlicet, ut calidum nativum noſtri corporis in corde habitans verus & elementaris aliquis eſt ignis, ita plane quoque ad eum modum, quo alius ignis in humido & ellychnio hærens afficitur, tum conſervari tum alterari tum etiam exſtingui. Sicut igitur alius ignis omni ſuo pabulo conſumto vel ellychnio etiam exhauſto exſtinguitur: ſic etiam calidum noſtri cordis ſive ignis animalis, ſanguinis pinguibus partibus quibus alitur conſumtis, non poteſt non deficere: præſertim quando per cauſſas externas nimium ille fuerit excitatus & mobilis redditus. Per aëris igitur calidam intemperiem quum corpus quoque noſtrum juſto calidius fiat, fit utique, ut noſtrum quoque illud calidum incrementa capiat, & in ſanguinem violentius agat, parteſque ejus laudabiles citius abſumat. Demum externus aëris calor, calorem internum debilitando & provocando & partes corporis afficiendo & exſiccando, non poteſt quoque non vires debilitare; utpote quæ & in calidi iſtius juſta conſtitutione, & ſingularum partium recta temperie conſiſtant: quorum vel alterutro vel utroque læſo, neceſſario quoque vires jacturam facere oportet.

Ad Apocal. XVI. ℣. ult.

Quamvis procul dubio nec hic locus ſecundum literalem ſenſum ſit ſimpliciter intelligendus; licet ex parte tamen ille quoque admitti poſſit, quod inter calamitates divinitus immiſſas minime poſtremum locum obtineat grando: non fuerit tamen abs re, grandinis generationem paucis duntaxat attingere. Et quidem grandinem ſupernaturaliter & divinitus etiam quandoque gigni extra dubium

bium eſt. Cujus rei maxime notabile exemplum habeamus *Joſuæ X. v.11.* A dæmone & ſatellitio ejus idem fieri, aliunde conſtat. Verum de ejusmodi cauſſis nobis nunc ſermo non eſt.

Quod autem ad naturales ejus cauſſas pertinet, *primo* grandinem ex aqua concreta gigni, ex eo luculenter apparet, quod à calore reſoluta in aquam abeat. Unde ſimul *ſecundo* patet, cauſſam ejus efficientem eſſe frigus.

Potior vero eſt *tertia* quæſtio de loco in quo generatur. Et multis quidem viſum eſt concretionem illam intra ipſas nubes fieri. Verum id idem nullo modo concedi poteſt. Futurum enim tum potius eſſet, ut ipſa integra nubes in glaciem denſaretur. Ideoque longe magis vero conſentaneum eſt, pluvias guttatim ex nubibus deſtillantes cadendo in grandinem concreſcere: quomodo etiam nix generatur. Prout videlicet majores guttæ fuerint, & plus aquæ in unum confluxerit, pro eo quoque tum nix tum grando nunc major nunc minor eſt; ceu præclare quoque diſputat Franciſcus Valleſius *c.50. & 54. Sacræ Philoſophiæ.*

Longe major adhuc *poſtremo* controverſia eſt circa cauſſam efficientem. Quamvis enim in frigore illam conſiſtere certum ſit, non tamen inde ſtatim liquet, in quonam corpore frigus iſtud hæreat. Nec enim ſolum frigus, hoc eſt, omnis caloris abſentia negotium hoc conficit: perinde ut cum glacie & congelatione res ſeſe haber. Et Chemici quidem ſpiritum aliquem nitroſum vel ſalinum hic proferunt. Et vero beneficio ſalis vel nitri fieri poſſe, ut media etiam æſtare & in loco maxime calente aliquid congelet & concreſcat, certum eſt. Verum 1. non ſequitur: ſi à nitro vel ſale id fieri poteſt, ergo ad ejusmodi concretionem & congelationem nitrum vel ſalem ſemper requiri. *Deinde* in omnibus concretis & congelatis rebus ſalem vel nitrum eſſe,

Digitized by Google

eſſe, falſiſſimum eſt. Non dubitant quidem ad eum modum homines illi, quique cum iis faciunt, loqui: verum id fit per magnam vocum iſtarum κατάχρησιν, neutiquam ferendâ audaciâ.

Illud itaque ex omnibus circumſtantiis non obſcure colligitur, frigus illud in vapore quodam ſive exhalatione eſſe ſitum. Nec enim alias apparet, quî quædam aqua tardius congelet; item quî fiat, quod arbores & aliæ plantæ modo circa radicem, modo circa ſummitatem, modo in excelſo loco, modo in declivi & convallibus, à frigore lædantur, cujus rei exemplum nuperrime plus quam luculentum habuimus.

Ad Apocal. XIV. ℣. 10; XIX. ℣. 20; XX ℣. 10. & 14.

Non videtur eſſe dubium hæc de inferno & æterno igne debere accipi, qualis videlicet ille aliquando futurus eſt. Nec enim dixerimus cum nonnullis, præſertim Pontificiis, jam infernum ipſum actu reperiri & eſſe quidem in centro terræ. Multo minus quemquam morari debent fabulæ illæ quæ de antro divi Patricii in Hybernia, vel Hecla monte Iſlandiæ ſimilibusque aliis locis (quamvis dæmonia iſtis potiſſimum præ aliis locis commorari ultro conceſſerim) vulgo credulo & ſuperſtitioſo dudum perſuaſa ſunt. Quin potius dicendum venit, hunc ipſum terrenum mundum extremo die in locum illum damnatorum mutatum iri: ut videlicet ubi commiſſa ſunt peccata, ibi quoque luantur; & res illæ quibus ad pravitatem & malitiam ſuam homines abuſi ſunt, in inſtrumenta pœnarum ipſis infligendarum viciſſim convertantur. Quomodo ager Sodomiticus materiam præbuit igni cælitus in eum depluenti.

Quamvis autem ignis ille infernalis ἄσβεστος ſit futurus & in infinitum duraturus, atque ita ſuſtentari non poſſit corruptibili & conſumtioni obnoxia aliqua materia; ad

noſtrum tamen captum nutriri dicitur ſulphure; quod videlicet ſulphur & bitumen inter omnes res maxime ſint combuſtibiles & ad ignem concipiendum aptiſſimæ. Tali etiam materia multa loca ſubterranea ſcatere, & propterea vel perpetuo vel ſæpe flammas eructare, extra omne dubium eſt. Id quod fumus & alia ex ejusmodi Vulcaniis officinis prodeuntia manifeſto probant. In quam rem operæ pretium fuerit legere, quæ eleganter diſſerit Joſephus Acoſta *lib. 3. hiſt. Indiæ Occid. cap. 24, 25, 26.* Et vero omnino metuendum eſt, ne aliquando, quum videlicet omnis materia accenſa fuerit, ingentes quoque terrarum tractus miſerabili ruinæ involvantur. Id quod in Europa noſtra maxime dicendum eſt de Campania & nonnullis aliis regionibus regni Neopolitani, ut etiam bona parte vicinæ Siciliæ.

Ad Apocal. XXI. ℣. 11.

Jaſpis quondam in maximo pretio fuit, cumprimis autem in populo Iſraëlitico, & procul dubio apud alias etiam gentes orientales. Qua etiam de cauſſa inter lapides pretioſiſſimos cooptata fuit, ex quibus confectum erat pectorale, quod ſummus Sacerdos geſtare debebat, Exodi 39. Similiter & hoc capite *v. 19.* primo loco ponitur. Cumprimis autem dignitas ejus & nobilitas ex hoc ipſo verſiculo maxime colligitur, quod videlicet lumen illud cæleſtis Hieroſolymæ ſimile fuiſſe ſcribatur Jaſpidi cryſtallizanti. Nec enim cum iſta gemma lux illa comparata fuiſſet, niſi ſummo fuiſſet in pretio.

Sunt autem Jaſpidum variæ ſpecies, quas inter alios accuratiſſime perſequitur Georgius Agricola *lib. 6. de natura foſſilium.* Nec vero quidquam h. l. ſeſe offert difficultatis, niſi quod ad gemmæ iſtius ſplendorem pertinet, quum Jaſpis primum locum obtineat inter illas gemmas,

quæ

Digitized by Google

quæ tranſlucidis opponuntur, adeoque calôris varietate ſeſe potius commendant, non tamen ſunt pellucidæ. Verum & hoc ipſum non eſt quod aliquem turbet. Quamvis enim Jaſpidis omnes ſpecies ad eum modum quo aliæ gemmæ non tranſluceant, nec ſint perſpicuæ, (licet de illa Jaſpide viridi, quæ Smaragdum imitatur, illud Plinius affirmet, à quo tamen diſſentit modo laudatus Agricola,) pleræque tamen interdum pellucent, quamvis totæ perraro, ceu Agricolæ diligentiſſimo harum rerum ſcrutatori eſt obſervatum. Præterea licet non ita nec ſemper pelluceat Jaſpis, nihilominus tamen mirifice nitet; id quod ad ſplendorem illum, quem lumen præ ſe fert, magis convenit, quàm pelluciditas. Nitor videlicet ille provenit ab æquali ſuperficie. Qua etiam de cauſſa ſpecula illuſtrata maxime renitent. Sed & certa quædam Jaſpidis ſpecies procul omni dubio heic intelligitur, κρυσταλλίζουσα videlicet, quam Agricola & alii cryſtallinam vocant, quod Cryſtallum imitetur, pituitæ ſimilis. Quapropter perinde quidem eſt, ſive pelluciditatem intelligamus ſive nitorem: quamvis poſterior explicatio magis cum ſplendore luminis videatur convenire. In univerſum ſcil. quæ tranſlucent minus lucent vel radiant, quam illa quæ non ſunt tranſlucida, renitere tamen & radios emittere poſſunt. Qua etiam de cauſſa omnes pellucidæ gemmæ ſi quando radios emittere & lumen refractum referre debent, pelluciditas illarum per ſubjectum opacum corpus tollitur. Simul & hoc quoque patet, minus accurate B. Lutherum Græca illa verba ὡς λίθῳ ἰάσπιδι κρυσταλλίζοντι reddidiſſe einem hellen Jaſpis / quum potius reddenda eſſent: *Jaſpidi Cryſtallizanti*, quomodo illa reddit Eraſmus; vel *Jaſpidi inſtar Cryſtalli ſplendenti*, ceu vertit Beza,

Deinde & hoc hinc diſcere licet Jaſpidem Cryſtallinam fuiſſe quondam præ aliis Jaſpidis ſpeciebus in maximo pretio, quum hodie ſit inter illas, quæ non magni æſtimantur: quod primæ hodie deferantur Jaſpidi Boreæ, ſeu Turcicæ, cui quondam apud Romanos & alias gentes quartæ tribuebantur. Quomodo ſolent gemmarum & metallorum quoque pretia nunc augeri nunc minui, prout vel in majori copia haberi poſſunt, vel ſunt rariora, vel etiam à magnatibus affectu jubente pluris æſtimantur. Ut vel hinc luculenter appareat, ut aliarum rerum ita gemmarum cumprimis valde inconſtans & incertum eſſe pretium, ut huic rei quam maxime conveniat illud verbum: *Omne rarum carum.*

Ad Apocal. XXI. ℣. 18. & 21.

Quodnam inter pelluciditatem & (ut ita dicam) reſplendentiam ſeu renitentiam ſit diſcrimen, ex illis quæ modo allata ſunt ſatis conſtat. Vitrum vero quam maxime eſſe translucidum, hodie ſatis ſuperque notum eſt: & quidem tanto magis id eſſe tale, quanto fuerit purius & magis mundum: qua etiam de cauſſa hoc ipſo in loco vitrum idem quod modo *purum*, poſt *pellucidum* vocatur. Eſt autem illud potiſſimum obſervare in variis vitri ſpeciebus, quas inter hodie in præcipuo pretio eſt Venetum, maxime purum & maxime etiam pellucidum, ſicut quondam Sidonium vitrum præ omnibus aliis maxime erat nobile. Cujus quidem rei cauſſa tum in materia ex qua conficitur, tum in artificioſa præparatione conſiſtit. De qua re operæ pretium fuerit legere, quæ nos docet idem ille nunquam ſatis

Vitrum inter lapides eſt ſicut ſtultus inter homines, Declinat enim ad omnem tincturam, & tingitur ea, & frangitur, & abſcinditur cum ea. Avicenna *lib. 2. tract. 2. cap. 731.*

Digitized by Google

ſatis laudatus Agricola tum fine *lib. 5. de natura foßilium* tum ſub finem *lib. 12. de re Metallica.*

Pelluciditatis autem cauſſa ſita eſt in partium æqualitate, ſicuti nitoris in lævitate ſuperficiei. Qua etiam de cauſſa quæcunque lævigata ſunt, reſplendere ſolent. Pelluciditas vero ſtatim tollitur, ſicuti æqualitas illa tollatur. Quod in vitro quoque manifeſto apparet. Qua parte enim illud fractum eſt, ſtatim pelluciditatem amittit. Id quod proinde in oculi & cumprimis pupillæ læſione quoque contingit. Fracta enim tunica cornea, nitor quoque ipſe & oculi ſplendor tollitur, nec amplius res, quæ oculo objicitur in pupilla repræſentatur: quum pupilla oculi recte conſtituti habeat ſeſe adinſtar alicujus ſpeculi imagines rerum obverſantium referentis.

ADDENDA.

Ad Matth. XXVII ℣. 5; Act. I. ℣. 18.

NOn levis agitatur controverſia de mortis genere, quo Judas, Salvatoris & domini ſui proditor, perierit, ceu ex variantibus opinionibus planum eſt, quas magnam partem in unum collectas præter alios exhibent tum Johannes Maldonatus *Comment. in Matthæum*, tum Cornelius Cornelii à Lapide *Comment. in Acta Apoſtolica*.

Communiter quidem ſuſpendio eum ſemetipſum necaſſe ſtatuitur: à quo tamen nonnulli recedunt, & *primo* quidem ipſorum verborum quibus S. Scriptores utuntur generaliori ſignificatione moti. Matthæus ſiquidem τὸ ἀπήγξατο uſurpat, quo verbo nihil aliud denotari ajunt quam ſuffocationem: jam vero non ſolum ſuſpendio vel ſtrangulatione ſuffocationem induci poſſe, ſed etiam alia ratione & quidem à morbis quibusdam. Lucas præterea πρηνὴς γενόμενος λακῆσαι μέσον ſcribit, quod nihil aliud denotat, quam pronum ipſum factum ſonuiſſe vel potius cum crepitu medium diſruptum fuiſſe. Ideoque cenſent fieri potuiſſe, ut angina ſuffocatus perierit, & ex lecto vel alio loco in quo decumberet præceps datus, & in caput præcipitatus fuerit, atque ita factum, ut venter rumperetur & inteſtina effunderentur.

Deinde

Judam non ſuſpendio ſed graviſſimo exulceratæ conſcientiæ tormento, hoc eſt mœrore, periiſſe; quemadmodum Achitophelem ſentiunt Hebræorum non inerudiri mœſtitia periiſſe. Grot. *annotat. in Matth. XXVI, 5.* Et Achitophelem & Judam præ magna

Deinde ex Hebraico quoque non parum præſidii huic ſententiæ peti poſſe quibusdam videtur, nimirum propterea quoque illi nomen Iſchariothæ adhæſiſſe, quod Rabbini anginoſum vocent *Iſcharatha*. Nec obſtare quod Matthæus dudum ante nomen illud ipſi tribuerit, *cap IX.* videlicet, ubi nomina Apoſtolorum recenſet. Factum enim id eſſe per Anticipationem tum in S. Scripturis, tum apud alios quoque hiſtoricos frequentiſſimam. Hinc etiam eſſe quod Matthæus ſtatim eodem loco, ubi nomen ejus exprimit, ſimul mentionem faciat proditionis, quæ tamen diu itidem poſt contigit.

Tertio cum Judæ hoc exitu coincidit, interitus Achitophelis, qui deſcribitur *II. Sam. ſive Reg. XVII, 23.* ubi apud LXX. quidem idem illud verbum quo Matthæus utitur (τὸ ἀπήγξατο videlicet) occurrit, quum in Hebraico habeatur vox *Chanan*, quæ perinde ut Græca illa vox ambiguæ ſit ſignificationis & in genere ſuffocationem tantum denotet.

---

gno animi mœrore ex angore fuiſſe mortuum, Heinſ. *exercit. ſacrar. in Matth. c. 21.* obſtructo nempe ſpiritus meatu, qui proprie angor animi vel corporis, plerumque fauces ſive ſummas gulæ gutturisve partes cum anxietate maxima præcludit. Id. Exerc. in Acta cap. I. vid. quoque Gerh. Ioh. Voſlii Harmon. Evangeliſt. lib. 2. cap. 3. §. 34. *Judas, qui quondam audierat: Tu autem homo, qui ſimul mecum dulces capiebas [illegible], dux meus & notus meus, in domo Dei ambulavimus cum conſenſu, proditor amici & magiſtri: Salvatoris arguitur voce. Et nodum informis lethi trabe nectit ab alta. Econtrario latro crucem mutat paradiſo, & facit homicidii pœnam martyrium.*

Elias in *Thisbi* refert, quosdam opinari, Achitophelem præ nimio animi dolore & tædio, quod non ſucceſſiſſet conſilium ejus, mortuum eſſe angina ſeu ſuffocatione. Daniel Feſſelius *l. 1. adverſarior. ſacror. c. 11.* §. 1. qui tamen rect. §. 2. nobiſcum ſentit.

Google

notet. Qua etiam de cauſſa, quo ſenſu in illo loco verbum illud capi debeat, inter ipſos quoque Rabbinos non convenit: aliis hic itidem anginam producentibus, aliis ex adverſo ſtrangulationem agnoſcentibus. Et qui in priori quidem ſententia ſunt Rabbini inter alia id quoque urgent, quod non fuerit ex dignitate tanti viri, Achitophelis videlicet, ſummi Regis conſiliarii & in maxima autoritate conſtituti, tam infame mortis genus ſibimetipſi inferre.

Quidquid autem de his aliiſque argumentis ſit, non poſſumus tamen non illis accedere, qui & Achitophelem & Judam ſtrangulatione & quidem laqueo ipſis circumjecto interiiſſe cenſent. Ut enim à poſtremo *primo* ordiamur, licet vox illa Hebraica in genere ſuffocationem atque etiam ſeorſim ſanguinoſam ſuffocationem denotet, pro poſteriori tamen ſignificatione plura militant. Et *primo* quidem quod ita per paraphraſin deſcribatur in *Targum*. *Deinde* quod alia vox ab hac radice derivata ejusmodi ſupplicium denotet, quo laqueo collo circumjecto quis ſuffocatur. Quibus & *tertio* addi poteſt explicatio, quæ in *Lexico Hebræo Germanico* habetur: quamvis illa nonnihil generalior. Quemadmodum hæc omnia me docuit clariſſ. Saubertus noſter.

Similis *deinde* plane ratio eſt & vocis *ἀπήγξατο*. Licet enim & illa in genere ſuffocationem quamvis denotet, ſpeciatim tamen ſtrangulationem & quidem per *ἀυτοχειρίαν* factam ſignificat. Quo ſenſu quoque apud Thucydidem illam vocem reperiri Lexicographis obſervatum eſt. Id quod nonnullis exemplis quoque confirmat Salmaſ. *epiſt.3. de cruce apud Barthol. pag. 618.*

Tertio quod ad anginam pertinet, utique verum quidem eſt, illam eſſe morbum valde acutum & præterea ſuffocando faucibusque præcluſis & ſpiritum ſive aërem intercipiendo

ciendo ægrotos perimere. At vero qui hic locum invenire poſſit, non video. Nec enim ex deſperatione, quæ & Achitophelem & Judam urſit, unquam quiſpiam alius anginam incurriſſe legitur.

Perridiculum] vero *quarto* eſt Rabbinorum argumentum, quod videlicet ſumma Achitophelis autoritas non videatur admiſiſſe tam infame mortis genus.

Quin imo *quinto* veriſimillimum eſt, & omnis ævi experientiæ maxime conſentaneum, homines deſperatione actos ad laqueum confugere. Ut nullum mihi videatur eſſe dubium, quin uterque laqueo collo circumjecto ſemetipſum ſtrangulaverit.

Quod vero de Juda inſuper legitur, eum pronum crepuiſſe medium: id vel ita intelligi poteſt ſecundum nonnullos, quod laqueo rupto in faciem præcipitatus fuerit; vel, quod ita pendens prono fuerit capite, ſeu omnes ſuſpenſi eſſe ſolent.

Quod denique ad crepaturam ſive rupturam ventris & inteſtinorum effuſionem pertinet, utique videtur illa fuiſſe plane ſupernaturalis & divinitus facta. Nec enim ullum ejusmodi crepaturæ exemplum apud alios occurrit. Nam quod hydropem adducunt, quod nempe Judas hydropicus factus fuerit & ita demum ruptus, plane nihili eſt. Nec enim ullo fundamento, id nititur: & aſcite hydrope confecti nunquam tamen crepuiſſe vel ruptos fuiſſe fuit obſervatum.

Ut perinde naturalis quidam morbus nullo modo hic locum poſſit invenire, pariter ut nec in Achitophelis lugubri exitu.

Ad Marci VIII. ℣. 24.

Quod h. l. ſcribitur, non alienum videtur eſſe ab illo quod phyſici tradunt, arbores & quasvis alias plantas ſi-

Digitized by Google

miles quodammodo eſſe homini inverſo: ita videlicet ut partes illæ quæ in hominibus ſunt ſuperiores, in ſtirpibus inferiori loco ſint poſitæ; & viceverſa, hominis partes inferiores, in ſtirpibus ſint ſupremæ. Quo maxime quoque pertinet Ariſtotelis doctrina, qua partem illam corporum viventium, per quam alimenta aſſumuntur, dicit eſſe ſuperiorem. Hæc vero in plantis utique non alia eſſe poteſt atque radix. Poſſet itaque hoc ipſum, quod de cœco cui viſus reſtitutus eſt, commemoratur, ita intelligi, quaſi illi ad eum modum viſi & objecti fuerint homines, quomodo plantæ & earum ſitus ſeſe habent: ut videlicet homines ille viderit, quaſi capite in terram verſo, pedibus autem verſus cœlum porrectis eſſent. Eo nempe modo, quo beneficio alicujus priſmatis ex vitro confecti vel alio artificio in Camera (quam vocant) obſcura tali ſitu & homines & ædificia & arbores (inverſo videlicet naturali) & in univerſum omnia exterius poſita referuntur & repræſentantur,

Verum me quidem Judice eo ſenſu locus iſte non videtur eſſe accipiendus, ſed in genere potius, quod homines ita oblati fuerint, quomodo arbores â longinquo apparere ſolent, quod nempe non potuerit cognoſcere veram figuram. Procul autem dubio homo ille vitium viſus non à nativitate contraxit, ſed deinceps id ipſi accidit. Fortasſis etiam ſuffuſione vel alio aliquo ſimili morbo laboravit; ita ut quæ ipſi objicerentur depravate ab eo viderentur; quod vitium malo increſcente in cœcitatem poſtmodum abierit. Id quod innuere videntur iſta verba quæ ſequenti verſu leguntur, quod reſtitutus fuerit & omnia rurſus viderit τηλαυγῶς & acute; quod B. Lutherus commode quoque reddidit & expreſſit.

Digitized by Google

Ad Levit. XXVI. ℣. 16; Deuter. XXIIX. ℣. 21. & 22,

Circa morbos iſtos, quos Deus Iſraëlitis legem ſuam transgredientibus interminatur, notandum eſt (1) non ſimpliciter quinam morti proprie intelligantur inter interpretes convenire. *Deinde* quæri etiam poſſet, quid hi morbi, quorum hic mentio fit, etiam diverſum ſentientibus interpretibus, ab aliis peculiare habeant; quum longe plures adhuc ſint corporis affectus, non minus quin imo vehementius quoque heic commemoratis id affligentes, qui tamen neutro loco attinguntur. Cumprimis quippe maxime horrendi ſunt illi affectus, qui inſignes dolores habent conjunctos; quod tamen de nullo qui hic adducuntur ita proprie videtur poſſe dici. Licet enim affectus hic memorati hominem tandem conficiant, quum tamen plerique vix aliquem dolorem afferant, minus acerbi videntur eſſe præ iſtis.

Verum (1) quidem neutiquam hæc ita accipienda ſunt quaſi ſolos hos morbos Deus ſeſe illis immiſſurum eſſe ſit minitatus, ſed etiam alios qui vel iſtos conſequi poſſunt vel cum iis conjunguntur. *Deinde* plerique morbi utroque hoc loco recenſiti ſunt epidemii & populariter aliquando in quosvis promiſcue ſolent graſſari. Talibus autem morbis Deum quam maxime uti, quando non unum vel alterum ſed integram aliquam civitatem punire vult, ipſamet experientia omnis ævi docuit. *Tertio* nec ab illis affectibus excluſus eſt dolor, ſed multos ſic ſatis acerbus comitatur. *Quarto* magna quoque illorum morborum dolorificorum pars ſub his ipſis ſimul continetur, ſub illis videlicet qui ſenſim hominem conficiunt. Quibus & *quinto* hoc addendum, quod omnes illi affectus quos Deus ſe irrogaturum eſſe minitatur, non unam vel alteram aliquam corporis partem ſed univerſam afficiant, ita ut ejusmodi

Digitized by Google

affectus quam maxime ab aliis poſſint cognoſci & in oculos incurrant.

Quandoquidem vero diverſitas quædam inter interpretes ceu modo dicebam, hic occurrit, morbos iſtos ita conſiderabimus, ut variantium interpretum ſimul quoque ratio habeatur.

Et *PRIMO* quidem inter morbos illos refertur *Terror* & ἀπορία, idque ſummo jure. Quamvis enim affectus ille animum proprie reſpiciat, nihilominus tamen ad corpus quoque præ aliis quam maxime pertinet, pro arcto illo inter animam & corpus intercedente vinculo & affinitate. Eſt videlicet terror inter illos affectus, qui graviſſime ſimul univerſum corpus afficiunt, & tanto quidem gravius, quanto vehementior fuerit. Et vero hoc cumprimis denotat vox ἀπορίας, qua LXX. utuntur, qua ejusmodi terror hic ſignificatur ut homo præ anxietate quo ſe vertat neſciat. Id quod cumprimis etiam conſentaneum eſt omnibus reliquis Propheticis prædictionibus, & eas inſecuto maxime lugubri & horrendo eventui.

Quantopere vero per ejusmodi terrorem univerſum corpus afficiatur, vel ex unius Belſazaris hiſtoria Danielis V. deſcripta luculentiſſime conſtat. Ubi de affectus illius in corpus noſtrum vehementiſſima vi quum jam diſſeruerim, nunc quidem denuo illa repetere non eſt neceſſum. Hinc ſane tanta vis eſt terroris, ut plurimi graviſſimos quoque morbos inde incurrant. Cumprimis autem illis nocet, qui vel jam tum morbo aliquo laborant, vel convaleſcunt, vel alias ſunt valetudinarii. Ante omnes vero peſſime inde ſe habeant epileptici, apoplectici, febricitantes, puerperæ, & ejus generis affectibus obnoxii alii. Et tanto quidem vehementius à terrore corpus affligitur, quanto ipſemet & vehementior & diuturnior & frequentior fuerit. Quinimo

unicus

unicus terror usque adeo ſæpe eſt violentus, ut letales quoque morbos inducat. Quæ omnia quum à quotidiana experientia ſubinde comprobentur, fruſtra fuerit ullo exemplo ire illuſtratum.

Quod ad *SECUNDUM* morbi genus jam attinet, de eo mira eſt interpretum diſcrepantia. Quidam enim tabem ponunt Lutherus noſter intumeſcentiam ſeu Schwulſt/ LXX. V. ψῶραν ſive ſcabiem. Quidquid autem ſit de his aliisque verſionibus, ad textus originarii veritatem nunc illa examinare nihil attinet, ſed potius hac in parte (ceu modo dictum) interpretibus indulgendo de omnibus illis affectibus, qui in verſionibus occurrunt, aliquid afferemus.

Ut itaque de *tabe* primum agamus, per illam tum in genere quævis corporis contabeſcentia, tum ſeorſim phthiſis intelligi poteſt. Et poſterior quidem acceptio fortaſſis videri poſſet eſſe aliquo modo huic loco accommodatior, quod paullo poſt de omnibus affectibus hic adductis ſubjungatur per eos faciem & corpus confectum iri. Quo tamen neque hic quippiam deſiderari poſſit, de utroque commodum fuerit aliquid afferre.

Notari igitur debet in Scholis Medicis inter Tabem generatim dictam & Phthiſin κατ' ἐξοχὴν ita nuncupatam hoc poni diſcriminis, quod hæc ſit ab ulcere pulmonis, quum illa citra talem exulcerationem quoque eſſe posſit. Præcipue vero ad tabem pertinet febris hectica, utpote quæ citra aliquam pulmonis exulcerationem univerſum corpus tamen faciat contabeſcere: quamvis cum phthiſi proprie ita dicta nunquam quoque non conjungatur, ita ut omnes qui phthiſi obeunt, ſimul hectica exſtinguantur, licet hectica ſæpenumero absque ulla tali ſit phthiſi.

Talis autem tabes generatim conſiderata, quam in hectica potiſſimum ſeſe exſerere modo dictum eſt, omnis

eſt à calore juſto majori, & vel ſanguinem nimis ſalſuginoſum adeoque ad nutritionem ineptum reddente, vel ſanguinis ipſius laudabiles partes abſumente, vel etiam & ſanguinem & alias corporis partes colliquante. Semper autem in qualibet corporis contabeſcentia laborat ſanguis, & ita quidem, ut juſto ſit ſalſior. Quamdiu vero talis eſt, nec corporis partes nutrire eſt idoneus, & ſimul etiam calorem præternaturalem habet adjunctum. Ubicunque autem juſto major eſt in corpore noſtro, ibi ſemper quoque ſanguis eſt acrior & aduſtionem quandam patitur. Et vero hæc ipſa cauſſa eſt, quare juvenes plerumque, licet habitu maxime ſint plethorico & copioſiori etiam alimento utantur, corpore tamen ſint gracili & macilento; (nam adoleſcentes, pueri, & in univerſum omnes quorum corpora creſcunt, propterea graciles plerumque ſunt, quod alimenta in ſolidarum partium augmentum magna ex parte cedant:) quare item omnes illi qui calidioris ſunt temperiei, ſimiliter ſint tales. Quod autem de tabe in genere quavis dictum fuit, idem quam maxime quoque intelligi debet de illa tabe quæ phthiſin comitatur. Etenim & ibi eſt calor aliquis præternatutalis, & ſanguis redditur ſalſuginoſus.

Exulcerationem vero pulmo incurrit non ab una cauſſa: duæ enim potiſſimum hunc affectum inducunt; partim videlicet acres & ſalſæ deſtillationes ex capite, partim etiam apertio cujusdam vaſis in ipſis pulmonibus. Quum enim pulmones præ omnibus aliis viſceribus flaccida & molli ſint ſubſtantia, id quod ipſorum officium quam maxime requirebat, præterea vero ſemper in homine ſint ſanguine maxime repleti & turgidi, facillime fieri poteſt, ut vaſe aliquo juſto plus dilatato ſanguis elabatur; qui ſicubi in pulmonibus derelinquitur, putredinem incurrit, unde

unde poſtmodum laxa & tenera pulmonum ſubſtantia corroditur & exulceratur. Quod vitium deinde magis augetur, ita ut plura quoque vaſa ſimul ſucceſſu temporis lædantur. Hæc ſane cauſſa eſt in præcipuis, quod juvenes præ aliis omnibus maxime proni ſint in phthiſin: accedente cumprimis & copioſiori potu & validioribus commotionibus corporis; utpote per quæ utraque & major ſanguinis copia in corpore coacervatur, & calor plus incitatur & excandeſcit, atque ita pulmones ſanguinis & calidiſſimi quidem copia plus diſtenduntur.

Defluxiones vero ex ſuperioribus partibus (quam alteram φθίσεως dedimus cauſſam) quo ſalſiores & acriores fuerint, & majorem calorem habent & ſimul acrimonia majore pollente plus poſſunt corrodere. (Quæ cauſſa etiam eſſe ſolet ferinæ tuſſis, quæ ſæpe in phthiſin degenerat.) Tantum hoc diſcrimine obſervato, quod ejusmodi phthiſis â defluxionibus orta minus ſit periculoſa, atque altera illa eſt. Hinc enim fit, ut in ramis aſperæ arteriæ humores illi potius ſubſiſtant, nec ſtatim pulmonum ipſam ſubſtantiam rodant; cumprimis autem ſi humores ex capite deſtillantes ſint benigniores & minus ſalſi. Qua etiam de cauſſa quam diu pulmo ipſe ſalvus & illæſus eſt, talis phthiſis ad ſenium usque quem comitatur, quum altera illa cito ad lethum perducat. Defluxiones autem illæ & frequentiores & non parum quoque acriores redduntur per medicamenta quædam apophlegmatiſmi vi pollentia. Quæ inter primum locum obtinet fumus tabaci incenſi; qui quum & ipſe valde calidus ſit & acris, non tantum capitis intemperiem auget, atque ita in majori copia catarrhos generari facit, ſed etiam ſimul humores ipſos valde reddit acres & ſalſos. Cujus proinde intempeſtivus & inconſideratus uſus tanto magis noxius eſt juvenili cumprimis corpori, quanto

Digitized by Google

ADDENDA.

Ad Matth. XXVII ℣. 5; Act. I. ℣. 18.

NOn levis agitatur controverſia de mortis genere, quo Judas, Salvatoris & domini ſui proditor, perierit, ceu ex variantibus opinionibus planum eſt, quas magnam partem in unum collectas præter alios exhibent tum Johannes Maldonatus *Comment. in Matthæum*, tum Cornelius Cornelii à Lapide *Comment. in Acta Apoſtolica*.

Communiter quidem ſuſpendio eum ſemetipſum necaſſe ſtatuitur: à quo tamen nonnulli recedunt, & *primo* quidem ipſorum verborum quibus S. Scriptores utuntur generaliori ſignificatione moti. Matthæus ſiquidem τὸ ἀπήγξατο uſurpat, quo verbo nihil aliud denotari ajunt quam ſuffocationem: jam vero non ſolum ſuſpendio vel ſtrangulatione ſuffocationem induci poſſe, ſed etiam alia ratione & quidem à morbis quibusdam. Lucas præterea πρηνῆ γενόμενον λακῆσαι μέσον ſcribit, quod nihil aliud denotat, quam pronum ipſum factum ſonuiſſe vel potius cum crepitu medium diſruptum fuiſſe. Ideoque cenſent fieri potuiſſe, ut angina ſuffocatus perierit, & ex lecto vel alio loco in quo decumberet præceps datus, & in caput præcipitatus fuerit, atque ita factum, ut venter rumperetur & inteſtina effunderentur.

Deinde

Judam non ſuſpendio ſed graviſſimo exulceratæ conſcientiæ tormento, hoc eſt mœrore, periiſſe; quemadmodum Achitophelem ſentiunt Hebræorum non ineruditi mœſtitia periiſſe. Grot. *annotat. in Matth. XXVI, 5.* Et Achitophelem & Judam præ magna

Deinde ex Hebraico quoque non parum præſidii huic ſententiæ peti poſſe quibusdam videtur, nimirum propterea quoque illi nomen Iſchariothæ adhæſiſſe, quod Rabbini anginoſum vocent *Iſcharatha.* Nec obſtare quod Matthæus dudum ante nomen illud ipſi tribuerit, *cap IX.* videlicet, ubi nomina Apoſtolorum recenſet. Factum enim id eſſe per Anticipationem tum in S. Scripturis, tum apud alios quoque hiſtoricos frequentiſſimam. Hinc etiam eſſe quod Matthæus ſtatim eodem loco, ubi nomen ejus exprimit, ſimul mentionem faciat proditionis, quæ tamen diu itidem poſt contigit.

Tertio cum Judæ hoc exitu coincidit, interitus Achitophelis, qui deſcribitur *II. Sam. ſive Reg. XVII, 23.* ubi apud LXX. quidem idem illud verbum quo Matthæus utitur (τὸ ἀπήγξατο videlicet) occurrit, quum in Hebraico habeatur vox *Chanan*, quæ perinde ut Græca illa vox ambiguæ ſit ſignificationis & in genere ſuffocationem tantum de-

notet.

---

gno animi mœrore ex angore fuiſſe mortuum, Heinſ. *exercit. ſacrar. in Matth. c. 21.* obſtructo nempe ſpiritus meatu, qui proprie angor animi vel corporis, plerumque fauces, ſive ſummas gulæ gutturisve partes cum anxietate maxima præcludit. Id. Exerc. in Acta cap. I. vid. quoque Gerh. Ioh. Voſſii Harmon. Evangeliſt. lib. 2. cap. 3. §. 34. *Judas, qui quondam audierat: Tu autem homo, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, dux meus & notus meus, in domo Dei ambulavimus cum conſenſu, proditor amici & magiſtri: Salvatoris arguitur voce. Et nodum informis leti trabe nectit ab alta. Econtrario latro crucem mutat paradiſo, & facit homicidii pœnam martyrium.*

Elias in *Thisbi* refert, quosdam opinari, Achitophelem præ nimio animi dolore & tædio, quod non ſucceſſiſſet conſilium ejus, mortuum eſſe angina ſeu ſuffocatione. Daniel Feſſelius *l. 1. adverſarior. ſacror. c. 11. §. 1.* qui tamen rect. *§. 2.* nobiſcum ſentit.

notet. Qua etiam de cauſſa, quo ſenſu in illo loco verbum illud capi debeat, inter ipſos quoque Rabbinos non convenit: aliis hic itidem anginam producentibus, aliis ex adverſo ſtrangulationem agnoſcentibus. Et qui in priori quidem ſententia ſunt Rabbini inter alia id quoque urgent, quod non fuerit ex dignitate tanti viri, Achitophelis videlicet, ſummi Regis conſiliarii & in maxima autoritate conſtituti, tam infame mortis genus ſibimetipſi inferre.

Quidquid autem de his aliisque argumentis ſit, non poſſumus tamen non illis accedere, qui & Achitophelem & Judam ſtrangulatione & quidem laqueo ipſis circumjecto interiiſſe cenſent. Ut enim à poſtremo *primo* ordiamur, licet vox illa Hebraica in genere ſuffocationem atque etiam ſeorſim ſanguinoſam ſuffocationem denotet, pro poſteriori tamen ſignificatione plura militant. Et *primo* quidem quod ita per paraphraſin deſcribatur in *Targum*. *Deinde* quod alia vox ab hac radice derivata ejusmodi ſupplicium denotet, quo laqueo collo circumjecto quis ſuffocatur. Quibus & *tertio* addi poteſt explicatio, quæ in *Lexico Hebræo Germanico* habetur: quamvis illa nonnihil generalior. Quemadmodum hæc omnia me docuit clariſſ. Saubertus noſter.

Similis *deinde* plane ratio eſt & vocis ἀπήγξατο. Licet enim & illa in genere ſuffocationem quamvis denotet, ſpeciatim tamen ſtrangulationem & quidem per αὐτοχειρίας factam ſignificat. Quo ſenſu quoque apud Thucydidem illam vocem reperiri Lexicographis obſervatum eſt. Id quod nonnullis exemplis quoque confirmat Salmaſ. *epiſt.3. de cruce apud Barthol. pag. 618*.

Tertio quod ad anginam pertinet, utique verum quidem eſt, illam eſſe morbum valde acutum & præterea ſuffocando faucibusque præcluſis & ſpiritum ſive aërem intercipiendo

cipiendo

ciendo ægrotos perimere. At vero qui hic locum invenire poſſit, non video. Nec enim ex deſperatione, quæ & Achitophelem & Judam urſit, unquam quiſpiam alius anginam incurriſſe legitur.

Perridiculum] vero *quarto* eſt Rabbinorum argumentum, quod videlicet ſumma Achitophelis autoritas non videatur admiſiſſe tam infame mortis genus.

Quin imo *quinto* veriſimillimum eſt, & omnis ævi experientiæ maxime conſentaneum, homines deſperatione actos ad laqueum confugere. Ut nullum mihi videatur eſſe dubium, quin uterque laqueo collo circumjecto ſemetipſum ſtrangulaverit.

Quod vero de Juda inſuper legitur, eum pronum crepuiſſe medium: id vel ita intelligi poteſt ſecundum nonnullos, quod laqueo rupto in faciem præcipitatus fuerit; vel, quod ita pendens prono fuerit capite, ſeu omnes ſuſpenſi eſſe ſolent.

Quod denique ad crepaturam ſive rupturam ventris & inteſtinorum effuſionem pertinet, utique videtur illa fuiſſe plane ſupernaturalis & divinitus facta. Nec enim ullum ejusmodi crepaturæ exemplum apud alios occurrit. Nam quod hydropem adducunt, quod nempe Judas hydropicus factus fuerit & ita demum ruptus, plane nihili eſt. Nec enim ullo fundamento, id nititur: & aſcite hydrope confecti nunquam tamen crepuiſſe vel ruptos fuiſſe fuit obſervatum.

Ut perinde naturalis quidam morbus nullo modo hic locum poſſit invenire, pariter ut nec in Achitophelis lugubri exitu.

Ad Marci VIII. ỳ. 24.

Quod h. l. ſcribitur, non alienum videtur eſſe ab illo quod phyſici tradunt, arbores & quasvis alias plantas ſi-

miles quodammodo eſſe homini inverſo: ita videlicet ut partes illæ quæ in hominibus ſunt ſuperiores, in ſtirpibus inferiori loco ſint poſitæ; & viceverſa, hominis partes inferiores, in ſtirpibus ſint ſupremæ. Quo maxime quoque pertinet Ariſtotelis doctrina, qua partem illam corporum viventium, per quam alimenta aſſumuntur, dicit eſſe ſuperiorem. Hæc vero in plantis utique non alia eſſe poteſt atque radix. Poſſet itaque hoc ipſum, quod de cœco cui viſus reſtitutus eſt, commemoratur, ita intelligi, quaſi illi ad eum modum viſi & objecti fuerint homines, quomodo plantæ & earum ſitus ſeſe habent: ut videlicet homines ille viderit, quaſi capite in terram verſo, pedibus autem verſus cœlum porrectis eſſent. Eo nempe modo, quo beneficio alicujus priſmatis ex vitro confecti vel alio artificio in Camera (quam vocant) obſcura tali ſitu & homines & ædificia & arbores (inverſo videlicet naturali) & in univerſum omnia exterius poſita referuntur & repræſentantur,

Verum me quidem Judice eo ſenſu locus iſte non videtur eſſe accipiendus, ſed in genere potius, quod homines ita oblati fuerint, quomodo arbores à longinquo apparere ſolent, quod nempe non potuerit cognoſcere veram figuram. Procul autem dubio homo ille vitium viſus non à nativitate contraxit, ſed deinceps id ipſi accidit. Fortaſſis etiam ſuffuſione vel alio aliquo ſimili morbo laboravit; ita ut quæ ipſi objicerentur depravate ab eo viderentur; quod vitium malo increſcente in cœcitatem poſtmodum abierit. Id quod innuere videntur iſta verba quæ ſequenti verſu leguntur, quod reſtitutus fuerit & omnia rurſus viderit τηλαυγῶς & acute; quod B. Lutherus commode quoque reddidit & expreſſit.

Ad

Ad Levit. XXVI. ℣. 16; Deuter. XXIIX. ℣. 21. & 22.

Circa morbos iſtos, quos Deus Iſraëlitis legem ſuam transgredientibus interminatur, notandum eſt (1) non ſimpliciter quinam morti proprie intelligantur inter interpretes convenire. *Deinde* quæri etiam poſſet, quid hi morbi, quorum hic mentio fit, etiam diverſum ſentientibus interpretibus, ab aliis peculiare habeant; quum longe plures adhuc ſint corporis affectus, non minus quin imo vehementius quoque heic commemoratis id affligentes, qui tamen neutro loco attinguntur. Cumprimis quippe maxime horrendi ſunt illi affectus, qui inſignes dolores habent conjunctos; quod tamen de nullo qui hic adducuntur ita proprie videtur poſſe dici. Licet enim affectus hic memorati hominem tandem conficiant, quum tamen plerique vix aliquem dolorem afferant, minus acerbi videntur eſſe præ iſtis.

Verum (1) quidem neutiquam hæc ita accipienda ſunt quaſi ſolos hos morbos Deus ſeſe illis immiſſurum eſſe ſit minitatus, ſed etiam alios qui vel iſtos conſequi poſſunt vel cum iis conjunguntur. *Deinde* plerique morbi utroque hoc loco recenſiti ſunt epidemii & populariter aliquando in quosvis promiſcue ſolent graſſari. Talibus autem morbis Deum quam maxime uti, quando non unum vel alterum ſed integram aliquam civitatem punire vult, ipſamet experientia omnis ævi docuit. *Tertio* nec ab illis affectibus excluſus eſt dolor, ſed multos ſic ſatis acerbus comitatur. *Quarto* magna quoque illorum morborum dolorificorum pars ſub his ipſis ſimul continetur, ſub illis videlicet qui ſenſim hominem conficiunt. Quibus & *quinto* hoc addendum, quod omnes illi affectus quos Deus ſe irrogaturum eſſe minitatur, non unam vel alteram aliquam corporis partem ſed univerſam afficiant, ita ut ejusmodi

affectus quam maxime ab aliis poſſint cognoſci & in oculos incurrant.

Quandoquidem vero diverſitas quædam inter interpretes ceu modo dicebam, hic occurrit, morbos illos ita conſiderabimus, ut variantium interpretum ſimul quoque ratio habeatur.

Et *PRIMO* quidem inter morbos illos refertur *Terror* & ἀπορία, idque ſummo jure. Quamvis enim affectus ille animum proprie reſpiciat, nihilominus tamen ad corpus quoque præ aliis quam maxime pertinet, pro arcto illo inter animam & corpus intercedente vinculo & affinitate. Eſt videlicet terror inter illos affectus, qui graviſſime ſimul univerſum corpus afficiunt, & tanto quidem gravius, quanto vehementior fuerit. Et vero hoc cumprimis denotat vox ἀπορίας, qua LXX. utuntur, qua ejusmodi terror hic ſignificatur ut homo præ anxietate quo ſe vertat neſciat. Id quod cumprimis etiam conſentaneum eſt omnibus reliquis Propheticis prædictionibus, & eas inſecuto maxime lugubri & horrendo eventui.

Quantopere vero per ejusmodi terrorem univerſum corpus afficiatur, vel ex unius Belſazaris hiſtoria Danielis V. deſcripta luculentiſſime conſtat. Ubi de affectus illius in corpus noſtrum vehementiſſima vi quum jam diſſeruerim, nunc quidem denuo illa repetere non eſt neceſſum. Hinc ſane tanta vis eſt terroris, ut plurimi graviſſimos quoque morbos inde incurrant. Cumprimis autem illis nocet, qui vel jam tum morbo aliquo laborant, vel convaleſcunt, vel alias ſunt valetudinarii. Ante omnes vero peſſime inde ſe habeant epileptici, apoplectici, febricitantes, puerperæ, & ejus generis affectibus obnoxii alii. Et tanto quidem vehementius à terrore corpus affligitur, quanto ipſemet & vehementior & diuturnior & frequentior fuerit. Quinimo unicus

Digitized by Google

unicus terror usque adeo ſæpe eſt violentus, ut letales quoque morbos inducat. Quæ omnia quum à quotidiana experientia ſubinde comprobentur, fruſtra fuerit ullo exemplo ire illuſtratum.

Quod ad *SECUNDUM* morbi genus jam attinet, de eo mira eſt interpretum diſcrepantia. Quidam enim tabem ponunt Lutherus noſter intumeſcentiam ſeu Schwulſt/ LXX. v. ψῶραν ſive ſcabiem. Quidquid autem ſit de his aliisque verſionibus, ad textus originarii veritatem nunc illa examinare nihil attinet, ſed potius hac in parte (ceu modo dictum) interpretibus indulgendo de omnibus illis affectibus, qui in verſionibus occurrunt, aliquid afferemus.

Ut itaque de *tabe* primum agamus, per illam tum in genere quævis corporis contabeſcentia, tum ſeorſim phthiſis intelligi poteſt. Et poſterior quidem acceptio fortaſſis videri poſſet eſſe aliquo modo huic loco accommodatior, quod paullo poſt de omnibus affectibus hic adductis ſubjungatur per eos faciem & corpus confectum iri. Quo tamen neque hic quippiam deſiderari poſſit, de utroque commodum fuerit aliquid afferre.

Notari igitur debet in Scholis Medicis inter Tabem generatim dictam & Phthiſin κατ' ἐξοχὴν ita nuncupatam hoc poni diſcriminis, quod hæc ſit ab ulcere pulmonis, quum illa citra talem exulcerationem quoque eſſe posſit. Præcipue vero ad tabem pertinet febris hectica, utpote quæ citra aliquam pulmonis exulcerationem univerſum corpus tamen faciat contabeſcere: quamvis cum phthiſi proprie ita dicta nunquam quoque non conjungatur, ita ut omnes qui phthiſi obeunt, ſimul hectica exſtinguantur, licet hectica ſæpenumero absque ulla tali ſit phthiſi.

Talis autem tabes generatim conſiderata, quam in hectica potiſſimum ſeſe exſerere modo dictum eſt, omnis

Digitized by Google

eſt à calore juſto majori, & vel ſanguinem nimis ſalſuginoſum adeoque ad nutritionem ineptum reddente, vel ſanguinis ipſius laudabiles partes abſumente, vel etiam & ſanguinem & alias corporis partes colliquante. Semper autem in qualibet corporis contabeſcentia laborat ſanguis, & ita quidem, ut juſto ſit ſalſior. Quamdiu vero talis eſt, nec corporis partes nutrire eſt idoneus, & ſimul etiam calorem præternaturalem habet adjunctum. Ubicunque autem juſto major eſt in corpore noſtro, ibi ſemper quoque ſanguis eſt acrior & aduſtionem quandam patitur. Et vero hæc ipſa cauſſa eſt, quare juvenes plerumque, licet habitu maxime ſint plethorico & copioſiori etiam alimento utantur, corpore tamen ſint gracili & macilento; (nam adoleſcentes, pueri, & in univerſum omnes quorum corpora creſcunt, propterea graciles plerumque ſunt, quod alimenta in ſolidarum partium augmentum magna ex parte cedant:) quare item omnes illi qui calidioris ſunt temperiei, ſimiliter ſint tales. Quod autem de tabe in genere quavis dictum fuit, idem quam maxime quoque intelligi debet de illa tabe quæ phthiſin comitatur. Etenim & ibi eſt calor aliquis præternatutalis, & ſanguis redditur ſalſuginoſus.

Exulcerationem vero pulmo incurrit non ab una cauſſa: duæ enim potiſſimum hunc affectum inducunt; partim videlicet acres & ſalſæ deſtillationes ex capite, partim etiam apertio cujusdam vaſis in ipſis pulmonibus. Quum enim pulmones præ omnibus aliis viſceribus flaccida & molli ſint ſubſtantia, id quod ipſorum officium quam maxime requirebat, præterea vero ſemper in homine ſint ſanguine maxime repleti & turgidi, facillime fieri poteſt, ut vaſe aliquo juſto plus dilatato ſanguis elabatur; qui ſicubi in pulmonibus derelinquitur, putredinem incurrit, unde

Digitized by Google

unde poſtmodum laxa & tenera pulmonum ſubſtantia corroditur & exulceratur. Quod vitium deinde magis augetur, ita ut plura quoque vaſa ſimul ſucceſſu temporis lædantur. Hæc ſane cauſſa eſt in præcipuis, quod juvenes præ aliis omnibus maxime proni ſint in phthiſin: accedente cumprimis & copioſiori potu & validioribus commotionibus corporis; utpote per quæ utraque & major ſanguinis copia in corpore coacervatur, & calor plus incitatur & excandeſcit, atque ita pulmones ſanguinis & calidiſſimi quidem copia plus diſtenduntur.

Defluxiones vero ex ſuperioribus partibus (quam alteram φθίσεως dedimus cauſſam) quo ſalſiores & acriores fuerint, & majorem calorem habent & ſimul acrimonia majore pollente plus poſſunt corrodere. (Quæ cauſſa etiam eſſe ſolet ferinæ tuſſis, quæ ſæpe in phthiſin degenerat.) Tantum hoc diſcrimine obſervato, quod ejuſmodi phthiſis â defluxionibus orta minus ſit periculoſa, atque altera illa eſt. Hinc enim fit, ut in ramis aſperæ arteriæ humores illi potius ſubſiſtant, nec ſtatim pulmonum ipſam ſubſtantiam rodant; cumprimis autem ſi humores ex capite deſtillantes ſint benigniores & minus ſalſi. Qua etiam de cauſſa quam diu pulmo ipſe ſalvus & illæſus eſt, talis phthiſis ad ſenium usque quem comitatur, quum altera illa cito ad lethum perducat. Defluxiones autem illæ & frequentiores & non parum quoque acriores redduntur per medicamenta quædam apophlegmatiſmi vi pollentia. Quæ inter primum locum obtinet fumus tabaci incenſi; qui quum & ipſe valde calidus ſit & acris, non tantum capitis intemperiem auget, atque ita in majori copia catarrhos generari facit, ſed etiam ſimul humores ipſos valde reddit acres & ſalſos. Cujus proinde intempeſtivus & inconſideratus uſus tanto magis noxius eſt juvenili cumprimis corpori,

quanto

Digitized by Google

quanto frequentius à temeraria juventute uſurpatur. Et vero non unum ſolo illius uſu & phthiſin & precocem mortem ſibi acceleraſſe, vel in hac ipſa Academia noſtrâ obſervavimus.

Præter has autem tabis ſpecies non raro corpus plane emaciatur circa ullam ſenſibilem calidam intemperiem. Id quod primum fit in extremo ſenio. Deinde ſæpe quoque contingit à mœrore animi. Et prioris quidem cauſſa in eo conſiſtit, quod omnes partes corporis emarcuerint. Quomodo omnia viventia ſeneſcentia naturalem ſentiunt marcorem. Alteri vero illi occultum ſimul fovent ignem, ſanguine illorum ἐμπυρεύματι quodam quaſi impreſſo. Sed & quandoque ſuperiores cauſſas heic deliteſcere, hæc ipſa, quæ modo tractamus, loca manifeſto probant.

Quod ſi Græcam interpretationem quis malit ſequi, *ſcabiem* h. l. intelliget ſive ψώραν. Etiamſi vero vox illa ſit generalior, procul dubio tamen non levis quædam ſcabies intelligenda erit, ſed ferina & maligna quæ videlicet non tantum cum ſumma cutis aſperitate & corroſione eſt conjuncta, ſed etiam colliquationem corporis tandem affert. Procul dubio quoque tum lepra fuerit intelligenda, utpote quæ & ipſa ad vitia illa cutanea pertineat; quin imo lepra Græcorum nihil aliud eſt quam ferina quædam ſcabies. Quum vero de lepra & variis ejus ſpeciebus jam dudum in ſuperioribus ſit actum, non eſt quod nunc illis affectibus denuo conſiderandis immoremur.

Sin demum Germanicam B. Lutheri noſtri verſionem quis ſequatur, longe alius morbus hic veniet intelligendus. Quod enim alii Hebraicum textum ſequentes per tabem exprimunt, ille per *intumeſcentiam* (Schwulſt) reddit, non hoc tantum loco, ſed etiam in altero illo Deuteronomii. Eſt autem ejuſmodi intumeſcentia non unius generis: Nam

Digitized by Google

Nam *primum* vel univerſum corpus vel quædam duntaxat ejus partes intumeſcunt. *Deinde* quædam partes ſupra modum intumeſcunt, aliis ex adverſo contabeſcentibus. Id quod in hydropis illa ſpecie, quam aſciten vocant, quam maxime licet obſervare. Ubi in infimo ventre ſeri copia indies augetur & creſcit: brachiis, cruribus, & ipſo quoque pectore macie confectis; idque propter nimiam ſalſedinem & acrimoniam ſanguinis & ſeri, ſed quum & de hydrope, præſertim illo, jamdudum itidem ſit actum, nec de eo nunc quidquam amplius afferamus.

Quod ſi igitur totius corporis intumeſcentiam & illam hydropis ſpeciem quam ἀνασάρκα vocant, intelligere quis malit, de ea in hunc modum fuerit habendum; quod in illa univerſi corporis habitus, cumprimis autem partes ſubcutaneæ, humore præter quaſi naturam perfundantur. Id quod præcipue fieri ſolet, quando humores præter naturam in corpore colliguntur, nec per loca expurgationi dicata exitum inveniunt.

Quo vero hæc omnis res eo clarius innoteſcat, de quavis corporis intumeſcentia in univerſum conſiderata quædam afferenda ſunt.

Primo igitur notari debet, ejusmodi intumeſcentiam fieri, quando vaſa præter naturam hiant, & ita ſerum in vacua ſpatia effundunt. In vivo videlicet corpore omnia vaſa ſemper turgent, ideoque facile fieri poteſt, ut illis juſto plus hiantibus vel etiam copioſo humore diſtentis ſerum exſtillet. Quum vero juxta articulos præ aliis locis potiſſimum ſeſe aperire poſſint, hinc etiam eſt, quod circa illas ipſas partrs tumor ſoleat incipere. Quum porro humor natura ſua deorſum feratur, cumprimis ille qui intra vaſa non coërcetur, hinc etiam fit, ut humoribus ad inferiores partes vergentibus, præ aliis omnibus corporis lo-

cis pedes primum ſoleant intumeſcere. Quo etiam hoc inſuper accedere poteſt, quod humores per vaſa ad pedes delati, citius etiam ibi vaſis ſuis excidere poſſint.

Deinde talis intumeſcentia quoque fit ab humorum quadam efferveſcentia & fermentatione. Qua etiam de cauſſa quidam per intervalla ejusmodi intumeſcentia laborant: quæ deinde ad tempus rurſus vel evaneſcit vel ſaltem imminuitur.

Tertio à colliquatione ſæpe quoque partes aliæ intumeſcunt. Qua etiam de cauſſa Chronicos morbos talis intumeſcentia plerumque & comitatur & excipit: quin ſæpe ipſe quoque hydrops ejusmodi morbos ſubſequitur. Hinc etiam eſt, quod illis, quibus diu cum morbis conflictandum fuit, tales pedum vel aliarum etiam partium intumeſcentiæ ſoleant plerumq; mali quid pertendere, quinimo mortis appropinquantis præbere ſignum.

Quarto demum à nonnullis venenis quoque talis intumeſcentia producitur, tum propter eandem humores fermentandi inſignem vim, tum etiam quod putredinem ipſam ſoleant inducere.

Quinto à ſolâ quoque putredine talis intumeſcentia oritur, & quidem quod per eam miſtione alicujus rei diſſolutâ humidum luxuriet, præterea omnem quoque putredinem flatulentia quædam excipiat. Id quod usque adeo eſt notum, ut in pomo quoque putreſcente id obſervare liceat.

TERTIO loco in Tremellii Latina verſione mentio fit *morbi æſtuantis*, pro quo Lutherus noſter *febrim* habet. Verum inter hæc quidem duo nullum videtur eſſe diſcrimen, quum non mitis vel ſimplex quædam febris, ſed maligna & cum inſigni æſtu conjuncta procul dubio intelligi debeat:

debeat: quales ſunt febres ardentes & peſtilentes quædam. Quinimo cum ipſa peſtilentia nonnullis κατ' ἐξοχὴν ita dicta ſæpe conjunctus eſt ingens æſtus. Quamvis etiam per æſtuantem morbum talis affectus intelligi poſſit, qui cum magna anguſtia & æſtu pectoris eſt conjunctus, qui proinde varia corporis jactatione & inquietudine proditur. Cujus quidem anguſtiæ & æſtus cauſſa partim eſt à malignitate humoris, partim etiam ab ipſo nimio æſtu vitalium partium, & tum videlicet maxime oritur, quando humores præcipue effervescunt. Qua etiam de cauſſa in intermittentibus febribus tempore paroxyſmi percipitur. Sæpenumero quoque id fit inde, quod vel in ventriculo vel aliis infimi ventris partibus humor contentus dum ebullire incipit diaphragma ſurſum pellat: quo ipſo & reſpiratio impeditur, nec cor libere moveri poteſt, atque ita ſanguis in corde & pulmonibus præter naturam detinetur, libero motu ipſi denegato. Sed quum & de febribus & de peſtilentia quoque jam ſupra itidem ſit actum non etiam eſt, quod circa hos affectus nunc ſimus prolixiores.

Plane ab his diſſentiunt Græci interpretes, h. l. Icterum adducentes. Sed quum de illo morbo paullo poſt ad Deuteronomii locum indicatum agendum veniat, non eſt quod nunc de eo quidquam afferamus.

QUARTO his omnibus morbis ſuperadditur, fore ut ipſis transgreſſoribus legem divinam *conficiantur oculi & crucietur animus*, ceu Tremellius vel Junius reddidit; ſive ſecundum Lutheri noſtri verſionem, ut *facies concidat & corpus* fame ſive *macie conficiatur*. A quibus interpretationibus non diſſentit verſio Græca: niſi quod ad Icterum hæc tantum referat; quod tamen procul dubio de omnibus illis affectibus eſt accipiendum. Per eos videlicet ſive omnes ſive ſingulos violatores legum divinarum ita affli-

ctum iri, ut & facies & univerſum corpus conficiatur & contabeſcat. Id quod etiam fieri ſolet in vehementibus & diuturnis affectibus, præſertim ſi in deterius omnia vergunt; quod nempe univerſa maſſa ſanguinis vitium contrahat & corrumpatur. Quod ubi fit, non poteſt etiam non univerſum corpus viribus ipſi ſubtractis emaciari & contabeſcere. Præcipue autem hoc fit, quando mœror animi accedit, utpote à quo ſanguini empyreuma quoddam imprimitur, & calidum nativum enervatur & quaſi ſuffocatur. Talis autem affectus vix poteſt abeſſe à longinquis morbis. Cumprimis autem comitatur illos morbos, qui in pœnam divinitus irrogantur: præſertim quando conſcientiæ ſtimulus, ceu fieri ſolet, hominem angit. Idquod ab ejusmodi θεηλάτοις & publicis calamitatibus non ſolet abeſſe. Sane & hydropem & corporis emaciationem inducebat quoque mulieribus adulteris aqua maledicta à ſacerdote ipſis exhibita, Levitici *v. 21, 22, 27.*

Ad Deuter. XXVIII. ℣. 21.

Et h. l. non convenit inter interpretes. Græci enim ſimpliciter habent τὸν θάνατον, hebraicum vero textum ſequentes *peſtem*, Lutherus autem die Sterbe-Drüſe. Quamvis autem generatim de morte omnino accipi poſſint, Lutheri autem verſio proprie denotet vel ulcus aliquod vel morbum letalem: malim tamen illis accedere, qui de peſtilentia hæc accipiunt: quod videlicet lue aliqua epidemia Deus ſit in peccatores illos animadverſurus, talis autem lues quam maxime eſt peſtilens. Nec enim in genere peſtilentia certum aliquem morbum denotat, ſed potius quemvis morbum epidemium contagioſum letalem, quem Græci λοιμὸν vocant. Et vero illo ſenſu apud omnis generis priſcos Scriptores & λοιμοῦ & *peſtilentiæ* vox accipitur. Id quod etiam notatum eſt in diſputatione Cl. Conringii noſtri *de Pe-*

Digitized by Google

de Peſte. De qua quum jamdudum quoque itidem fuerit actum, non eſt quod illius conſiderationi denuo nunc immoremur.

Ad Verſ. 22.

Quod vero ad morbos illos *v. 22.* memoratos pertinet quum & hic inter Interpretes quædam ſit diſcrepantia, ſingulorum quoque rationem habebimus.

Et de *Tabe* quidem, quæ in Latina verſione adducitur, jam egimus: ſimiliter & de *intumeſcentia* quam Lutherus adducit: ut & de λυπείᾳ ſive *angore animi*, cujus in Græca verſione fit mentio.

QUÆ AUTEM ſequuntur de *febribus*, quamvis non plane de iis inter interpretes conveniat, quoad ſenſum tamen nullum eſt diſcrimen. Et quidem calidæ atque æſtuantis & adurentis febris naturam & cauſſas ut denuo explicemus, non eſt neceſſum. Eſt videlicet in ejusmodi febribus calor ſupra modum accenſus; qui facit etiam, ut univerſum corpus conficiatur. Et vera quidem febris ardens ſive καῦσος inflammationem viſcerum habet adjunctam. Unde ingens & continuus totius corporis æſtus, pertinaces vigiliæ, ſitis inexſtinguibilis, quæque ſunt hujus generis ſymptomata alia; quæ etiam proinde, niſi mature occurratur, non poſſunt non intra paucos dies hominem è medio tollere.

Quod ſi autem hæc de peſtilenti febre quis potius accipere mavult, id quod veriſimilitudine quoque non caret, paullo ante quoque de ea re jam actum eſt.

Poſſunt etiam quæ hic Latinus interpres conjungit, diviſo ſenſu accipi. Id quod etiam factum eſt tum à Græcis interpretibus, tum à Luthero noſtro, ut qui ſeorſim commemorent febrem, ſeorſim itidem rigorem vel æſtum & ἐρεθισμόν, quem Lutherus noſter Brunſt appellat. Di-

viſim igitur illa accipientes, in hunc modum explicatio fuerit inſtituenda.

Primo videlicet mentio fit πυρετοῦ, quod per *calidam febrem* Latine exponitur, Lutherus autem ſimpliciter *febrem* reddidit. Et quidem vocem illam Græcam generatim pro febre uſurpari conſtat. Præcipue tamen calorem febrilem adeoque acutas febres vox illa proprie denotat: præſertim quum πυρετὸς ἀπὸ τοῦ πυρὸς denominationem ſuam acceperit; πυρὸς autem voce febrem ardentiſſimam & vehementiſſimam veteres intellexerint. Sine dubio quoque h. l. non levis quædam febris ſed vehemens intelligi debet; utpote quæ & ſymptomata conjuncta habeat graviſſima & hominem vehementer afficiat. Quin imo peſtilens quoque quædam febris intelligi debet, ſiquidem de epidemicis morbis hæc omnia quis malit accipere.

Πυρετὸν autem ſive febris eſſentiam in ſumma caliditate conſiſtere, notiſſimum eſt. Qua etiam de cauſſa definiri ſolet, quod ſit *naturalis caloris in igneum converſio*. Quod tamen haud quaquam ita debet accipi, ceu à pleriſque fieri ſolet, ut calorem febrilem à calore naturali ſive hominis recte valentis ſpecie diſtinctum eſſe quis cenſeat. Nihil enim aliud fit in calore febrili, quam ut naturalis calor ſive (ut clare loquamur) calidum nativum cordis juſto plus incendatur & augeatur, atque ita quum modum transgreſſum fuerit, corpori officiat & ejus actiones deſtruat. Non ſecus videlicet atque in hypocauſto quodam idem ignis, ſi temperatus fuerit, corpora noſtra fovet & refocillat; ſin vero ſupra modum increverit, valetudinem offendit. Quapropter etiam parte illius demta, quum ad temperiem revocatus fuerit, nobis iterum eſt gratus & acceptus. Simili etiam plane modo quando exceſſus caloris febrilis correctus eſt, & ad debitam mediocritatem revocatus, corpus & valetu-

valetudo viciſſim bene ſeſe habent. Quod ut pluribus nunc oſtendatur non eſt neceſſum, de illa vero quæſtione cumprimis fuſe diſputant commentatores in Avicennam, & inter eos cumprimis Johannes Herculanus ſive Arculanus.

Deinde adducitur ῥῖγος, quod Lutherus voce Hitze expreſſit, Græcæ verſioni plane contraria: in latina autem quoque Tremellii verſione habetur *febris æſtuans*. Quidquid autem ſit de verſione Græca, an videlicet illa cum Hebraico textu conveniat vel non, ῥῖγος ſeu *rigor* in multis febribus deprehenditur, & cumprimis quidem in illis quæ putridæ ſolent vocari, nec ſunt continuæ ſed intermittentes. Et tanto quidem rigor ſolet præcedere vehementior, quanto major ſubſecuturus eſt æſtus. Id quod fit tempore paroxyſmi. Et vero in nonnullis febribus usque adeo validus eſt rigor, ut totum corpus concutiatur, & dentes ſtrideant valideque collidantur: quin etiam rigore increſcente convulſiones quoque non nunquam ſolent accedere.

Conſtat autem rigor febrilis ex duobus quaſi accidentibus; partim ex ſumma totius corporis refrigeratione, partim ex ejusdem valida agitatione. Plura quidem adhuc ſymptomata adeſſe ſolent, & cumprimis quidem denſa & crebra reſpiratio. Verum & illa ſub concuſſione iſta poteſt comprehendi.

Et refrigerationis quidem cauſſa non aliunde eſt quam à denegato libero influxu ſanguinis & cum eo calidi. Id quod non aliunde fieri poteſt, niſi quod ipſum cor debito modo non poſſit moveri. Quod ab ebullitione & effervescentia humoris morbifici, vel quæ alia cauſſa eſt febris, contingit. Quæ porro quum plerumque circa hypochondria & ventriculum deliteſcat, propterea quoque diaphragmate ſurſum impulſo & corde quaſi compreſſo, ſanguineque

Digitized by Google

guineque in pulmonibus quodammodo reſtagnante ac libero motu ipſi denegato, neceſſario reſpiratio vitiatur.

Concuſſionis autem cauſſa videtur potius à lucta illa, quæ inter calorem & cauſſam morbificam intercedit, oriri. Fit videlicet tum, ut multæ partes humorum in flatus abeant & reſolvantur. Quibus violenter in muſculos detruſis, univerſum corpus præter voluntatem agitatur & concutitur. Qui motus ſi validiores fuerint, & plus humoris in ſpiritum ſeu flatus mutatum, convulſiones quoque ſuperveniunt. Neque vero inter convulſiones iſtas aliud eſt diſcrimen, atque id, quod à majori vel minori vehementia dependet.

Rigore autem tandem ceſſante & calore increſcente ſubſequitur ingens æſtus; quod videlicet humor ille omnis ſimul ſolito magis incendatur. Habet ſeſe videlicet hæc res, quomodo calefactio alicujus hypocauſti à viridibus & humidis lignis accenſis. Difficulter videlicet talis materies ignem concipit & lente, nec ſine magna quadam inter ignem & materiem pugna. Quod ſi autem ignis ſemel dominium obtinuerit, vehementer talia ligna deinde conclave calefaciunt, & tanto quidem plus, quanto major prius intercedebat lucta. Et vero talia ligna ſuccenſa longe intenſius excalefacere, quam ignem ex ſiccis & aridis lignis exſtructum, vulgo quoque notiſſimum eſt. Expedivimus autem hujus rei cauſſam jam tum in *Inſtit.* noſtris *Phyſiol. lib.* I. *c.* 4. quod nempe, ubi humor iſte domitus fuerit, longe copioſius pabulum igni ſuppeditetur.

Quum igitur rigorem vehemens æſtus in febribus excipere ſoleat, quod ad rem ipſam pertinet, non quidem adeo magnum inter interpretes h. l. eſt diſcrimen: niſi quod rigor non in omnibus febribus adſit, etiamſi fuerint ardentiſſimæ & vehementiſſimæ.

Tertio

Digitized by Google

Tertio loco commemoratur ἐρεθισμὸς Quæ vox in genere quidem aliquam irritationem denotat: hic autem commode eo ſenſu accipi poteſt, quo apud Medicos ſcriptores priſcos paſſim uſurpatur; ubi talem videlicet naturæ irritationem denotat, quæ valetudinem affligit: id quod præcipue fit ab humorum exacerbatione, & variis quidem modis, prout in hac vel illa parte illi deliteſcunt, aut in hanc vel illam aguntur. Quod ipſum multis exemplis præclare oſtendit Foëſius in *Oeconomia Hippocratis*. A qua Medica vocis iſtius acceptione non alienus quoque videri poteſt Heſychius, παροξυσμὸν voce ἐρεθισμὸν explicans. Illo itaque ſenſu voce iſtâ accepta, ſi de febribus illam intelligere quis velit, ad paroxyſmorum qui febribus peculiariter attribuuntur, vehementiam referri debebit: ſin autem in genere de morboſa exacerbatione quis intelligere malit, de illis affectibus fuerit accipiendus, qui vehementia ſymptomata & graves corporis perturbationes habent conjunctas.

Lutherus noſter voce Brunſt uſus eſt: quæ generatim quidem ardens aliquod deſiderium & vehementem appetitum deſignat, ſeorſim vero uſurpari ſolet de illo affectu corporis, qui in brutis, cumprimis autem feris, illo tempore obſervari ſolet, quando in venerem aguntur. Tum videlicet, quod univerſi corporis humores fermententur, ſolent fieri ſolito ſæviora & truculentiora. Fortaſſis autem hic quidem nihil aliud vocis iſtius uſurpatione voluit interpres denotare, atque vehementem & exæſtuantem corporis ardorem, ab humorum ſumma efferveſcentia productum.

SEQUITUR porro *Siccitas* & *Uredo*, quæ utraque apud Græcos interpretes per ἀνεμοφθορίαν exprimuntur. Quamvis enim apud eos in quibusdam quidem exemplaribus

ribus φόνȣ mentio præcedat], in aliis tamen id non fit: & præterea iſta quidem vox ad hunc locum non videtur commode pertinere; præſertim cum in Hebraico textu quoque id non occurrat, nec enim alias ab aliis interpretibns id fuiſſet prætermiſſum. Lutherus autem duabus itidem vocibus utitur, dürre & gifftiger Lufft.

Et per ſiccitatem quidem intelligitur talis ſiccitas, quæ agris ſterilitatem inducat; quando videlicet ab aëris nimio æſtu tellus exhauritur, & pluviis non iterum cælitus immiſſis plantæ exareſcunt.

Uredo porro peculiariter ad fruges pertinet: quamvis ad vitem & omnes plantas frugiferas quoque vox illa à nonnullis videatur extendi. Cauſſa autem ejus eadem quoque eſt quæ ſiccitatis; quod videlicet â nimio æſtu plantæ quaſi adurantur: niſi quod per meteora quoque quædam peculiaris uredo videatur induci.

Quod porro ad ἀνεμοφθορίαν ſpectat, illa voce proprie denotatur damnum ſive clades ab injuria ventorum illata; ſive, nt Varinus in *Lexico* ſuo ex Suida (niſi fallor) exponit, ἡ πληγὴ τῶν ἀνέμων. Talis autem calamitas tum ad fruges & arbores, tum ad ædificia quoque, & in univerſum ad omnes res ſublunares, adeoque ad ſubterraneas etiam cavernas & maria, pertinet, quum nihil omnino ſit in hoc quidem mundo, quod ventorum violentiam non aliquando experiatur.

Quod ſi autem non ſolum damna, quæ à ventis inferuntur, voce iſthac intelligere malumus, ſed omnes quoque ſimul illas calamitates, quæ ab aëre inferuntur, non fortasſis injuria fiet interpretibus. Lutherum ſane noſtrum ad talem ſignificationem reſpexiſſe manifeſto liquet. Per *venenatum* enim *aërem* nihil aliud intelligi poteſt, quam aër corruptus & peſtilens. Id quod à reliquis interpretationibus

nibus non ita multum diſcrepat. Certe magnus æſtus & ſiccitas, ſilentibus præcipue omnibus ventis, perfrequenter aëri malignam intemperiem comunicat: ita ut calida & ſicca aëris temperes quam maximè etiam ſit ſqualida; quam præ omnibus aliis ad peſtilentes affectus excitandos eſſe aptiſſimam ipſemet uſus ab omni ævo comprobavit: quo cumprimis illa pertinent, quæ *ſectione 3. aphoriſmorum* plane incomparabili diligentia obſervavit Hippocrates. Talibus autem aëris corruptionibus præ omnibus aliis maxime oportuna eſt conſtitutio auſtrina, præſertim ſicubi diuturnior illa fuerit, nec aliquo vento ab oppoſita mundi regione contemperetur. Hinc porro eſt, quod in nullis locis talis aëris corruptio ſatis ſit frequens, ubi proinde quoque horribilem in modum ſævire ſolet peſtilentia: id quod vel unius Neapolis nuperrimo exemplo ſatis probatur.

Quamvis autem quoad verba inter interpretes non conveniat, quod ad ipſam rem tamen pertinet, exiguum inter eos eſt diſcrimen: quod nempe tales affectiones & tempeſtates mutuo ſe excipiant, omnes vero à cælo & aëre proveniant terriſque immittantur.

Num vero ex pure naturalibus cauſſis hæc ita contingant, an ſuperiores & divinæ concurrant, non immerito quis poſſet ſciſcitari. Videtur autem omnino poſterius, in epidemiis præſertim iſtis plagis & calamitatibus, eſſe aſſerendum. Tametſi enim cæleſtia corpora in hanc globi terreni ſuperficiem & ei circumfuſum aërem maximam vim obtineant; nihilominus tamen quando ejusmodi tempeſtates & hinc ſecutæ ſegetum & arborum corruptiones & calamitates, graviſſimique & populariter graſſantes morbi, oboriuntur, cumprimis autem ſi ſunt inſolentiores & diutius etiam durant latiusque vim ſuam exerunt, certo id ómnino indicio eſt ſuperioris facultatis concurrentis.

Et vero quin in omni magna annonæ caritate, peſtilentia, ſimilibusve aliis humano generi perniciem afferentibus plagis & malis, multum divini inſit, ego quidem extra omnem controverſiam ponendum eſſe non dubito.

ULTIMUS morbus, quem Deus legum ſuarum violatoribus minitatur, eſt *Icterus*; qui inter alia nomina regii quoque morbi appellationem ſortitus eſt, quod ſecundum Varronem regio potu ſit curandus, tali ſcilicet qui ex vino & melle confectus ſit. Eſt autem Icterus generatim omnis ille morbus, qui à bilis effuſione in habitum corporis & cutem oritur. Quum vero bilis non ſit unius generis, & Icterus quoque non eſt unus. Alius nempe niger, alius flavus, alius alium colorem à prioribus tamen non alienum vel etiam ex illis compoſitum referens. Quas inter omnes ſpecies maxime tamen Vulgaris eſt Icterus flavus, quod nomen proinde in ſua quoque verſione obſervavit B. Lutherus. Eſt autem Icterus proprie nomen non morbi ſed ſymptomatis, quod videlicet omnis morbus vel ſit intemperies præternaturalis, vel mala conformatio partium, vel ſolutio unitatis, ad quarum nullam fœdus cutis color in ſeſe conſideratus pertinet; utpote quum accidens quoddam ſit cum nonnullis morbis conjunctum, vel eos ſubſequens. Quandoquidem vero, ut alias, ita in morborum quoque appellationibus magna penuria vocabulorum laboramus, hinc fit quod inter plurimas alias Icteri quoque vox & ſymptoma & ſimul ipſum morbum denotet.

Oritur autem bilis ejusmodi ſuffuſio & Icterus à variis cauſſis. *Primo* & ſæpius quidem ab obſtructione veſicæ felleæ, vel etiam pori χοληδόχυ in duodenum inteſtinum non ita procul à dextro ventricul orificio bilem illam flavam

Ille putrefactus morbo regio, ſupervivit cadaveri ſuo Hieronym. *ad Pammach. ſup. ob. Paulin. uxor. p. 163. b.*

vam ſubinde evomentis. Obſtructio vero iſthæc non ab unâ rurſus inducitur cauſſâ. Aliquando enim id fit humoribus craſſis meatus iſtos offarcientibus: aliquando etiam à lapillis ſeu calculis in veſicula fellea concretis; id quod Icterum etiam reddere ſolet incurabilem.

Deinde cauſſam ejus rei Pathologici ſcriptores in veſiculæ illius bilariæ imbecillitatem fel ad ſeſe non attrahentis, vel etiam pori qui in veſiculam illam fel defert nimiam apertionem & bilem cum ſanguine permiſceri concedentis, referunt. Verum quidquid ſit de gemina hac cauſſa, quam examinare non eſt hujus loci: fieri id, quando bilis flava non colligitur intra veſiculam, atque ita exundans una cum ſanguine per univerſum corpus diſpergitur, & ipſe ſentio.

Tertio non raro quoque Icterus producitur à calida intemperie hepatis, idque non tam propter obſtructionem ſive veſiculæ ſive pori, vel etiam quod bilis in veſiculam non deferatur, quam quod ſanguis ſolito plus bileſcat. Id quod in aliarum quoq; partium inflammatione contingere ſolet. Quales proinde morbos, ut & calidas febres, frequenter quoque ſequitur Icterus. Scilicet ſecundum naturam quidem univerſa corporis Oeconomia ſeſe habente, bilis iſthæc flava non gignitur niſi in jecinore. At vero præter naturam affecto, ſive morbo aliquo corpore laborante, non tantum in hepate, ſed in multis aliis quoque corporis partibus vera & ipſiſſima bilis flava generatur. Et *primo* quidem in ipſo ventriculo, cumprimis à dulcibus & pinguibus aſſumtis, præſertim ubi ventriculus calida intemperie laboraverit: id quod in lactantibus infantibus maxime eſt frequens. *Deinde* in aliis quoque corporis partibus id fieri modo fuit dictum. Unde fit, ut univerſa ſanguinis maſſa aliquando vel integra vel ſecundum

magnam ſui partem in bilem flavam commutetur. Id quod ſanguine ex ſectâ venâ excepto perſpicuum eſt.

Quarto denique Icterus quoque gignitur â veneno, ſive intra os aſſumto, ſive per morſum aut punctum venenati animalis immiſſum.

Ad quas proinde omnes cauſſas Medicus Icterum curaturus diligenter attendere debet, & utra locum hic vel illic habeat, inquirere. Id quod non eſt difficile, quum ex aliis concurrentibus ſignis id ipſum colligere ſit in promtu. Quæ quia paſſim recenſeri ſolent, non eſt, quod hic ea adducamus: certe ad loci hujus illuſtrationem neutiquam eſt opus.

Non immerito autem quæritur, qui fiat, quod ante alias omnes externas corporis partes oculi & facies colore illo tingantur.

Et vero quod ad faciem pertinet, procul dubio id fit propter ſummam genarum teneritudinem, quodque ſic ſatis ampla vaſa ad illas partes commeant. Accedit etiam, quod facies præ aliis partibus plerumque ſoleat calere. Unde adeo mirum non eſt, in facie bilis illam ſuffuſionem primo omnium manifeſtari: perinde ut alias quoque ex facie plerumque de corporis meliori vel peiori conſtitutione ſolemus judicare. Dico plerumque. Nec enim id ſimpliciter ubivis & ſemper licet, quum nonnullis cutis ſit ſatis decolor, cetera tamen bona valetudine gaudentibus: quibusdam viciſſim facies ſit florida, quum nihilominus maxime morbis, & letalibus quidem, laborent. Plerumque illud indicium non ſolet eſſe fallax: ſi præſertim in reliquis quoque corporis actionibus nullus defectus deprehenditur. Et vero ex ipſa facie quoque de morbi exitu, atque adeo inſtante morte, multum licet prædicere.

In oculis vero quam maxime propterea color ille eſt con-

conſpicuus, quod oculorum tunicæ plus reliqua omni cute ſive ſuperficie corporis albicent. Quo vero res magis eſt alba, eo citius quoque, ſi alio colore imbuitur, tinctura ſive infectio illa proditur.

Poſtremo per ipſa vaſa ſanguionem vehentia bilem flavam ita usquequaque per & ſub cutem diffundi, extra dubium eſt. Nec enim aliæ viæ dantur, vel poſſunt excogitari. Neceſſum igitur eſt, tum ipſam illam ex quacunque cauſſa in corpore regurgitantem bilem in ipſum cor mitti, & ita cum ſanguine per arterias deinde quaquaverſum diſpergi. Quo vero cutem inficere poſſit, oportet minutis vaſis bilis illa iterum excidat. Nec enim quamdiu intra vaſa cum ſanguine commiſta manet, corpori externo colorem ullum poteſt indere. Quando igitur extra vaſa prolabitur, neceſſario colorem cutis immutat. Fit autem expulſio illa citra omne dubium à calore heterogenea ſegregante.

Longius & h. l. recedere videntur Græci interpretes, dum pro Ictero habent ὠχρίαν vel (ut alii & procul dubio rectius legunt) ὤχραν. Qua voce pallidum colorem denotari conſtat, non ſimplicem tamen, ſed cum aliis coloribus permixtum. Quapropter Heſychius etiam τὸ ὠχρὸς exponit per τὸ χλωρὸς, ſicut viciſſim τὸ χλωρὸς per τὸ ὠχρὸς. Quam tamen doctiſſimi Grammatici expoſitionem non poſſumus omni ex parte approbare. χλωρὸς enim color denotat illum, qui pallidus eſt ex virore, ſive ex viridi pallidus: ſicut ex adverſo ὠχρὸς ille propriè eſt, qui ex luteo & pallido eſt miſtus; qualis eſt in peculiari quodam terræ genere, quod inde quoque ochræ nomen κατ' ἐξοχὴν obtinet. Quandoquidem vero hæc ita ſeſe habent, luculenter utiq; apparet, exiguum eſſe diſcrimen inter Græcos & alios hujus loci interpretes. Per ὠχρίαν enim ſive potius ὤχραν apud illos intelligi

intelligi debet idem ille fœdus cutis color, qui in Ictericis deprehenditur. Ut perinde quod ad rem ipſam pertinet, nulla ſit hoc quidem in loco interpretum diſcrepantia.

Ad Pſalm. I. ℣. 2. & 3: Jeremiæ XVII. ℣. 8. Ezech. XVII. ℣. 5, 8: XIX. ℣. 10.

Quo hæc ſimilitudo & vis ejus eo clarius pateat, non alienum fuerit à noſtro officio, hanc ipſam rem alias per ſeſe ſatis notam nonnihil illuſtrare.

Notari igitur debet, (1) plantas juxta rivos ſive etiam littora creſcentes præ aliis ſolere & lætius naſci & diutius etiam vigere & virere. Quod tamen non ſimpliciter de quibusvis arboribus vel plantis accipi debet, ſed tantum de illis, quæ copioſo alimento gaudent, & eo quidem aqueo. Plurimæ enim plantæ ſunt, quæ juxta aquas poſitæ minus feliciter proveniunt, quam in aliis locis. Singulis videlicet ſtirpium generibus ſuus quoque eſt naturalis & conveniens locus. Aliæ enim locis humidis gaudent, aliæ ſiccis & ſterilibus: aliæ apricis & editis, aliæ umbroſis & depreſſis: aliæ aliis.

(2) Et hoc quoque obſervandum, non ſimpliciter vel promiſcue in quibusvis humidis locis ſtirpes tales, quæ aliis iſtiusmodi locis delectantur, provenire; ſed magnum hic animadverti diſcrimen, pro aquæ & ſoli diverſitate: quod videlicet nunc his nunc illis ſuccis & aqua & terra perfuſa ſit, qui vel plantæ conveniunt, vel illi adverſantur.

Notari & (3) debet, multas plantas nimia aquæ copia etiam emori; quod videlicet à nimia illa humiditate quaſi diſſolvantur & putreſcant: ſolis illis plantis exceptis, quæ non niſi in mediis aquis proveniunt. Quas inter ipſas tamen prius illud diſcrimen manifeſto deprehendimus. Nec enim ubivis plantæ eædem aquaticæ proveniunt, quod

quod vel fundus vel ipſa etiam aqua non ſatis apta ſit ad omnium ejuſmodi ſtirpium productionem.

Quod vero (4) his arboribus ad rivos plantatis adſcribitur tempeſtiva καρποφορία, non tam de plantis abundanti humido gaudentibus, quam de iis, quibus nihil humidi deeſt, debet accipi. Et vero illa demum arbor h. l. in exemplum felicitatis adducitur, quæ juxta rivos aquarum eſt poſita ſive plantata. Et quoq; illud uſu quam maxime eſt compertum, nusquam lætius arbores creſcere & fructus ferre, quam ubi rivulis ſolum irrigatur. Scilicet arbor plurimas & in omnem partem longe lateque emittit ex radice fibras, atque ita humidum illud quod non usque adeo in nimia affluit copia, quum in plurimas particulas dividatur, non poteſt copia ſua arbori nocere. Procul etiam dubio hic quam maxime reſpicitur ad loca illa calidiora & æſtuoſa, in quibus tum aliæ plantæ tum arbores quoque facile exareſcunt, niſi ejusmodi rivulis perpetuo foveantur & irrigentur: experientia in noſtris quoque regionibus id abunde comprobante.

Peculiariter autem (5) καρποφορίας hic fit mentio. Nec enim ulla planta, multo minus arbor, fructum & illum quidem exſpectatum ferre poteſt, quando alimenti juſta copia ipſi deficit, utpote quod tum fructus, ſi quos habet vel marceſcant vel etiam ad juſtam magnitudinem & maturitatem quantitatemque non perveniant, aut nullos quoque ferre poſſit.

(6) Demum non quævis quidem arbor ad aquas poſita aut proveniens perpetuo viret, ſunt tamen quædam quæ folia non amittunt. Quamvis & hoc ita quoque poſſit accipi, quod ejusmodi arbor ut citius aliis germinat, ita ſerius quoque folia abjiciat, nec ea ante tempus marceſcant. Sunt autem illæ plantæ & arbores perpetuo virentes,

Digitized by Google

rentes, quibus ſuccus ineſt pinguis & minus aquoſus. Id quodin omnibus proinde plantis perpetuo virentibus licet vel contactu experiri.

Quæ omnia ſi quis uberius contemplari velit, illi cumprimis expendenda erunt illa, quæ ſine exemplo diſputavit Theophraſtus Ereſius in incomparabili *de plantarum cauſſis* opere.

Ad Pſalm. VII. ℣. 10.

Non obſcurum eſſe poteſt hac phraſi nihil aliud Davidem denotare, atque quod abdita & intima quæq; adeoq; cogitationes etiam cordis noſtri & cupiditates Deo pateant & ſint cognitæ 1. Chron. xxx, 9. Poſſet tamen cuipiam fortaſſis videri locus hic alludere ad illam nonnullorum doctrinam, qui ſingulis facultatibus imo affectibus peculiares partes & viſcera corporis noſtri dicata eſſe cenſent.

Et (1) quidem cum Platone & Galeno vulgo Medici ſicut triplices facultates corporis noſtri, ita totidem quoque ſedes illarum conſtituunt: quod nimirum facultas concupiſcibilis ſita ſit in jecinore, facultas iraſcibilis in corde, & facultas rationalis in cerebro. Alii *porro* ſeorſim libidinem ſive appetitum venereum ſitum eſſe in renibus docent. Quorum quidem ſententiæ cumprimis hæc verba videri poterant adſtipulari, quaſi ſcilicet David hoc velit; quod Deus omnes affectus noſtros maxime habeat exploratos, inter illos vero quam maxime excellere appetitum Veneris, & iræ ſive vindictæ.

Quamvis autem hoc modo quædam accommodatio ad illum loquendi morem inſtitui poſſit, non tamen eſt, quod iſthoc ſenſu S. Regis verba proprie debeant accipi. In univerſum nempe quæ de triplici illa facultate & ſingulis

---

Sunt tamen φυτὰ ἔνυδρα βραχυβιώτερα τῶν χερσαίων. Theophr. *l. 4. hiſt. pl. c. 14.*

lis peculiari aſſignata ſede tradi ſolent, ſpeciem quidem aliquam præ ſeſe ferunt, accurato vero examini ſubjecta neutiquam poſſunt conſiſtere. *Primo* enim nec per experientiam nec per ratiocinationem quidquam illorum poteſt probari: niſi quod una & altera facultas, unus item & alter affectus, hanc vel illam corporis noſtri partem magis afficiat. Ex quo tamen nihil aliud colligi poteſt, ac pro diverſitate affectuum humores corporis noſtri nunc in hanc, nunc in illam corporis partem moveri. *Deinde* quæ vulgo de facultatum iſtarum operationibus doceri ſolent, multum itidem à vero abeunt; quod ipſum in Phyſiologicis fuſius oſtenditur.

Multo minus vero eſt, quod quis iſtam hujus rei doctrinam amplectatur, quam itidem à Medicis acceptam non obſcure probat Lactantius tum *lib. 6. Divinar. Inſtit.* tum *lib. de Ira*; licet *lib. de Opificio Dei* ab ea recedere videatur: quod videlicet lætitiæ adeoque riſus etiam ſedes ſit in ſplene, libidinis in jecinore, iræ in felle, timoris in corde, quæque hujus generis ſimilia ab aliis tradi ſolent alia: utpote quæ omnia frivolis tantum ratiunculis innitantur.

Etenim ut à poſtremo affectu initium faciamus, à timore & metu cor affici extra controverſiam eſt. At vero per alia quoque animi πάθη non minus idem afficitur. Niſi in timore magis id fieri quis velit, quod in illo affectu ſanguis cum calido ad cor quaſi retrofugiat, quum in aliis & contrariis quidem affectibus magis ad exteriora corporis loca feratur. Hoc igitur potius inde concludendum erat: omnium animi affectuum adeoque ipſiusmet etiam animi ſedem eſſe in corde; pro diverſitate vero affectuum ſanguinem nunc ad cor quaſi revocari, nunc ex eo per univerſum corpus ſubito diſpelli.

Libidinem porro in jecore ſedem habere ne probabili qui-

Digitized by Google

quidem ullo argumento ſaltem ſuaderi poteſt. Neque vero aliunde iſta quidem opinio promanavit, atque quod facultas ἐπιθυμητικὴ ſive concupiſcibilis ſedem ſuam dicatur obtinere in hepate; hepar autem ſecundum Galeni doctrinam ſit officina facultatis nutritivæ, ſive (ut ipſe cum Stoicis loqui mavult) naturalis, atque adeo omnium quoque reliquarum facultatum, quæ ſub illa comprehenduntur.

Iram porro à bile commota incendi usque adeo videtur eſſe certum, ut in vulgare proverbium quoque abierit. At vero falſa quoque perſuaſione & iſtud eſt ſubnixum. Hoc quidem certum eſt, homines bilioſos plerumque etiam eſſe iracundos & iraſci faciles. At vero id non fit, quod tum fel, ſive bilis flava, quam ſcilicet in veſicula quadam in ſima hepatis parte ſita colligi ſupra oſtendimus, peculiariter concitetur; ſed quod omnes homines bilioſo ſanguine utentes, vel etiam ad bilis generationem proni, præ aliis homnibus maxime ſint calidi: quo calidior vero quis eſt, eo pronior etiam eſt in iſtum animi affectum. Id quod tum in ebriis, tum in juvenibus, tum in illis qui generoſo potu uti conſueverunt, tum in calido morbo laborantibus, quotidie licet obſervare. Sicut videlicet bilis & præcipue flava, ut cui κατ' ἐξοχὴν bilis nomen vulgo tribui ſolet, non niſi à majori calore generatur. Sic etiam vice verſa quicunque bilioſis humoribus abundant, temperamento quoque ſunt totius corporis juſto calidiori, propterea

Neque enim etiam quemodo fellis abundantia nos ad iram crebiorem cogat, ſentimus: & tamen cogit; cum hec ipſa, quam dixi, abundantin facile ſit iraſcentibus nobis. Sed hoc tamen ſi non vis ſimile à nobis prætereunter accipere, verſa id cogitatione, quantum potes. Nam ſi animo exiſtat aſſidue aliqua difficultas agendi atque implendi, quod cupit, aſſiduè iraſcuntur. Ita eſt autem, quantum mea fert opinio, turbulentius appetitus anfe-

pterea quoque iſtiusmodi morbis, qui inde oboriuntur, maxime obnoxii. Quandoquidem vero alias quoque nunquam non inter animam & corpus, cumprimis vero ſanguinem tanta intercedit affinitas & arcta conjunctio (ut pro ſanguinis diverſa temperie ipſi quoque animi affectus varient, & viciſſim animi τὰ πάθη ſanguinem, & proinde univerſum corpus variis modis afficiant; hinc etiam mirum non eſt, bilioſum ſanguinem maxime eſſe aptum ad concitandam iram.

Quod poſtremo lætitiæ ſedem concernit, quam in ſplene collocatum volunt, & ipſa quoque res jamdudum in proverbium abiit, procul dubio ab ejusmodi vulgaribus traditionibus hauſtū, reapſe tamen non niſi riſu dignum eſt. Ut enim nunc aliis tanquam in re plane ſupervacanea abſtineam, nequaquam hæc de lætitiæ ſede opinio conſiſtere poterit cum uſu illo, quem vulgo itidem lieni adſcribunt, quod ſcilicet ſit receptaculum humoris melancholici. Neutiquam quippe convenit, lætitiæ riſusque ſedem viſceri illi adſcribere quod triſtitiæ eſt habitaculum. Quinimo lien priſcis usque adeo fuit inviſus, & propemodum infamis, ut non tantam nullum uſum in corpore illum præſtare vulgo perſuaſum fuerit, ſed etiam inſignem noxam afferre.

auferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt. Itaque plerumque non hominibus tantum; ſed calamo iraſcimur in ſcribendo, eumque collidimus atque frangimus: & aleatores teſſeris, & pictores penicillo, & cuique inſtrumento quilibet, ex quo difficultatem ſe pati arbitratur. Hac autem aſſiduitate iraſcendi fel creſcere etiam Medici affirmant. Cremento autem fellis rurſus & facile ac propè nullis cauſis exſiſtentibus iraſcimur: ita quod ſuo motu animus fecit in corpore, ad eum rurſus commovendum valebit. Auguſtin. epiſt. 155.

Riſus ſedem circa thoracem eſſe. Ludov. Septal. *comm. in ſect. 11. probl. 13.* In præcordiis Plinius *l. 11. c. 37. p. 564.* Intelligit autem ſeptum tranſverſum.

Quæ opinio euſque invaluit, ut medicamenta quoque non minus ſtulte quam ſtudioſe conquiſiverint & excogitaverint, quibus lien, tanquam inutile imo perniciosum viſcus & univerſæ corporis œconomiæ incommodum & adverſum, omniſque mali valetudinem affligentis domicilium, poſſet abſumi. Id quod tum ex Dioſcoride tum Plinio cumprimis paſſim apparet, niſi benigna interpretatione ſublevando illa de magnum ſive tumidum lienem abſumentibus vel potius de obſtruentibus accipere quis malit.

Quum igitur nihil veri ſive his ſive aliis hujusmodi opinionibus inſit, non etiam eſt, quod quis iis ſeſe ſeduci patiatur.

Quod autem de libidinis in jecinore ſede ex Lactantii & aliorum mente adduximus, ab eo non alienum eſt, id quod

Symmachus tamen ait lumbos, in quibus ſeminaria ſunt generationis humanæ. Vnde præcinctos lumbos habere te præcipit ſapientia Dei, ne tua caſtimonia reſolvatur. Denique ut ſcias quia in lumbis ſint libidinis commotiones, quæ plerunque excitantur à diabolo, quando contendit diſſipare membra Christi, & facere membra meretricis: Ecce, inquit, fortitudo ejus in lumbis, & virtus ejus in utero. In lumbis viri ſemina ſunt: in utero autem fœmina. Illudit ergo diabolus in his ut faciat adulterium, inceſtum, fornicationem. Et ideo qui fornicatur, in corpus ſuum peccat, non extra corpus. Primum, quia infirmatur caro quæ libidinibus diffluit, & non ſervat moderamina caſtitatis: deinde, quoniam ſeminaria, quæ debent ſoboli proficere procreandæ, inquinamentum corporis, non fructum poſteritatis operantur. Inde itaque dicuntur illuſiones fortaſſe, quod in his corporis æſtus ſine coitus celebritate frequenter illudat. Vnde bene LXX. viri animæ illuſiones dixerunt, eo quod diabolus affectibus alicujus illudens, in vanum ſtudeat vires ejus effundere, virtutem vacuare, reſolvere fortitudinem. Ideoque alibi ait: Et renes mei reſoluti ſunt. Ambroſ. enarrat. in Pſalm. 37. *Quod autem femur ſignificet opera nuptiarum, his breviter exemplis doceberis: Abraham mittens ad uxorem quærendam filio ſuo Iſac, dicit majori domus ſuæ: Pone manum tuam ſu-*

am ſu-

quod de riſus & lætitiæ ſede in eodem viſcere apud nos vulgo tradi ſolet. Nec etiam dubito, quin hinc conſuetudo illa manaverit, ut quibus jecora animalium cumprimis avium & piſcium in menſis apponuntur, jocoſum aliquem rhythmum in medium proferre teneantur. Id quod inter utriusque ſexus juvenes valde ſolet eſſe uſitatum.

Quamvis autem pleraque omnia, quæ de facultatum animæ & affectuum ſede à quamplurimis ſeculis, quanquam diverſimode, tradi conſueverunt, vana ſint & nullo veri robore ſubnixa; nihilominus tamen quod de corde & renibus tanquam cogitationum & libidinis ſede in illis viſceribus collocata affertur, non abſurde dici, paullo ante jam oſtendimus.

Et vero quod ad renes pertinet, licet ex illis non prodeat ſemen, nihilominus tamen illorum calorem ad humoris genitalis generationem multo plurimum conferre certiſſimum eſt. Sunt videlicet renes in lumbis ſiti, hoc eſt in illa corporis noſtri parte, qua cingi ſolemus, ubi ſpermatica quoque vaſa ſedem ſuam habent. Unde loquendi illa ratio

am ſuper femore meo: & adjurabo te per Dominum Deum cœli. Non dubium; quin per eum, qui de ejus ſemine erat naſciturus. Iacob, poſtquam luctatus eſt cum homine, qui ei apparuerat ad torrentem, Iacob, Meſopotamia derelicta, & terram repromisſionis ingrediens, non ante Iſrael ſortitus eſt nomen, quam nervus femoris ejus emarcuit, & ad filium loquitur: Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de femoribus ejus. Et rurſum ipſe moriturus, Ioſeph adjurat in femore ſuo, ne eum in Ægypto ſepeliat. In judicum quoque libro legimus: Gedeoni erant filij Septuaginta, qui egresſi ſunt de femoribus ejus. In Cantico dicitur canticorum: Ecce lectulus Salomonis, ſexaginta potentes in circuitu ejus de potentibus Iſrael, omnes tenentes gladios, docti ad bellum: vir & gladius ejus ſuper femur ejus. Hieron. epiſt. ad Principiam.

ratio in ſcripturis perquam uſitata, dum nati ex lumbis parentum, cumprimis autem patris, dicuntur prodiiſſe. Exemplo nunc ſit inſignis locus in hiſtoria Jacobi Patriarchæ Geneſ. *XLVI, v.26.* Quanto igitur calidiores fuerint renes tanto quoque magis ſeminis productio non poteſt non promoveri. Id quod hujus loci occaſione viſum fuit indicare. Locum illum Geneſeos illi, qui credunt animas in filios ex parentibus propagari, velut evidentiſſimum teſtimonium ſuæ cauſſæ proferunt: neutiquam tamen ſufficiens: quod oſtendit, eo explicato, Auguſtinus *ad Optatum de origine animarum, tom IV. oper Hieron. p. 247. m.*

Ad Pſalm. LVIII. ℣. 9.

Non morabimur jam plane h. l. inter ſeſe diſſidentes interpretationes, dum alii Hebraicam vocem aliquanto obſcuriorem & minus uſitatam, *vermiculum*, alii *ceram*, alii vero *limacem* reddunt: ſed poſtremam verſionem nunc tantum conſiderabimus.

Illo itaque ſenſu hoc loco admiſſo videtur alludi ad id quod de limace naturalium rerum ſcriptores quidam annotaverunt, quod nempe ille ſale conſperſus plane diſſolvatur & in mucoſum quendam humorem abeat. Eſt autem limax proprie illud cochleæ terreſtris genus, quod nigrum eſt nec domum ſecum dorſo circumvehit. Quod ad ipſam vero rem pertinet, ad quam hic alludi videtur, obſervandum eſt *primo* limaces illos præ omnibus aliis cochleis plurimum mucoſi & viſcidi humoris ſive lentoris in ſeſe continere. Id quod contactus quoque ſtatim prodit. Quo mucoſo humore reliqua quoque omnia cochlearum genera

Omnium animi affectuum ſedes eſt in corde, unde omnes peculiari modo movent ſanguinem & corpus afficiunt. Ideoque phyſice quoque intelligitur, quod Chriſtus dicit Matth. XVI. 19.

Digitized by Google

nera gaudent, eo nomine antiquis Medicis ad vulnerum conglutinationem maxime commodata. Præ aliis tamen nigræ iſtæ domoque carentes cochleæ tali humore viſcido abundant. Experimentum *porro* illud, quod nempe ſale conſperſi limaces colliqueſcant, certiſſimum eſt, & à quovis, quoties illorum copia datur, poteſt tentari. Et quidem eo citius illa diſſolutio inſtituitur, ſi vaſculum, cui limax ſale conſperſus incluſus eſt, ſoli exponatur. Intra paucas videlicet horas limax ita diſſolvitur & in mucorem abit, ut exigua duntaxat ejus portio ſive carnea ſive cartilaginoſa ſuperſtes maneat. Fortaſſis autem cum aliis quoque cochleis ita ſe res habet. Quæ tamen cum majori & duriori carne conſtent minus mucoris ex ſeſe emittere poſſunt.

Quamvis autem experimentum illud plane ſic conſtet, ne quid tamen diſſimulem, fateor utique me malle cum illis interpretibus facere, qui hunc locum de ceræ liquefactione accipiunt. Namque de illius certitudine omnibus conſtat: nec veriſimile eſt limacis illam contabeſcentiam ſive diſſolutionem aut colliquationem fuiſſe vulgo omnibus ita cognitam; quum tamen ſimilitudines ſacræ à rebus vulgo, in iis maxime locis, notis nunquam fere non ſoleant deſumi.

Ad Pſalm. XCI. ℣. 6.

Neque heic attendemus diverſas hujus loci interpre-

Alioquin unus eſt ſolis calor, & ſecundum eſſentias ſubjacentes alia liquefacit, alia indurat; alia ſolvit, alia conſtringit: liquatur enim cera, & induratur lutum: & tamen calor is non eſt diverſæ naturæ. Sic & bonitas & clementia Dei, vaſa iræ, quæ apta ſunt ad interitum, id eſt, populum Iſrael, indurat; vaſa autem miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam, quæ vocavit, hoc eſt, nos, qui non ſolum ex Iudæis ſumus, ſed etiam ex gentibus, non ſalvat irrationabiliter, & abſque judicii veritate, ſed cauſis præcedentibus: quia alii ſusceperunt filium Dei, alij autem recipere ſua ſponte noluerunt. Hieron. ad Hedibiam quæſt. 10.

tationes, ſed illam nunc tantum ſequemur, quam cum alii, tum B. noſter Lutherus expreſſit. Quo ſenſu verba illa ita accipienda fuerint, ut peſtis dicatur in tenebris incedere, & lues quædam in meridie perdere ſeu vaſtare. Quamvis autem & verborum ita ſeſe habentium facilis ſit explicatio: quod nempe peſtilentia clam hominem adoriatur, ita ut non poſſit oculis videri; lues item vel quævis alia pernicies & calamitas ipſo quoque meridie, quo homines alias quieſcere ſolent, ſubinde hominibus ingruat, vel etiam in ipſo meridie i.e. die maxime lucente morbus vel alia aliqua calamitas aliquem invadat: quamvis (inquam) vel iſta vel ſimili aliquo modo verba illa accepta & poſſint & debeant intelligi; alienum tamen non fuerit & hoc loco animadvertere in vulgares nonnullas perſuaſiones. Id quod tanto quidem magis erit neceſſum, quanto profundiores radices in hominum animis opiniones iſtæ egerunt: præſertim quum ab ultimis majoribus ad nepotes & poſteros ſubinde per traditionem ſedulo propagentur: perinde ut omnis alia ſuperſtitio vulgo maxime ſolet eſſe cordi, idque non ſine arcanis Cacodæmonis ſtratagematibus.

QUOD

Sane dæmonia locis gaudere deſertis, notiſſimum eſt. Vnde fortaſſe Pſal XC. ſive XCI. 6. dæmonium meridianum, quod à meridie, hoc eſt, deſerto veniret. Nam Iudæis deſertum eſt ad meridiem. Sequor autem LXX, qui δαιμόνιον μεσημβρινὸν, uti & vulgatam, in qua, ut dixi, eſt dæmonium meridianum.— Nempe olim legebatur veſched, h.e. dæmonio. Sed nunc legitur jaſchud, id eſt, vaſtante.—Ita peſtilentia intelligatur: ea meridiana dicitur, quia imprimis graſſatur in calore Solis intenſo. Nam & aër eo attenuatur, ut magis ſe venenum diffundat: & corpora humana magis laxantur, ut facilius venenum hauriant. Valde hæc firmantur eo, quod proxime ſubjicitur: Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. Ad te autem non appropinquabit. Optime enim hæc conveniunt peſtilentiæ late graſſanti, Gerh. Ioan. Voſſius l. 1. de idololatr. c. 8. p. 58.

QUOD igitur ad priorem hujus periodi partem pertinet, utique jam de aliis morbis tum inprimis de peſtilentia inter complures alias ſuperſtitioſas opiniones hoc quoque vulgo perſuaſum eſt, quod peſtilentia clam & ἀοράτως tum plateas tum etiam ædes circumeundo hos vel illos, qui ſcilicet neci deſtinati ſunt, invadat & adoriatur. Cumprimis autem id fieri nugantur tempore nocturno. Quinimo non deſunt quoque, qui ſpectrum aliquod mortem referens tempore illo ſeſe conſpicuum præbens ſe vidiſſe conſtanter aſſeverent.

Et vero tali calamitate geniorum luſus & impoſturas maxime etiam ſeſe prodere, ut videlicet ita hominibus jam tum metu perculſis eo majorem terrorem incutiant, neutiquam negaverim. Idque cumprimis fieri, quando peſtilens lues quam maxime graſſatur & deſævit, propterea magis videtur eſſe credibile, quo plus in deſertis & ſolitariis locis maligni iſti genii ſolent verſari & obſervari. Id quod de nonnullis deſertis & inhoſpitis talibus locis nimis eſt notum. Exemplo ſit vel illud famoſiſſimum ſpectrum, quod in illo tractu jugorum Bohemicorum, unde ex Bohemia in Sileſiam & quidem Glacenſem Comitatum proficiſcendum eſt, magnas moleſtias viatoribus conciliat: cumprimis autem infeſta ſunt ſpectris immania illa deſerta, per quæ Mercatoribus ex Perſia, Tartaria & India regna Mogol & Ung proficiſcendum eſt.

Quamvis igitur ejusmodi calamitoſo & luctuoſo tempore maligni iſti genii neutiquam ſoleant feriari, ſed animis jam tum conſternatis plura terriculamenta objectare; nullo tamen modo de ipſa peſtilentia ita in tenebris obambulante cum vulgo eſt ſentiendum. Neque vero fortaſſis quis exiſtimet, quaſi in tenebris & nocturno potiſſimum tempore peſtilentia hominem corripiat; utpote quum

Digitized by Google

nullo temporis diſcrimine, perinde ut alii quoque omnes morbi, hominem adoriatur. Hoc quidem verum eſt, ſub noctem pleroſque omnes morbos maximè παροξύνεσθαι & exacerbari. At vero idipſum longe alia fit de cauſſa, quam alias expedivimus. Non igitur eſt, quod vulgaribus de peſtilentia perſuaſionibus hic locus ullum patrocinium ſuppeditet.

PAR ratio eſt & alterius hujus periodi membri, de lue in meridie vaſtante ſeu perdente. Nec enim peculiaris aliquis eſt morbus, qui meridie quam maxime ægrotum affligat: niſi de tempore æſtivo hæc quis accipere velit quod videlicet tum meridianum tempus maxime ſit calidum, & propterea vires noſtras valde ſoleat exſolvere.

Quod autem de lue in meridie potiſſimum noxia & pernicioſa à nonnullis interpretibus intelligitur, id juxta alios de dæmonio quodam accipitur. Id quod adhuc multo magis vulgaribus opinionibus videtur eſſe affine. Habetur videlicet tempus ſub medio noctium (ut ita liceat loqui) vulgo usque adeo ſacrum, ut illo tempore malignos genios & ſpectra maxime ſeſe prodere & oberrare cenſeant, & propterea non temere velint vel viæ ſeſe accingere & committere, vel alias opus aliquod aggredi. Peregrinantes ſane & aurigæ non niſi coacte vel niſi ſibi neceſſario in via pergendum ſit id faciunt, ſed de induſtria ſolent cunctari & tergiverſari, donec illud tempus præterierit.

Tametſi vero hæ, quæque iſtis ſimiles ſunt opiniones aliæ, vanæ ſint & ſuperſtitioſæ, multo minus cum nonnullis hic locus ita accipi debeat, quaſi à peculiari aliquo dæmonio meridianum tempus infeſtetur, nihilominus tamen non illud omnino negandum eſt, uno tempore præ alio maxime ſeſe ſolere genios iſtos prodere & oſtendere. Cumprimis autem ſub mediam noctem potiſſimum præſtigias & impo-

impoſturas ſuas exercent. Ut vel ob hanc cauſſam lucifugæ & tenebrarum domini non injuria poſſint appellari. Verum de geniorum iſtorum apparitionibus & luſibus non eſt quod nunc plura afferamus, præſertim quum hic locus vulgaribus, ſive de his ſive de aliis rebus, opinionibus nihil quidquam patrocinetur.

Ad Pſalm. CXXVI. ℣. 4.

Triplici modo comma hoc ab interpretibus accipi & verti ſolet. Alii videlicet ita reddunt: *Converte captivitatem noſtram*, vel *reduc captivos, ſicut torrens in auſtro* vel potius ab auſtro *increſcit*. Alii vero ἀπόδοσιν periodi ita reddunt: *Sicut regiones calidæ & auſtrales à torrente rigantur* & refocillantur. Alii denique: *ſicut aquæ verſus meridiem ſitæ* ſive potius in locis meridionalibus *exſiccantur*. Quamvis autem media verſio mihi præ aliis videatur ad ſimilitudinem & captivorum reductionem maxime accommoda: quantum tamen ad naturam rerum pertinet, promiſcue omnes interpretationes locum inveniunt.

Ut enim de *prima* acceptione primum dicamus, ab auſtro ſpirante aquas & nubes colligi, atque ita cum alios rivos & fluvios tum torrentes cumprimis repleri, notum eſt. Debent videlicet hæc intelligi de illis regionibus, in quibus auſter eſt humidus. Nec enim ubivis eum eſſe talem, tum alias tum ſupra quoque indicatum fuit. Præterea quoque non abſurde ab expoſitoribus hæc verba ita explicantur, quod auſter calore ſuo nives & glaciem colliquando torrentes faciat aquis augeri. Eſt videlicet torrens talis rivus, qui aqua cæleſti & pluviali vel ex nivibus ſolutis proveniente, non tantum increſcit, (id quod aliis quoque omnibus & fluviis & ſtagnis accidit,) ſed etiam aquarum illarum affluxu ceſſante plane deſinit & exſiccatur: quod nempe nullos habeat fontes, nec terræ ſcaturiginibus ſublevetur:

Digitized by Google

qua de cauſſa Græce χειμαῤῥος perquam apposite dicitur. Præterea quoque hæc verba ſimul de tali etiam regione poterunt accipi, in quæ præ aliis locis notus frequentius ſolet ſpirare. Nec enim omnes venti ubivis flant, & quidam non niſi certis temporibus, nonnulli vero alicubi perquam raro, imo nec unquam quidem.

Secunda interpretatio terræ Iſraëlitidi & viciniæ illius magis adhuc videtur congruere. Eſt videlicet Palæſtina maximam partem ἄνυδρος & aquis deſtituta. Propter quam etiam cauſſam non tantum rivulos & fontes diligenter cuſtodierunt, ſed etiam cæleſtem aquam ciſternis exceptam collegerunt, ut haberent neceſſitatibus ſuis ſuppetentem aquam. Puteos ſane minus ibi fuiſſe frequentes, vel ſolæ illæ rixæ ſatis arguunt, quæ Iſaaci paſtoribus cum paſtoribus Abimelechi interceſſerunt. Multo vero magis adhuc ſiticuloſa & arida ſunt deſerta vicinæ Arabiæ. Ut proinde perquam commode talis comparatio h. l. inſtituatur. Sicut à ſole peruſta & arida loca, qualia ſunt Judææ finitima, torrente aliquo vel pluvia ab auſtro adducta recreantur; etiam captivos & in alias terras abductos Judæos in patriam ſuam reductum iri: id quod non ſine ingenti lætitia fieri poſſe conſtat. Quum vero porro Judææ reſpectu deſerta illa Arabiæ verſus meridionalem plagam ſita ſint, propterea quoque per regionem meridionalem aut ſiccam non niſi illa intelligi poteſt. Accedit & hoc, quod in locis iſtis ad meridionalem mundi plagam ſitis ingens ſit æſtus. Ut propterea illa loca κατ' ἐξοχὴν ſint calida, & propter ingentem æſtum maxime quoque ſicca.

Quod ad *poſtremam* denique interpretationem ſpectat, conſtat vel ex illis modo adductis; quo magis verſus auſtrum regio quæpiam ſita fuerit, eo magis quoque illam cæleſti calori eſſe obnoxiam. Unde porro non poteſt non fieri

fieri, ut iſthoc quoque ſenſu de deſertis Arabiæ iſta verba omnino veniant intelligenda. Et vero quæ verſus meridiem ſita ſunt citius deſiccari, usque adeo eſt notum, ut apud nos quoque & in hiſce noſtris regionibus id uſuveniat. Quæcunque videlicet loca verſus meridiem edita ſunt & illi expoſita, longe citius humiditatem ſuam amittunt locis, à quibus meridionalem ſolem & auras objecti montes aut ſilvæ aut ædificia arcent. Sub ipſum quoque meridianum tempus maximum eſſe æſtum, & propterea quoque præ aliis diei partibus res quasvis citius exſiccari, quotidianis itidem experimentis notiſſimum eſt.

Ad Cantici VIII. ℣. 6.

Sunt inter hujus loci expoſitores, qui Salomonem, h. l. eò reſpexiſſe velint, quod præ omnibus aliis digitis quartus potiſſimum commendetur geſtandis annulis, præſertim autem in ſiniſtra manu; quod videlicet peculiaris quædam vena ad digitum illum feratur, quæ ſingularem συμπάθειαν & affinitatem cum corde habeat. Et vero iſthæc perſvaſio non eſt nova; quinimo à nonnullis usque adeo obſervatur, ut Medicamenta quoque ægrotis mox propinanda quarto illo ſive annulari digito & ſiniſtræ cumprimis manus in cochleari miſceantur & agitentur: quin etiam nonnulli propterea annulum ex auro confectum digito illi ſiniſtro circumplicandum cenſent, quod aurum quoque occultam quandam vim habeat cor roborandi; ut igitur eo modo & beneficio iſtius venæ cor inſigniter poſſit confortari, ut medice loquar. Vocatur autem iſthæc vena proprio nomine Salvatella. Quæ non illo duntaxat nomine ſed alio quoque jam ab aliquot ſeculis maxime fuit famoſa, ita videlicet quod ſalvatella dextræ manus cum hepate, ſiniſtræ vero cum liene quoque, præter cor peculiarem affinitatem & amicitiam foveat. Unde porro factum eſt, quod

Digitized by Google

perficiariis manus & brachiorum partibus regurgitantem ad venam cavam & inde in cor iterum remitti. Ut ita quidem cor à ſanguine illo ab externis & aliis corporis partibus refluo & recurrente, ſiquidem pernicioſam & malignam qualitatem illæ contraxerint, non poſſit non affici: non tamen ſeorſim vel ab alia vena, vel à Salvatella, niſi forte hæc vel illa vena à venenata re fuerit infecta.

Quibus ita habentibus neceſſum eſt omnem illam vulgarem de hac vena perſvaſionem vanam eſſe & futilem. Patet tamen vel hinc, quanta vis ſit inolitæ & per majores acceptæ ſuperſtionis. Et vero non deſunt quoque inter Medicos, qui erroneas iſtas & plane abſurdas opiniones nondum tamen poſſunt deſerere, præſertim quod ad hepatis & lienis affectus pertinet. Quorum omnium argumenta fuſe examinavit & vanitatem illorum jam tum alias per ſeſe ſatis manifeſtam ob oculos poſuit Marcus Aurelius Severinus, doctiſſimus ille Neapolitanus Medicus in *Seilophlebotome caſtigata*, ſeu tractatu *de venæ Salvatellæ uſu & abuſu.*

Quod autem ſeorſim ad cor & annuli in digito illo annulari geſtationem pertinet, plane ſupervacaneum eſt vel illi rei peculiare aliud argumentum opponere, quum cordi cum Salvatella nulla alia intercedat amicitia ſive commercium, quam cum omnibus aliis venis, à corde præſertim remotioribus. Quapropter etiam non eſt, quod quis ad eum modum locum hunc accipiat. Nec vero infrequens etiam eſt ipſiſmet priſcis Eccleſiæ doctoribus vulgares opiniones pro veris amplecti, præſertim ſicubi res

Nnn cujus

ris partes expellitur; per venas omnis ad cor remittitur, per quas proinde quoque venenum extremæ cuti applicatum promtiſſime & ſine mora ad cor defertur.

cujus mentio fit talis ſit, quæ Phyſicorum Medicorumque autoritate nitatur. Mihi igitur nullus alius horum verborum ſenſus videtur eſſe, quam quod ita myſticus ille ſponſus ſponſam ſuam amet, & illa roget ita ſeſe ab eo amari & æſtimari, ſicut annulum obſignatorium æſtimare & aſſervare ſolemus.

Ad Levit. XIX. ℣. 26. Deut. XVIII. ℣. 10. Eſa. II. ℣. 6.

Tametſi his locis in Hebraico textu vox generaliorem ſignificationem habens occurrat, interpretes quoque non eodem modo eam vertant, ſed diverſis vocabulis utantur: facile tamen adducor, ut cum B. Luthero noſtro illam μαντείας ſpeciem hic denotari cenſeam, quæ deſumitur à diverſis temporibus; quod videlicet aliud tempus fauſtum ſit, aliud infauſtum. Et eo quidem magis hac in re parti illi aſſentior, quo plus apud omnes gentes nullo non ævo talis delectus temporis fuit obſervatus. Quin inter alias quoque ſuperſtitiones inter ipſasmet Chriſtianum nomen profeſſas gentes minime poſtremum locum hodieque obtinet.

Fundamentum vero ejus rei à pleriſque in arcanum cæleſtium corporum in hæc inferiora influxum ſolet conferri, quod videlicet alii ſtellarum aſpectus & motus nunc fauſti

---

Aſtrologorum impietas de planetis vel beneficis vel maleficis & hinc diebus vel felicibus vel infelicibus eo refellitur ſatis, quod Geneſ. I. ult. de omnibus à Deo conditis ſcribatur, ea fuiſſe perquam bona; ut de ſecundi diei opere nihil poſſit opponi, ſeorſim vero de ſtellis adeoque planetis quoq; ver. 18. Quod autem beſtiæ & ſæva animalia, inſecta, horrendæ tempeſtates damna hominibus afferant, nihil obſtat bonitati eorum. Poſt enim illa ceſſerunt in ſuppliciorum inſtrumenta, quæ ante hominis lapſum ejusdem imperio ſimpliciter ſuberant. Vid. Theodoret. expoſ. & quæſt. in Geneſ.

Digitized by Google

fauſti quid, nunc infauſti ſecum advehant & ominentur. Quæ res in tantum apud nos quoque invaluit, ut vulgares aſtrologi in Calendariis peculiaria quoque ſigna diebus fauſtis infauſtisve ſoleant apponere. Quo ipſo impiæ vulgi ſuperſtitiones ſupra modum foventur, adeo ut non temere quippiam aggrediatur, niſi prius conſulto calendario, & ſerio conſideratis ſignis illis.

Non poteſt autem prudentiorem quemque latere, quanta hiſce delectibus & obſervationibus temporum non vanitas tantum, ſed & impietas eaque ingens inſit. Quod ipſum præter alios usque adeo præclare oſtendit Johannes Picus Mirandulanus tum in univerſo ſuo divino & plane incomparabili *adverſus aſtrologos* opere, tum ſeorſim *lib. 2. c. 1. lib. 4. c. 7. lib. 10. c. 15.* ut nihil præclarius hac de re afferri poſſit.

Delectus dierum 1. ſumitur à ſanctis, quorum memoriæ ſunt conſecrati. 2. quod alii fauſti ſint, alii infauſti. 3. ab alia arcana ratione quomodo dies ſex ultimi & primi anni cujuslibet tales habentur: in quibus lupus non eſt nominandus. 4. ratione lunæ vel tempeſtatis 5. critici medicorum.

Ruſtici noſtri nomen ejus quoq; abominantes certo anni tempore h. e. duodecim à Natali Dominico diebus diligenter cavent, ne ſuo eum (Lupum) *nomine appellent, itaque pro lupo vocant* das Unthier. *Liceat hoc loco obiter in occaſionem ſuperſtitionis inquirere : cujus jam tum ſe veſtigia produnt apud Pencerum p. 280. de Theomantia. Narrat hic duodecim, quos dicimus, diebus per Livoniam & vicinas regiones accidere quotannis hominum in figuram luporum migrantium metamorphoſin, (qualis ea ſit, disputare hujus loci non eſt) exactis illis diebus agmen diſſipari rurſus & ad ſe quemque redire. Colerus lib. XIV. Oeconom. c. 24. f. 59. ſcribit, iisdem diebus lupum imprimis propter Venerem diſcurſare, atque tum iis maximè, in quos incidit, formidabilem eſſe. Et huc etiam illud facit, quod è Philo-*

à Philoſtephano refert Pier. Valerianus XI. Hierog. 2. p. 126. Latonam pregnantem (ſic perſuaſum gentilibus fuit) per duodecim dies in Lupum transmutatam Delon ſe contuliſſe, ubi facultas illi pariendi fuit: Ea propter lupos certa anni dimenſione omnes intra dierum duodecim ſpatium parere. Conf. Ælian. X. de animal. 26. & adde adagium: Lupus in fabulâ. Thomaſ. de Nominib. & inſignib. Lupin. §. 38. 39. Quis æſtimarit quam magnum peccatum ſit, dies obſervare & menſes & annos & tempora: ſicut obſervant qui certis diebus ſive menſibus, ſive annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, eo quod ſecundum vanas doctrinas hominum fauſta vel infauſta exiſtiment tempora: niſi hujus mali magnitudinem ex timore Apoſtoli (Gal. 4.) penſaremus, qui talibus ait: Timeo ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis? Auguſtinus enchirid. ad Laurent. c. 79. mox cap. 80. addens: Hinc accidit, quod peccata quamvis magna & horrenda cum in conſuetudinem venerint aut parva aut nulla eſſe creduntur: uſque adeo ut non ſolum non occultanda, verum etiam jam prædicanda ac diffamanda videantur. Non igitur nos de ſole & luna, annuis menſtruisve temporibus, actionum noſtrarum eventa conjicimus, ne in vitæ humanæ periculoſiſſimis tempeſtatibus, tanquam ſcopulis miſeræ ſervitutis, illiſi, à libero arbitrio naufragemus: ſed ad rem ſacratè ſignificandam ſimilitudines aptas religioſiſſimâ devotione ſuſcipimus; ſicut de cætera creatura, de ventis, de mari, de terra, de volatilibus, de piſcibus, de pecoribus, de arboribus, de hominibus: ad ſermonem quidem multipliciter; ad celebrationem vero ſacramentorum jam Chriſtianâ libertate parciſſimè; ſicut de aqua, de frumento, de vino, de oleo. Sed quantum interſit inter ſiderum obſervationes ad aëreas qualitates accommodatas, ſicut agricolæ vel nautæ obſervant; aut ad notandas partes mundi curſumque aliquo & alicunde dirigendum, quod gubernatores navium faciunt, & ii, qui per ſolitudines arenoſas in interiora auſtri nullâ ſemitâ certâ vel rectâ gradiuntur, aut cum ad aliquid in doctrina utili figuratè ſignificandum ſit nonnullorum ſiderum aliqua commemoratio, quantum ergo interſit inter has utilitates, & vanitates hominum, ad hoc obſervantium ſidera, ut nec aëris qualitates, nec regionum vias, nec ſolos temporum numeros, nec ſpiritalium ſimilitudines, ſed quaſi fatalia rerum jam eventa perquirant, quis non intelligat. Auguſt. Epiſt. 119. ad Januar. de ritib. Eccleſ.

Paris autem commatis eſt & id, quod nonnulli in plantarum collectione & effoſſione certos cæli aſpectus ac ſigna ſoleant obſervare. Qua in re vix fortaſſis ex recentiſſimis doctis quempiam religioſiorem deprehendere licet, quam Bartholomæum Carrichterum, Medicum quondam Rudolphi II Imperatoris, virum cetera doctum, ſed quantum manifeſto apparet, hac in re usque adeo ſuperſtitioſum, ut cum Magis illi negotium interceſſiſſe videri posſit; ceu apparet ex libro ejus *de collectione herbarum* Germanice conſcripto & Francofurti edito. Sunt videlicet hujus generis illa vulgo quoque uſitatiſſima, ut ſole in tali ſigno cæleſti verſante, tali die fauſto vel infauſto, tali vel tali hora, ſub meridiem videlicet vel mediam noctem, ſub tali vel tali ſtellarum & ſiderum adſpectu, facie verſus hunc vel illam mundi plagam obverſa, ſub arcano itidem & religioſo ſilentio, hæc vel illa planta decerpatur vel effodiatur, quæque hujus generis ſunt alia.

Neque vero melioris eſt notæ, licet ſpecioſior videatur, illa non minus quoque ſuperſtitioſa conſvetudo, quâ tum in plantis colligendis tum in ſeminibus ſerendis dies memoriæ hujus vel illius martyris vel ſancti viri ſacra obſervari ſolet. Non aliunde quippe hæc profluxerunt, atque quod ſancti illi & martyres tum aliis officiis, tum etiam ſeminum ſationi & frugum collectioni ferantur præeſſe.

Neque vero eſt, quod in ſeminibus ferendis, lignis cædendis, frugibus condendis, colligendis & certum aliquod tempus ſoleat obſervari; quod item luna tum accreſcens, tum decreſcens, nova item & plena attendatur. Unius enim rei ratio in eo eſt collocata, quod circa illas tempeſtas quoque mutari ſoleat; quæ tum ad frugum proven-

Digitized by Google

tum, tum ad illorum quæ collecta ſunt conſervationem, multo plurimum confert. Id quod paſſim quoque attingit nunquam ſatis laudatus Picus. Digna quoque lectu ſunt, quæ in hanc rem contra horarum & dierum ſuperſtitioſam electionem & obſervationem affert vir itidem longe doctiſſimus Thomas Eraſtus *part. 1. diſputationum Antiparacelſicarum.*

Nihil etiam eſt, quod quis vulgaris ſuperſtitionis illius ullum fundamentum quærat in diebus Criticis Medicorum. Certiſſimum videlicet eſt & aliquot mille annorum uſu comprobatiſſimum, certis quibusdam diebus humores corporis noſtri ita moveri, ut vel de ſalute vel interitu ægrotantium certi quid liceat æſtimare. At vero non id fit, quod certi quidam dies fauſti ſint vel infauſti. Quinimo dies iſti non niſi in ſingulis ægrotantibus initio computationis à primo inſultu morbi facto locum habent, ita ut qui dies uni ægroto eſt criticus, alteri non ſit. Quod ſi autem dierum iſtorum ratio à communi aliqua & cæleſti cauſa dependeret, deberet unus idemque dies omnibus ægrotantibus eſſe criticus, vel omnes eodem die morbis corripi. Hæc ſane etiam ratio potiſſimum me impellit, ut Galeno cauſſas dierum iſtorum ad lunam referenti neutiquam aſſentiri poſſim. Id quod quum ab eodem modò laudato Pico elegantiſſime quoque & uberrime oſtenſum ſit *lib. 3.* præclari iſtius operis *c. 16.* non eſt quod rei à me nunc quidquam ulterius adjiciatur.

Ad Ezeh. II. ℣. 9.

Non examinabimus jam vim vocum quæ in originali tex-

De cauſlis criticorum dierum eleganter diſputat Andr. Laurentius toto *libro tertio de criſibus.* Ego in *Semeioticis* ſive libro *de hominis valetudine cognoſcenda.*

ſi textu habentur, nec etiam verſiones inter ſeſe conferemus; ſed nunc quidem ponemus, quod per *lapidem perdiuturnum*, ceu vertit Tremellius, quique *firmior rupe* ſive petra eſſe dicitur, lapis adamas omnino debeat intelligi. Et vero adamantis lapidum pretioſorum principis durities jam olim quoque priſco illo ævo in proverbium abiit. Quo ſine dubio etiam Propheta vel potius ipſemet Deus alluſit, præſertim quum multæ ſimilitudines à rebus vulgaribus, vel etiam opinionibus deſumtæ paſſim in S. litteris occurrant, quæ proinde rigide non ſunt examinandæ.

Quod autem ad duritiem lapidis iſtius pertinet, de ea nemo clarius ſcripſit Plinio, cujus *lib. 37. c. 4.* hæc ſunt: *Incudibus hic deprehenduntur ita reſpuentes ictum, ut ferrum utrinque diſſultet, incudesque ipſæ etiam diſſiliant; quippe duritia inenarrabilis eſt, ſimulque ignium victrix natura & nunquam incaleſcens, unde & nomen indomita vis Græca interpretatione accepit.* Et non multo poſt: *Siquidem illa invicta vis duarum violentiſſimæ naturæ rerum ferri ignisque contemtrix, hircino rumpitur ſanguine, nec aliter quam recenti calidoque macerata, & ſic quoque multis ictibus tunc etiam præterquam eximias incudes malleosque ferreos frangens.* Hæc Plinius: quæ magnam partem, more ſuo, ex eo rurſus exſcripſit Solinus *c. 55.* Plinii vero aſſertionem illam porro quoque repetiverunt non tantum Chriſtophorus

Talis ſimilitudo à metallis quoque, iisque itidem durisſimis, petitur Eſa. XLVIII, 4. Ubi Lutherus reddidit Eiſern und Ehrne: Tremellius autem *nervum ferreum eſſe cervicem, frontemq; chalybeam.* Ita de iis qui per artes dæmoniacas ab armorum vi immunes ſeſe præſtant, dicere ſolemus: Er iſt ſo feſt und hart als Eiſen und Stahl.

De Xenocrate, qui ſcribit ſuper lapidum gemmarumque, naturis paucas verba ponentes: Adamas ſui nominis lapis eſt, quem latine indomitum poſſumus

rus Encelius *libris de Re Metallica, gemmis & lapidibus*, Andreas item Baccius *lib. de Gemmis & lapidibus*, aliique qui minus accurate & non niſi Grammatice fere hoc argumentum tractaverunt: ſed etiam tum Georgius Agricola *lib. 6. de natura foſſilium*, (niſi quod Leonis quoque cruore adamantem mollefcere ſcribat,) tum Andreas Cæſalpinus in opere *de re Metallica*. Non quidem de quibusvis adamantis ſpeciebus vel Plinius vel alii id aſſerunt, ſed de Indicis & Arabicis: quamvis nec in Arabia nec Cypro, nec Macedonia, quod Plinius tradit, ulli reperiantur.

Verum quamvis hæc res per complura ſæcula tanquam omnino certa credita fuerit, nemo quoque propter lapidum iſtorum raritatem & pretium periculum feciſſe videatur; falſum tamen omne illud eſſe primus nos docuit Garzias ab Horto, ſive ab Orta, qui diu in Orientali India verſatus eſt, Luſitanorum pro-regis medicus, *lib. 1. ſimplicium Medicamentorum apud Indos naſcentium cap.*

---

poſſumus appellare: eo quod nulli cedat materiæ, nec ferro quidem. Nam ſi ponatur ſuper incudem, & gravi ictu feriatur mallei, antea incus & malleus, vulnus accipiunt, quam adamas conteratur. Cumque ignis omnia domet, & univerſa metalla conſumat, reddit adamantem duriorem: ut ne parvulum quidem in eo angulum vis nimii ardoris obtundat. Vidi & in auro adamantem magnitudine milii: cumq; vicinum conſumatur aurum longo uſu ac nimia vetuſtate, ſolus adamas non atteritur, & nulla lima minui poteſt: ſed è contrario limam terit, & quidquid attigerit, lineis ſulcat. Hic lapis duriſſimus & indomabilis, ſolo hircorum cruore diſſolvitur: & miſſus in calidum ſanguinem, perdit fortitudinem ſuam. Eſt autem parvus & indecorus, ferrugineum habens coloreum, & ſplendorem cryſtalli. Quatuorque adamantis genera deſcribuntur. Primus eſt Indicus: ſecundus Arabicus: tertius Macedonicus: quartus Cyprius: pro qualitate regionum plus vel minus duritiam poſſidentes. Dicitur quoque in electri ſimilitudinem venena deprehendere, & maleficis reſiſtere artibus. Hieronym. ad Amos. cap. VII.

cap. 47. Plurimum quidem duritie alii alios ſuperant adamantes, nullis tamen, etiam duriſſimis, proprietatum illarum ulla competit.

Ad Ezech. XXIV. ℣. 6, 10. & ſeqq.

Neminem ex vulgo fugit, ad ciborum in olla juſtam coctionem requiri, ut tantum aquæ vel alius humoris ſit affuſum, quod aduſtionem prohibeat. Verum quidam præterea cibi non tantum propter juſculi penuriam ſolent vim ignis juſto majorem pati & aduri, ſed etiam parietibus ſive lateribus ollæ adhæreſcere. Non accidit autem hoc omnibus cibis, ſed illis duntaxat, qui pinguiores ſunt, & præterea viſciditate quadam gaudent. Inter omnes vero tales cibos præcipue id accidere ſolet carnibus animalium, utpote quibus glutinoſa quædam & viſcida pinguedo ineſt. Hac igitur partibus ollæ adhæreſcente & vi ignis humidum ejus abſumente fit, ut inſtar glutinis cujusdam conjungantur. Huc igitur quàm appoſite in ſimilitudine illa reſpexerit Deus & ex ipſius ore Propheta, ipſa res docet.

Ad verba Inſtitutionis S. Cœnæ.

Duo hic ſunt, quæ ex naturali rerum contemplatione lucem quandam accipere poſſunt.

Alterum ad panem, qui corpus Domini repræſentat, pertinet. Quum ſcilicet panis ille benedictus eſſentiam ſuam & omnia accidentia eſſentialiter & per ſe ſibi competentia retineat, utique vel hinc facile abſurditatis argui poteſt Pontificiorum transſubſtantio. Simpliciter videlicet impoſſibile eſt, ut ſi panis ille in ſenſibile aliquod corpus humanum mutaretur, quin etiam qualitates & accidentia pani quatenus tali competentia ceſſarent, & illa ſuccederent, quæ corpori quod carne & oſſibus conſtat competunt. Verum quidem Domini corpus ibi adeſſe non ne-

gamus. At vero fide credimus, ratione autem noſtra rimari & aſſequi non poſſumus, quum corpus illud Domini plane ſupernaturali modo ibi adſit.

Alterum ad ſanguinem & calicem pertinet. Conſtat videlicet, & nunc in memoriam revocandum eſt, vitam ut aliorum animantium omnium, ita hominis quoque in ſanguine hærere & conſiſtere. Id quod in Levitico diſertis verbis ipſemet Deus affirmat, ubi nos id nonnihil uberius jam illuſtravimus. Quandoquidem igitur ſanguis eſt habitaculum & receptaculum vitæ, & ejus beneficio & affluxu omnes corporis noſtri partes vivunt; hinc etiam patet, ſeorſim quoque non corpus ſuum ſed ſanguinem quoque diſcipulis exhibuiſſe Chriſtum, utpote quum ipſa caro citra ſanguinem vita ipſa quoque deſtituatur. Ut vel hinc quoque appareat, quantopere in calicis denegatione Pontificii hallucinentur.

Cæterum his omnibus ita haſtenus conſideratis non eſt quod ſimus prolixiores. Quod ſi vero noſtra opella divinis ſcripturis intelligendis lucem quandam attulerit, eſt quod nobis etiam atque etiam gratulemur.

FINIS.

INDEX

INDEX
LOCORUM SCRIPTURÆ EXPOSITORUM

Cap. ỳ. GENES.

I. De Hiſtoria Creationis in genere. 9.
2.3. An cœlum & elementa, an vero lux primo omnium fuerint creata? Quid item vocabulo cœli & terræ hic ſignificetur? 23.
3.4.5. de luce. 24.
7.8. de ſubſtantia cœli. 26.
11.12. de vi propagandi ſpeciem ſuam plantis ac animalibus conceſſâ. 27.
14. ſeqq. de ſole & luna. 28.
II.6. de rore terram irrigante. 31.
III.16. de facilitate ac difficultate partûs. 32.
18.19. de animalibus ac herbis noxiis contra Manichæos. 36.
VII. de hiſtoriâ Diluvii. 37.
IX.3.5. de comeſtione carnium. 46
11. ſeqq. de Iride. 47.
XIIX.11. de Abrahamo jam ſene ê Sara generante Iſaacum. 49
XIX 11. de cœcitate qua Sodomitæ percutiebantur. 50.
24.25. de bituminoſa Sodomitarum regione. 74.
33. de natura ebrietatis. 69.
XXV.32. de gemellis in utero Rebeccæ collidentibus. 68.
XXX.14. ſeqq. de Dudaim. 68.
36. ſeqq de Jacobi ſtratagemate Oeconomico. 74.
XXXI.7. quomodo dicatur Laban ſex annis decies Jacobo mercedem mutaſſe. 53.
XXXIV.25. de dolore ex vulneribus tertio die recrudeſcente, & in univerſum de Criſi. 27.
XL.XLI. de Inſomniis atque ex iisdem prædictione. 54.

EXOD.

II.3. ſeqq. de flumine in cujus ripa Moſes fuit depoſitus. 81.
III.14. de nomine Jehovah. 81.
IIX.7. ſeqq de incãtationibus. 82
ibid de productione animalium quorum hic fit mentio. 83.
XV.23. de aquis amaris in Marah. 85.
XVI.14. ſeqq. de Manna. 87.
XXX.23. de unguento ſacro & aromatis illud conſtituentibus. 90.
34 de thymiamate ſacro. 93.
XXXIV.29. ſeqq. de facie Mo-

Digitized by Google

ſis ſplendente. 97.

LEVITIC.

II. 11. cur fermentum atque acetum ſacrificiis admiſcere non licuerit; ſal autem cum omnibus illis oblatum fuerit? 97.

VII. 16. quod ſacrificiorum plurimorum partem ipſi offerentes cum ſuis comederint. 99.

X. 9. quod vino ac omni potu inebriante ſacerdotibus fuerit interdictum. 99.

XI. de animalibus mundis atque immundis. 101.

XII. de purgationibus à partu 103.

XIII. XIV. de Leprâ. 104.

XIII. 47. de Leprâ ædes ac veſtes inficiente. 115.

XV. de Gonorrhœa & fluxu muliebri. 117.

XVII. 11. quomodo dicatur vita in ſanguine eſſe poſita. 123.

XIX. 26. de delectu temporis ſuperſtitioſo. 464.

XXV. 19. ſeqq. Terram ſanctam olim fertiliſſimam, hodie ſterilem eſſe. 127.

XXVI. 16. ſeqq. de morbis, quos Deus legis transgreſſoribus comminatur, imprimis Terrore, Tabe, Intumeſcentia. 425

NUMER.

XXI. 18. ſeqq. de ſerpentibus ab irato Deo Iſraëlitis immiſſis. 125

DEUT.

III. 11. de Gigantibus. 129.

XIIX. 10. de delectu temporis ſuperſtitioſo. 464.

XXIIX. 21. de peſte. 434.

32. de Febri, eamve comitante rigore, ἐρεθισμῷ, ſiccitate & uredine, Ictero. 434

JOS.

III. 15. de fluviorum quorundam ſub mediam æſtatem incremento. 131.

X. 12. de motu ſolis contra Copernicum. 133.

JUDIC.

III. 15. quod uſus dextræ ſit maxime naturalis & promtiſſimus. 135.

IV. 15. de obeſitate Eglon. 136.

ibid. de nece Eglon. 161.

21. de morte Siſſeræ. 137.

IX. 43. de cranio Abimelech fracto. 140.

XII. 6. de idiotismo & blæſitate Ephraimitarum. 141.

XIII. 4. de robore Simſonis. 142.

XIV. 8. ſeqq. de dulcedine mellis. 143.

XV. 18. 19. de ſiti. 144.

I. SAM.

IV. 5. quomodo vociferantibus Iſraëlitis dicatur terra perſonuiſſe. 149.

V. 6.

V.6.ſeqq. quo affectu Philiſtæi ob arcam fœderis detentam fuerint percuſſi. 150.
*XVI.14.ſeqq.de morbo Saulis.*155
XVII.49.de proxima cauſa mortis Goliathi. 161.
XXI.13. de Davide amentiam ſimulante. ibid.

II. SAM.

II.23. de nece Aſaël. ibid.
IV.6.de nece Isboſeth. ibid.
XII.15. de morbo infantis, quem ex adulterio cum Bathſeba David ſuſceperat. 163.
*XIII.1.ſeqq. de amore inſano.*146.
XIV.25. de pulchritudine. 165.
XVII.23. de αὐτοχειρίᾳ Achitophel. 167.
XIX.33. de ſenectute Barzillai. 169.
Ult.1.ſeqq. de Peſte. 170.

II. REG.

II.19. de Eliſæo ſale aquas inſalubres corrigente. 174.
IV.18.ſeqq. de puero ab Eliſæo reſuſcitato. 176.
*IIX 15. de morte Benhadad.*199.
XV.6. de ferro natante. 197.
XX.7. de morbo Ezechiæ emplaſtro ê ficubus confecto ſanato. 180.

II. CHRONIC.

XVI. quod Aſſa fuerit podagricus. 101.
XXI. 15. ſeqq. de morbo Jorami. 183.

JOB.

*I.16.19. de igne cœlitus delapſo, & vento ædes diruente.*184.
II.7. de morbo Jobi. 185.
*XXIIX.1. de re metallicâ.*187.

PSALM.

*I.2.3. de plantis juxta rivos aquarū lætius creſcentibus.*446
VII.10. de doctrina vulgari facultatem concupiſcibilem in jecore, iraſcibilē in corde, rationalem in cerebro collocante. 448.
LI. de Hyſſopo. 189.
LVII. 9. de mucoſo humore limacis. 454.
XCI. 6. de peſte in caligine oberrante, ac dæmonio in meridie perdente. 454.
*CXIX. de auro ejusq; pretio.*169
*CXXVI.4. de diverſis interpretū circa h.l. verſionibus.*459

PROVERB.

X.26. de aceto dentibus, ac fumo oculo nocente. 191.
*XXV. 11. de carbonibus ignitis in caput inimici colligendis.*193
XXXI. 4. ſeqq. quomodo potus generoſus inducat oblivionem. 193.

ECCLESIAST.

I. 7. de fluviorum ac fontium origine. 194.

Google

X.1. de muſcis mortuis fœtentibus. 197.

CANT.

IIX.6. quod vana ſit opinio vulgaris de quarto ſiniſtræ manus digito, ac Salvatella. 161

ESAI.

V.6. de ſentibus, vepribus &c. ſponte in agris provenientibus. 197.

JEREM.

I18. de verbis: dedi te in civitatem munitam & in columnam ferream, & murũ æreum. 198

IIX.7. de avibus hieme ſedes mutantibus, ac vere redeuntibus. 199.

EZECH.

II.9. de duritie adamantis. 468.

XVIV 6.10. de cibis aduſtioni maximè obnoxiis. 471.

DAN.

IV. de affectu Nabuchodonoris. 200.

V.6. de tremore ac pallore Belſazaris in ſubitam conſternationem conjecti. 206.

AMOS.

IIX.9. de incremento Nili, & cauſis cur in Ægypto non pluat. 210.

JON.

IV. de frutice Jonæ caput obumbrante ejusq; læſione. 213.

ZACHAR.

IX.17. quomodo frumentum ac vinum hilaritatẽ conciliet. 215

X.1. quid pluvia ad plantarum productionem & conſervationem conferat. 217.

SAPIENT.

VII. de conceptione & conformatione fœtus in utero. 219.

XVII.3. de Spectris. 223.

TOB.

II.11. de cœcitate Tobiæ. 223.

VI.8.9. de uſu fellis in cataractæ curatione. 225.

SIRAC.

III.33. quomodo ignis & omne flammeum extingat aquas. 225

X.13. de putredine cadaveris humani. 229.

XII.10. de rubigine metalla infeſtante. 230.

XIIX.1. quomodo dicatur Deus creaſſe omnia ſimul. 22[illegible]

XXII.17.18. de gravitate plumbi. 230.

30. de fumo. 231.

XXVII 14.15. de rebus inſolitis ſtuporem injicientibus. 233.

XXIIX.14. quomodo ignis afflatu creſcat. 233.

XXX.22. quomodo curæ ac mœror hominem conſumant. 234

XXXI.22. quod nimio cibo & potu obrutis variæ oboriantur

eur moleſtiæ. 235

XXXVII.32. quod non quivis cibus ac potus cuivis conducat. 239.

XLII.13. de tineis ac blattis in veſtimentis ſponte naſcentibus. 240.

MACCAB. I.

VI.8. de mœrore animi corpus abſumente. 241.

34. quod elephantos ſanguineus color irritet. 241.

IX.55. de morte Alcimi. 242.

MACCAB. II.

VII. 27. de legitimis partus humani terminis. 242.

IX.9. de morbo Antiochi. 245.

XIV.42. ſeqq. de vulnere inteſtinorum, 247

FRAGM. IN ESTH.

XV.10. de deliquio animi ſanguinis effuſionem comitante. 248.

ADJECT. AD DAN.

26. de Belo à Daniele necato. 248.

46. quo pabulo ignis maxime nutriatur. 249.

MATTH.

II.1. de Magis. 251.

IV.2. de alimentorum neceſſitate, & quorundam hominum inedia. 251.

23. ſeqq. de morbis à Chriſto curatis. 259.

V.13. de natura ſalis. 293.

36. de eo quod dicitur: Non potes capillũ nigrũ vel albũ facere. 264

IIX.14. de febri qua Petri ſocrus laborabat, & naturâ febris in genere. 765.

16.27. de Energumenis. 270.

IX.1. ſeqq. de paralyſi. 270.

27. de viſu, viſione ejusq; vitiis. 290

30. ſeqq. de profluvio ſanguinis muliebri, ejusve cauſis. 285.

32. de requiſitis ad locutionem, & hujus læſione. 297.

XII.10. ſeqq. de homine habente manum ξηρὰν, item de contractione brachii, & ἀτροφία. 304.

34. de vipera. 307.

XIII.33. quomodo regnum cœlorum fermento ſimile dicatur. 308.

XVII.15. de epilepſia. 308.

XIX.12. de eunuchis. 311.

XXVI.26. ſeqq. de verbis inſtitutionis Cœnæ Dominicæ. 471.

XXVII.5. de morte Judæ proditoris. 420

MARC.

II.22. cur utres veteres à muſto rumpantur. 311.

VII.32. de auditu & ſurditate. 311.

IIX.24. de cæco ſanato, cui initio videbantur homines inſtar arborum ambulantes. 423.

LUC.

X.34. de olei ac vini in vulneribus ſanandis efficacia. 317.

XII.28. de illo quod dicitur: herbam quæ hodie eſt in agro, cras in clibanum mitti. 318.

51. quomodo Auſter excitet æſtum. 318

XIII.11.

Digitized by Google

XIII. 11. de muliere incurvatâ. 319.
21. de fermento maſſam totam alterante. 321.
XIV. 2. de Hydrope. 323.
XV. 16. de ſiliquis, quas filius prodigus expetebat. 326.

JOH.

III. 9. de natura ventorum. 331.
V. 2. de piſcina Betheſda. 326.
XI. 35. de lacrymis & lacrymatione. 338.
39. de fœtore cadaverum. 337.
XX. 19. de Chriſto conclave clauſum ingrediente. 344.

ACT.

III. 2. de claudicatione ejusq; cauſis. 350.
X. 10. de Ecſtaſi. 353.
XXVII. 14. ſeqq. quod ſæpe dæmones tempeſtates ac ventos excitent. 358.

ROM.

XI. 17. de inſitione arborum. 371.
XIV. 2. quid hic per λάχανα intelligatur. 372.

CORINTH. I.

III. 2. quod lac infantibus alendis idoneum ſit. 372.
XII. 12. quod membra omnia ſint unum corpus. 360.
XV. 35. ſeqq. de corporibus reſurgentium. 361.
41. de lumine ſtellarum. 362.

TIMOTH. I.

V. 23. quod vinum debilitatem ventriculi corrigat. 364.

TIMOTH. II.

II. 17. de herpete & gangrena. 308.

GALAT.

III. 2. de faſcino. 374.

PETR. I.

I. 7. de probatione auri per ignem. 383.
V. 4. de corona amarantina. 387.

JOH. I.

I. 1. quod omne corpus tactile ſit. 388.

IACOB.

I. 11. de exſiccatione & maraſmo plantarum. 391.
II. ult. de calido nativo. 394.
III. 11. 12. quomodo ex uno fonte amarum & dulce fluat. 395.

JUD.

12. de nubibus à vento agitatis. 396.
13. de igne fatuo. 396.

APOCAL.

I. 14. de canitie. 398.
ibid. de oculis lucentibus. 399.
III. 15. 16. quod tepida ventriculo ſint ingrata. 400.
IIX. 11. de abſinthio. 401.
IX. 5. de ſcorpionum punctura & morſibus. 492.
X. 6. de phraſi: quod nullum amplius tempus futurum ſit. 402.
9. 10. de mellis, aliorumq; dulcium effectibus in corpore noſtro. 403.
XIII. 3. de eo quod in vulneribus letale eſt. 404.
XIV. 10. cur ii, quos Deus punit, inebriatis comparentur. 405.
XVI. 2. 11. de ulcere, & potiſſimum anthrace. 407.
8. 9. de nimio æſtu. 410.
ult. de grandine 414.
XIV. 10. quod ſulphur ac bitumen maxime ignem alant. 415.
XXI. 11. de Jaſpide. 416.
18. 21. de pelluciditate. 416.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

1-7-3-4

Digitized by Google

Digitized by Google